ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. F. JOSEPH-MARIA PERRIMEZZI

EX ORDINE MINIMORUM

S. FRANCISCI DE PAULA

ARCHIEPISCOPI BOSTRENSIS

SS. Domini noſtri Prælati Domeſtici, & Pontificio Solio Epiſcopi Aſſiſtentis, Epiſcoporum in Urbe Examinatoris Congregationis quoque Examinis Epiſcoporum a Secretis, & S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Conſultoris.

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTRORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ,

PARS QUINTA.

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

PRINCIPEM

MARCELLUM PASSARI.

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM AMPLISSIMUM, ET SS. DOMINI NOSTRI CLEMENTIS XII. PRO-AUDITOREM.

NEAPOLI MDCCXXXV.

Ex Typographia Januarii Mutio Hæredis Michaëlis Aloyſii.

Superiorum Permiſſu.

81

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

PRINCIPEM

MARCELLUM PASSARI,

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM AMPLISSIMUM,
ET SS. DOMINI NOSTRI CLEMENTIS XII.
PRO-AUDITOREM.

AUCTOR.

POST plurima, eaque etiam inſignia; quibus me cumulare dignatus es, beneficia, hoc alterum, quod a Te, *Princeps Eminentiſſime*, enixis precibus efflagito, jure poſſum ſupra cætera omnia, tum dignitate, tum pretio, præcipuum, jucundum quoque, atque etiam maxime ſplendidum, nominare. Quod ego priſtinæ privatæque quieti reſtitutus, ſtudiorum meorum perpetuitati inſudem, ac curis cæteris abſolutus, ſanctæ Sedis obſequio man-

cipatus inserviam, Tibi in primis acceptum refero, ac benignitati erga me tuæ adscribendum quamlibentissime fateor. Tu enim agnoscens, me diutius non posse pastorali Ecclesiarum regimini inservire, ob ægram, qua detinebar, valetudinem, a pontificia Clementia, ut prædilectam meam Sponsam, Ecclesiam Oppidensem, corpore quidem, at non animo, dimitterem, post longum viginti annorum famulatum, obtinuisti. Quod quidem tanti facio beneficium, ut melius non putem me potuisse vel exposcere, vel impetrare; tum ob ampliorem temporis copiam, quam lucubrationibus prosequendis impendo; tum ob dulciorem quietis possessionem, quæ laboribus sustinendis maxime confert; tum denique quia spiritualis regiminis periculis liber, majori & temporis opportunitate, & animi sinceritate, possum anteactæ vitæ discrimina deflere, & adventuræ mortis expectationi me præparare.

Postmodum beneficiis addens, ut Romæ rerum ac fortunarum mearum sedem collocarem; ad promptiorem scilicet meorum studiorum usum, & ad commodiorem librorum edendorum facilitatem, & denique ad proximiorem Ecclesiæ inserviendi opportunitatem, non dispari animi generositate impetrasti. Quibus fit, ut quæcunque in Urbe scribo, vel ad S. Sedis obsequium, vel ad typorum exercitium, vel tandem ad Amicorum quoque voluptatem, Tibi jure merito, *Cardinalis amplissime*, referantur accepta; quia Tu præcunctis omni ex parte labores meos promovere dignatus es, & mihi insuper commoditatem parare, qua illos constanter teneam, & ad ultimam usque periodum impiger perseverem.

Quid mirum igitur, si Tu quum sis mearum lucubrationum promotor, Te quoque velim earun-

dem

dem patronum ac protectorem ? Et ut hoc ipsum faustissime assequar , Tibi illas ex parte nuncupare aggrediar , & nomine tuo illustrandas depromam ? Et hoc illud alterum est, quod a Te scribebam me velle beneficium rogare ; ut scilicet hoc quintum mearum Dissertationum in Sacram de Deo Scientiam volumen permittere digneris mihi honori tuo tuæque in primis virtuti ac merito inscribere audeam, ac consecrare. Quod quidem si a benignitate tua obtinuero, usque adeo mei voti compos ero, ut hoc præmio contentus nolim profecto alia quæcunque vel petere, vel exspectare.

Quid enim mihi præstantius, *Princeps benignissime*, quam apud Te illam invenisse gratiam, quam cæteri homines exposcunt, & non omnibus datum est impetrare? At illud quoque est , quo maxime mihi gratuler, quod in Te uno inveniam & avitæ Nobilitatis decora , & præstantissimæ virtutis munia , & amplissima dignitatum ornamenta , quibus excelsi quoque viri se jure merito possent supra mortales cæteros elevare . Tu autem illa omnia ita tua modestia honestas , ita tua humilitate illustras, ita tandem comitate, beneficentia, ac hilaritate commendas , ut plus Tibi venerationis adsciscas , quod tot tantaque laudum argumenta contemnas, quam quod eadem vel obtinueris , vel possideas , vel accrescas :

Et plane in regno nostro quis nescit , Gentem tuam a Regibus Aragonensibus , Neapolim degentibus, ibidemque jura dantibus, in pretio habitam, & in aulam ab Alphonso hujus nominis primo adscitam, & inter Ephebos nobiles Joannem Passerum collocatum ? Elisæum vero a Carolo quinto, Romanorum Imperatore, post egregiæ nobilitatis monumenta, ex quatuor , ut ajunt, lateribus, jam probata,

bata, imperialis aquilæ privilegio in gentilitio stegmate deportandæ decoratum? At ævo pariter antiquiori scimus, regnantibus scilicet in regno nostro Andegavensibus, familiam tuam fuisse, & feudorum titulis, & regiis honoribus, atque illustribus reipublicæ muneribus, honestatam. Sunt præterea tuæ domus decora non contemnenda cum neapolitanorum Consessuum nobilibus familiis inita connubia; scilicet cum illa Vulcanorum Sedilis Nidi, ex qua prior Genitoris tui uxor progenita est; & cum illa de Majo, Sedilis Montaneæ; quarum illustria facinora supra originis claritatem ac antiquitatem; Scriptores nostri effusis laudibus celebrant.

Accedit, quod valde notatu dignum est, nobiliores regni Urbes inter illustres familias Gentem tuam adeo adnumerasse, ut ab illa voluerint splendorem in alias derivare, & ex illa profluere in ipsasmet urbes claritatem. Melphictensem civitatem, Tranum, Arianum, legimus Progenitores tuos inter primarios habuisse; qui hierosolymitana Cruce, feudorum dominio, & munerum publicorum honore, supra cæteros se extulerunt. Unde factum est, quod Majores tui, & census amplitudine, & potestatis accessione, & honorum præstantia, in historiis præfatarum urbium memorarentur, & a Scriptoribus illarum dignis Elogiis insigniti Posteritati clarissimæ traderentur; quod ex S.C. Neap. declaratione firmatum, obsignatumque retinemus.

At a tuis ad Te reddeo, *Cardinalis Eminentissime*, & virtutem tuam commemoro, quam melior factus es omnibus, qui Te vel natura, vel ætate, præcesserunt, & illustrius exemplar evasisti Tuis, qui post Te subsequentur. Etenim post emensum in parthenopæa Universitate Studiorum curriculum, ubi primum Romam adventasti, a pientissimo ac

sa-

ſapientiſſimo Cardinali Joanne Baptiſta Ptolomæo in domeſticæ Academiæ ſocietatem admiſſus, non poteras niſi eximia pietatis ac ſapientiæ ſpecimina exhibere. Poſtmodum a Laurentio Corſinio, Cardinali tunc omni ex parte ornatiſſimo, & modo Pontifice vere ſanctiſſimo, in Auditorem adlectus, eidem ita fideliter, exacteque inſervisti, ut omni tempore merueris ſub ejus patrocinio laude dignum Te reddere, atque probare.

Et quidem amplum exhibuit pontificia Majeſtas beneficientiæ ſuæ ſignum, & meritorum tuorum argumentum, quando Te in Auditoris munere confirmavit; & Tu ex Auditore Cardinalis ampliſſimi, Clementis XII., probante acceptatione, & juſtitia diſponente, Auditor Sanctiſſimi evaſiſti. Confirmatum autem in munere, quod juſte fideliterque gesseras, ad Nazianzenas infulas promovit, ut illuſtrius caput jura reddens sacra cidari illa exornatum appareret. Denique ampliſſimum toti orbi reddidit amoris, probationis, atque juſtitiæ ſuæ, monumentum, quando Te, tota plaudente Urbe, & regno noſtro exultante, inter purpuratos Romanæ Eccleſiæ Patres adnumeravit; quod quidem fuit æque juſtæ retributionis ſuæ, ac meriti tui exigentiæ, evidens indicium, ac luculentum.

At pluris æſtimandum reor, quod ſubjungam, ſcilicet, ita in ampliſſimo munere Te gerere, ut nemini invidiam, at potius cunctis amorem ingeras humanitate tua, benevolentiam munificentia, & reverentiam probitate compares. Neminem profecto pateris a te triſtem diſcedere; & quum prope innumeros audias homines, negociorum contrarietate oppoſitos, nationum præjudiciis occupatos, & ingeniorum varietate diſſitos; non eſt qui conqueratur, vel a Te non lætanter ſuſceptum, vel non

ra-

rationabiliter convictum, vel non humanissime quoque dimissum. Nec promissa congeris rogantibus, nec promissis fidem detrahis. Paucissima loquens gratiora operaris; itaut de Te, & qui recipit, sentiat beneficium; & qui non obtinet, mærorem jure merito non valeat deportare. Unde plaudunt omnes *Clementi*, Pontifici vere optimo atque maximo, & justo munerum largitori, atque literatorum hominum promotori, qui Te creavit; & gratulantur quoque Tibi, quod creatione tua Clementi fueris decori, ac ornamento.

Age ergo, *Cardinalis amplissime*, doctrina, prudentia, ac comitate tua, studiosos admiratores adscicere Tibi, demissosque clientes, qui sibi gloriam reputent adscribere, dum tua merita summis laudibus extollunt, ut inde pro continuatione laborum suorum patrocinii tui perennitatem reportent. Post hos vero omnes & singulos, patere quæso, ut inveniar quoque ipse, qui quamvis non in altiori loco constitutus, præ cunctis tamen profiteor esse, ut omni ex parte obstrictus, ita & omni tempore, & in omni loco, venerator ex animo equidem, & ex officio. Vale *Eminentissime Marcelle* ad Ecclesiæ decus, ad *Clementis* laudem, ad mortalium fere omnium fœlicitatem. Romæ Kal. Quintilis anni MDCCXXXV.

LE-

LEGENTIBUS
PROLOQUIUM.

QUINTUM, & sextum in Sacram de Deo Scientiam nostrarum Dissertationum Volumen, quod Vobis a principio spopondimus, & duobus ab hinc annis in editione tertii, & quarti confirmavimus, en ad præsens integra fide exhibemus. At si nos promissis insistimus, Vos pariter optamus, ut ab inceptis non desistatis; scilicet, ut quæ evulgamus volumina iisdem hilari fronte, mente ingenua, ac peramanti corde, quibus antecedentia accepistis, amplectamini. Dissonum enim profecto esset, ut in nobis perduraret eadem Vobis inserviendi voluntas, & apud Vos ipsos antiqua illa approbandi consuetudo non permaneret; præsertim quum in eodem simus agendi tenore, nos nempe scribendi, & evulgandi, ut arrideant Vobis quæcunque scribimus, & evulgamus; Vos legendi, & excusandi omnia, quæ legitis, si fortassis eadem probatione vestra digna non invenitis.

Quia tamen nonnulla hic quoque supersunt, quæ Vobiscum communicemus ad operis hujusce apologiam, si placet, vel si vultis potius, excusationem; rogamus quoque humanitatem vestram, ut quemadmodum in aliorum voluminum fronte nos fecisse approbastis, ita & in horum capite nos prosequi permittatis. Tria audivimus a quibusdam, qui operis nostri fortunam amore prosequi asserunt, & famam nostram benigno favore complecti jurant, nobis objici potissimum; & ad singula volunt, atque pariter expectant, sicut in aliis codicibus fecimus, ut opportunis, convenientibusque responsionibus occuramus.

Primum est, quod nos ut plurimum recentiores Auctores, qui fere altero ab hinc anno nomen in Scriptorum alto posuerunt, in more habemus in medium ferre, eorundemque rationes, responsiones, & aliquando etiam verba exscribere, quasi essent probatorum hominum oracula, quorum auctoritas in literarum Republica commendatur, paginis nostris inserere, solemne habemus. Fatemur ultro, verum esse quod opponitur; at vitium dici posse, omnino negamus. Non enim ab iisdem auctoritatem accipimus, sed rationes amplectimur, quibus illa probant, quæ nos intendimus pari jure probare. Rationes autem vim suam a semetipsis habent, non vero ab illis emendicant, qui eas proponere aggrediuntur; etiamsi illas majori fuco colliment, quam robore firment. Parum ergo aut nihil interest, si eas recentior, aut antiquior Scriptor exhibeat, dummodo in iisdem eadem sit, a qua-

licunque afferantur, probandi firmitas, ac respondendi facilitas, atque constantia.

Accedit, quod tantum abest, ut recentiorum testimonia in theologica re inducere detrimentum afferat Legentibus, ut potius putandum sit, in utilitatem omnino verti, & illorum qui discunt, & illorum quoque, qui docent. Quis profecto contendat, juvare plurimum, non tantum contentos nos esse illa adducere, quæ vetustiores scripserunt, sed insuper esse sollicitos ea superaddere, quæ adjunxerunt illi, qui sunt nostris temporibus proximiores? Hoc enim pacto invenitur, & posteriorum cum primis consensio; & doctrinæ quoque observatur perpetuitas, quam comprobat a primis temporibus ad hæc usque nostra perseverantia. Et hoc quidem adeo laude dignum in Scriptore putamus, ut vere ad laudem dictum fuerit illius, qui de thesauro suo proferens & nova & vetera, miro ac optimo nexu conjunxit & novitatis solatium, & vetustatis ornamentum.

Quæ primum in lucem exeunt, illico, qui literarum amatores se esse profitentur, & sunt, manibus terere contendunt, oculis perlustrare, in judicium adducere; & nihilominus novitas non eis ingerit, aut tædium, aut nauseam, sed potius famem acuit devorandi illa, ac vires confert etiam digerendi. Et hæc quidem est in omnibus, qui sunt literarum studio dediti, commendandæ curiositatis vis, ut statim velint præ oculis habere libros, qui a nostræ ætatis auctoribus adducuntur in medium, ut legantur. Si igitur non displicent illis ultima in fonte, cur placere non debebunt in mensa? Quod si contigerit illa ab Ecclesia non reprobari, cur vetitum debebit esse nobis uti iisdem illis, quæ Ecclesia nostrum omnium magistra non sugillavit? Certe si novitas Scribentium Scriptis auctoritatem non parat, neque dicendum est parare suspicionem; unde non per hoc credenda erunt aut minus tuta, aut parum utilia, quia ultimis temporibus prodierunt.

Alterum, quod audivimus opponi nobis est, quod aliquando quæ dicta antecedenter fuerunt, iterum scribamus; & quæ in una Dissertatione scripsimus, in altera replicemus; quod sane innuit vel memoriæ defectum, vel superaddendi tædium, vel dicendi saltem inopiam. Verum ab iis, qui hoc nobis vitium opponunt, quærere nos juvat, an a nobis hoc semper fiat, an vero aliquando, scilicet quando occasio exposcit, & dicendorum ordo requirit? Primum non dicent; lectio enim operis falsitatem objectionis indicabit: & si alterum volunt, cur vetitum judicant contendentibus eadem in respondendo arma tractare, quando pugnantes non dissimilia tractant? Si antiqua renovantur objecta, traditæ pariter iterantur responsiones; & quidem iterationis vitium non est illius, qui respondet, sed alterius,

qui

qui provocat. Mutent pugnantes offensionis arma, & defensionis respondentes quoque arma mutabunt: at si illi volunt eodem armorum genere semper uti, ægre ferre non debent, quod nos idem respondendi genus adhibeamus.

Nec pariter credimus, nobis vitio tribui, vel quod eadem verba usurpemus, quæ vel Auctores scripserunt, vel nos ipsi in præcedentibus scripsimus. Hoc enim si opponeretur, falsum omnino esse ipsamet operis lectio evidenter ostenderet. Res ergo redigitur ad id, quo dicant, nos uti non verbis, sed conceptibus iisdem, quibus antea in non dispari occasione usi sumus. Atqui hoc non solum non diffitemur; sed tuemur quoque, dicentes, quod si nos idem canticum cantamus, ideo est, quia Adversarii nostri non varium conficiunt sonum. Denique aliquando dicendorum connexio poscit, ut repetantur, quæ alibi dicta fuerunt, quia sic nimirum res ipsa petit, & doctrinæ ordo requirit. Quod quidem in probatissimis Scriptoribus nemo est, qui non deprehendat, in illis non solum, quos ob doctrinæ laudem, & Sanctitatis gloriam, Ecclesia uno eodemque tempore suspicit, ac veneratur, sed quos etiam verborum copia claros, & dicendi elegantia insignes, tanquam principes eloquentiæ magistros merito omnis literatorum natio suspexit.

Tertium denique, quod nobis opponi dicitur, est, nos multa exscribere ab Auctoribus præcedentibus, qui eadem fusiori calamo pertractarunt, & apud quos legentes ea possunt promptiori facilitate invenire, & dulciori voluptate percipere. Ad hoc pariter in altero ex voluminibus a nobis antecedenter editis responsum dedimus. At ad illa, quæ ibi sunt scripta, hæc insuper addimus, nos neminem compellere, ut legant omnia quæ scribimus, nec ut potius volumina nostra manibus terant, quam illa, a quibus nos hæc, quæ scribimus, mutuati sumus. Quod si eis datum non sit aliorum volumina habere, debent saltem beneficii loco putare legere nostra, quæ habent, & quidem facilius, quam illa, quæ majori pretio, labore, ac studio comparantur. Cæterum nos ex adverso promittimus, quod si ipsi aliquando scribent, ipsorum volumina illico perlustrare conabimur, etsi sciamus, quod ab aliis exscripserint Auctoribus, qui eadem fortassis faciliori methodo, clariori ordine, ac fortiori nervo, pertractarunt. Movebit nos ad hoc præstandum & comperiendi cupiditas, quid de suo addiderint ad ea, quæ tanquam ab aliis dicta exposuerunt; & an ea fideliter retulerint, quæ referendi provinciam assumpserunt; & tandem an omni ex parte compleverint munus, quod utrisque æque erat impositum, defendendi nimirum, quæ defendere debebant ex instituto, & impugnandi, quæ ex debito impugnare tenebantur.

At si facta sunt, quæ exponuntur, cur poterunt illa diversimode exponi? Si res sunt, quæ historiam respiciunt, quum veritas, quæ est historiæ anima, una sit, cur poterit illa in Scribentibus multiplex fieri? Dicent fortassis, nullam esse necessitatem, ut illa iterum referantur; at quomodo poterunt Hæreses profligari, nisi exponantur? In uno igitur eodemque libro legere oportet; & quæ Adversarii opponunt, & quæ nos respondemus; in eodem quoque Hæresum originem, progressum, Auctores, referre juvat, ut ex ipsorum historia fortius error confodiatur, & catholica veritas fortius quoque triumphet. Accedit, quod legentes plerumque librorum penuria laborant; proinde Vobis commodius esse judicavimus in nostris illa omnia invenire, quæ apud aliorum libros, quos forsitan non retinetis, inquirere non est datum. Denique satius quoque judicavimus illa omnia in hoc opere saltem perstringere, ut reminiscamini illorum, quæ apud alios Auctores legistis, & ut majori facilitate illorum, quæ a nobis scribuntur, assequutionem habeatis. Valete.

IN-

INDEX DISSERTATIONUM.

Dissertatio CCLI.

De Religione. Quid, & an sit? An sit reperibilis? An sit determinata, & una, an indifferens, & multiplex? An sit sola Christiana? fol. 1

Dissertatio CCLII.

De Christiana Religione, seu de Christianismo. Quid ejus nomine intelligatur? Ejus institutio an a Deo? An ab aliis præter Deum? Et quodnam Dei attributum in ejus institutione maxime eluxerit? 12

Dissertatio CCLIII.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujusmodi fuerint mysteriorum obscuritas & sublimitas? An præceptorum asperitas atque sanctitas? An dogmatum supra naturalem rationem eminentia, & eorundem cum eadem ratione concordia? 20

Dissertatio CCLIV.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujusmodi fuerint miracula, in ejus institutione perpetrata? An miracula, quæ etiamnum perpetrantur? An miracula, quæ in aliis sectis minime fiunt? 26

Dissertatio CCLV.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujusmodi fuerint naturalis imperitia, & infirmitas virium Discipulorum Christi, quæ subito versa sunt in insignem, tum sapientiam, tum fortitudinem? An fuerint sapientia ac pietas illorum, qui Religionem Christianam amplexi sunt, sine ullo ipsorum sensibili commodo, quin potius cum maximo humanæ vitæ detrimento? 35

Dissertatio CCLVI.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujusmodi fuerint consonantia summæ rerum, sub Christo in ejus Ecclesia gestarum, cum oraculis hinc Prophetarum, hinc Sibyllarum? An victoria in Dæmones, & ex Idolis, & ex Arreptitiis, ejectos? An testimonia, quæ pro Christiana Religione tulerunt etiam apertissimi Christianismi hostes? 41

Dissertatio CCLVII.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujusmodi sit constantia, & fortitudo Martyrum, qui pro Christiana Religione mortem oppetiverunt? An sit pariter infinita propemultitudo illorum, qui Christianam Religionem amplexi sunt? An sit etiam Orbis terræ amplitudo, ad quam Christiana Religio extensa, & dilatata fuit? 48

Dissertatio CCLVIII.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujusmodi fuerit modus, quo primum Christiana Religio fuit propagata? An sit perpetuitas Christianæ Religionis, quæ nulli unquam Sectæ concessa est, An sit constans consensus in doctrina fidei, & morum, quo aberrantes Sectæ omnino destituuntur? 55

Dissertatio CCLIX.

De obligatione recipiendi Christianismum. An quis eximi possit a debito recipiendi Christianismum sine æternæ vitæ jactura? An cum debito recipiendi Christianismum stet simul debitum omnes alias Religiones respuendi? An satisfieri possit huic debito per solam apparentiam, absque interiori mentis, & cordis, adhæsione? 62

Dissertatio CCLX.

De obligatione retinendi Christianismum. An quilibet homo, vel etiam Christianus, in sua Religione, vel Secta, salvari possit? An admittenda sit divisio in Christiana Religione articulorum Fidei essentialium, & accidentalium, vel fundamentalium, & non fundamentalium? An extra Christianam, & Catholicam Religionem detur salus? 68

Dissertatio CCLXI.

De necessitate divinæ fidei in vera Religione? An divina fides sit possibilis? An in vera Religione sit admittenda? Et an in Christianisma reperiatur? 74

Dissertatio CCLXII.

De natura, multiplicitate, & præcepto fidei divinæ. Quænam sit fidei divinæ notio, essentia, & definitio? Quotuplex sit divina fides? Et quo præcepto teneantur omnes illam suscipere. 80

Dissertatio CCLXIII.

De Objecto fidei divinæ. Quodnam sit objectum materiale fidei? Quodnam sit primarium, & attributionis? Quodnam sit formale, sive quod sive quo? 87

Dissertatio CCLXIV.

De Fidei divinæ analysi. An fiat in humanam rationem? An in solam Scripturam Sacram? An in internum Spiritus Sancti motum? An in ipsummet divinæ Fidei habitum? An in Ecclesiæ auctoritatem, ejusque testimonium? An in divinam veracitatem, seu in veritatem Dei in dicendo? 94

Dis-

Dissertatio CCLXV.

De Symbolo Apostolorum. An vere Apostoli illud condiderint? Qua ratione & modo condiderint? Et sententia negans qua censura sit notanda? 101

Dissertatio CCLXVI.

De Articulis Fidei. An omnes in Apostolorum Symbolo contineantur? An successu temporis creverint? An secundum temporum diversitatem creverint quantum ad augmentum luminis, & ad firmitatem assensus? 111

Dissertatio CCLXVII.

De veritate objecti fidei. An repugnet, Deum mentiri, tam per se, quam per alium, etiam de potentia Dei extraordinaria? An fidei subesse possit falsum ex parte credentis? 118

Dissertatio CCLXVIII.

De obscuritate Fidei. An Fides theologica necessario habeat annexam obscuritatem, tam ex parte objecti, quam ex parte subjecti? An evidentia revelationis sit compatibilis cum obscuritate fidei? 124

Dissertatio CCLXIX.

De credibilitate mysteriorum Fidei. An Christianæ Fidei mysteria sint credibilia? An sint evidenter credibilia? Ex quibus motivis, & argumentis, sint credibilia, & evidenter credibilia? 130

Dissertatio CCLXX.

De habitu Fidei infusæ. An habitus fidei infusæ sit supernaturalis? An sit qualitas permanens per modum habitus? Et an sit habitus speculativus vel practicus, discursivus vel assensivus, & veram ac perfectam virtutis rationem habens? 138

Dissertatio CCLXXI.

De habitu fidei infusæ. An Angeli in via, & primi Parentes in statu innocentiæ, habuerint fidem infusam? Et an perdiderint eam per peccatum? An Beati in Patria illam retineant? Et quid de Animabus in Purgatorio existentibus sit dicendum? An illam habeant Dæmones & Damnati in Inferno? An perseveret in Peccatoribus, qui spoliantur gratia sanctificante, & charitate? Et an remaneat in Hæreticis? 147

Dissertatio CCLXXII.

De habitu Fidei infusæ. A quo hic habitus producatur? An infundatur semper cum habitu Charitatis? An possit sine illo infundi? An per actus suos possit aliquando producere in Viatoribus habitum naturalem, & acquisitum, circa idem objectum? 154

Dissertatio CCLXXIII.

De actu fidei supernaturalis. Quot modis elici possit internus divinæ fidei actus? An sit certior quocunque assensu cujuslibet scientiæ naturalis? Et a quo proveniat major hæc certitudo? 158

Dissertatio CCLXXIV.

De Actu fidei supernaturalis. An, & quomodo internus actus fidei divinæ sit necessarius ad salutem? An necessitate medii, vel præcepti? Quale objectum, & quibus temporibus? Et an ad illum eliciendum prærequiratur actus voluntatis, & qualis? 163

Dissertatio CCLXXV.

De externa fidei confessione. An fidei externa confessio sit actus ab habitu fidei elicitus, vel imperatus? An sit præceptum divinum fidem exterius confitendi? An aliquando sit licitum fidem occultare? 170

Dissertatio CCLXXVI.

De vitiis Fidei oppositis. An cum Infidelibus sit publice communicandum, ac disputandum? An Infideles, & ritus ipsorum; sint tolerandi? 175

Dissertatio CCLXXVII.

De Locis theologicis; & primo de Sacra Scriptura. An libri Sacrarum Scripturarum sint suppositi, vel veri? An sint omnino integri? An sint divinæ authoritatis, ac proinde omnimode infallibiles? Quisnam sit ipsorum Author, sive principalis, sive instrumentalis? 179

Dissertatio CCLXXVIII.

De Canone Scripturarum. Quot libros complectebatur Canon Judæorum? Et quisnam ejus Author fuerit? Quinam libri fuerint, & modo sint, in Canone Catholicorum? An fuerit Canon Scripturarum, quem Hæretici confixerunt? 189

Dissertatio CCLXXIX.

De idiomate, quo scripti sunt libri Canonici. Quo idiomate scripti fuerint libri Canonici, tum veteris, tum novi testamenti? An sint textus genuini, & incorrupti? An ullum contineant erratum, aut mendum? 196

Dissertatio CCLXXX.

De Scripturarum versionibus. Quænam fuerint antiquæ veteris Testamenti græcæ versiones? De versione septuaginta Interpretum; & quid in ea sit incertum, & quid indubitatum? De Bibliorum versionibus latinis ante Hieronymum, & præcipue de illa, quæ Itala dicebatur; De illis, quas edidit Hieronymus; & de aliis ab aliis editis. 200

Dissertatio CCLXXXI.

De Vulgata Versione. Quisnam ejus fuerit Author? Cujus fuerit authoritatis antiquitus? Cujus modo sit post Tridentinum Concilium? Et de Vernaculis Bibliorum versionibus. 208

Dissertatio CCLXXXII.

De Sacræ Scripturæ inspiratione. An quicquid extat in Scripturis, sit divinitus revelatum, aut inspiratum? An inspiratio hæc sit pro rebus, seu pro sententiis, an quoque pro verbis? Et an denique pro verborum serie, aut stru-

INDEX DISSERTATIONUM.

structura, seu stylo? Et quanam sit differentia inter revelationem, inspirationem, & directionem, seu specialem adsistentiam? 214

Dissertatio CCLXXXIII.

De multiplici Sacræ Scripturæ sensu, & de multiplici sacrorum Librorum divisione. An Sacra Scriptura sit aperta, & omnibus manifesta? Qui sensus aliis sit præferendus? Ad quem spectet germanum Sacræ Scripturæ sensum tradere? An bona sit divisio Sacrorum Librorum, tam veteris, quam novi Testamenti, in Legales, Historicos, Sapientiales, & Propheticos? 220

Dissertatio CCLXXXIV.

De Sacra Scripturæ Chronologia. Ex Chronologiis Textus Hebraici, & Versionis Septuaginta, quænam sit alteri præferenda? An anni Patriarcharum, quos Moyses enumerat, annis nostris pares fuerint? Et quid de Patriarcharum longevitate sit dicendum? 229

Dissertatio CCLXXXV.

De Traditionibus. An in omni Ecclesiæ statu fuerint, & modo etiam sint, divinæ traditiones? An præter divinas, sint alia etiam traditiones, & quænam sint? In quibus ex his sit locus, ex quo peti possit argumentum theologicum? 242

Dissertatio CCLXXXVI.

De Conciliis. Ad quem spectet Concilia convocare? Conciliis præsidere? Concilia confirmare? 254

Dissertatio CCLXXXVII.

De Conciliis. An Concilia Generalia sint necessaria? An sint infallibilis authoritatis, ita ut ex iis peti possit argumentum theologicum? Et qui ad illa vocari possint, ac debeant? 264

Dissertatio CCLXXXVIII.

De Ecclesia. Utrum Ecclesia Militans sit Visibilis, an vero invisibilis? Quænam sint ejus membra, & caput? An ultra regulas mortuas in controversiis fidei decidendis, sit necessaria viva & animata, quæ sit Ecclesia? 276

Dissertatio CCLXXXIX.

De Ecclesia. An Ecclesia fuerit in omni Legis statu, & an extra ipsam fuerit salus? Notæ Ecclesiæ quænam sint; & quænam sint pariter proprietates ipsius? 290

Dissertatio CCXC.

De Romano Pontifice. An Petrus Romæ fuerit, an ibidem sedem fixerit, & an primatum in universa Ecclesia a Christo habuerit? An primatum Romanus Pontifex, si sit legitimus Petri successor, habeat in Ecclesia? Quo jure, divino, an humano? Et an sit primatus honoris tantum, & præeminentiæ, an vero etiam jurisdictionis? 302

Dissertatio CCXCI.

De Romano Pontifice. An docens ex Cathedra Ecclesiam in materia fidei & morum, sit infallibilis? An etiam extra Concilium? An ante, vel post Ecclesiæ acceptationem? 321

Dissertatio CCXCII.

De Romano Pontifice. An Romanus Pontifex sit supra Concilium Generale, an vero infra ipsum? An possit in Lege divina & naturali dispensare? An possit sine caussa dispensare in omni Lege Canonica? 340

Dissertatio CCXCIII.

De Authoritate Patrum. Qualis hæc esse debeat, ut faciat locum, ex quo deduci possit argumentum theologicum? Quæ regulæ observandæ in eorundem Patrum lectione? Et quæ in eorundem pariter usu? 353

Dissertatio CCXCIV.

De Scholasticorum authoritate. An Scholastica Theologia utilis sit Ecclesiæ, vel perniciosa? An Theologo Christiano inserviat, vel sufficiat? Et an ipsi sint adscribenda vitia Professorum ejus, qui ipsius nomine abutuntur? Veri autem ejus Professores quomodo concurrant ad locum theologicum constituendum? 358

Dissertatio CCXCV.

De Historicorum & Utriusque Juris Peritorum authoritate. Quomodo constituant locum theologicum, & quodnam argumentum ex eo deduci possit? De ratione naturali, & theologica. Quinam sit earum usus in argumentis theologicis efformandis? 368

Dissertatio CCXCVI.

De Infidelitate, ejusque speciebus. Quænam sint Infidelitatis species? An Infidelitas negativa sit peccatum? An Heretici puniri legitime possunt a Principibus Ecclesiasticis & Laicis in hæreseos pœnam? 374

Dissertatio CCXCVII.

De Propositionum Censuris. Quænam sint Censuræ, quibus affici possunt propositiones, quæ in sana Theologia admitti non possunt? Et quid sint? Quinam possint eas ferre, & de iisdem judicare? 378

Dissertatio CCXCVIII.

De Spe theologica. Quid & quotuplex sit Spes theologica? Quodnam ejus objectum? Quale sit subjectum? Et an cum certitudine damnationis stare possit spes æternæ Beatitudinis? 385

Dissertatio CCIC.

De Charitate theologica. Quid & quotuplex sit charitas? Quodnam ejus objectum? Quale subjectum? Et quænam sint proprietates ipsius? 391

Dissertatio CCC.

De Necessitate & ordine Charitatis. An Charitatis præceptum sit speciale? An ejus actus sit necessarius? Et in quibus temporibus obliget? An in Charitate sit ordo? Et quotuplex sit? Et quomodo servandus? 395

EMINENTISSIMO SIGNORE

GEnnaro Muzio pubblico Padrone di stampa in questa fedelissima Città, supplicando espone a V.Em. come desidera stampare il quinto Tomo *della Teologia Scolastica di Monsignor Giuseppe-Maria Perrimezzi Arcivescovo di Bosra*. In tanto la supplica a volerla commettere alla solita revisione, che l'averà a grazia ut Deus.

Adm. Rev. P. F. Joannes Augustinus Britto Ordinis Eremit. S. Augustini S. Th. Reg. revideat, & referat, Neap. 6. Januarii 1734.

D. ANTONIUS CASTELL. VIC. GEN.

D. Petr. Marc. Gyptius Can. Dep.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE

D*Issertationes Quinquaginta Selectæ, &c. Quinto volumine in Sacram de Deo Scientiam*, Authore Illustriss., & Reverendiss. Domino Fr. Josepho-Maria Perrimezzi Archiepiscopo Bostrensi, qua potui sedulitate evolvi. In his, ut optaveram, sapientem inveni, qui antiquorum proverbia exquirat, nec nominatorum virorum dicta præteriens palam facit disciplinam doctrinæ suæ. Sapientiam hujus collaudabunt multi, & exquirent; Atque adeo dignum judico publicæ utilitati excudi, cum eum magnus Dominus spiritu sapientiæ suæ repleverit. Si ita &c. Neapoli ex Conventu S. Joannis ad Carbonariam Ordinis Eremitarum S. Augustini die 16. Augusti 1735.

Em. Tuæ

Humillimus, devotissimus, & obsequentissimus servus

F. Joannes Augustinus Britto.

Attenta supradicta relatione, Imprimatur. Neap. 17. Augusti 1735.

D. JANUARIUS MAJELLUS VIC. GEN.

D. Petr. Marc. Gyptius Can. Dep.

SACRA, E REAL MAESTA'

GEnnaro Muzio pubblico Padrone di stampa in questa fedelissima Città, supplicando espone alla Maestà Vostra, come dovendo dare alle stampe il quinto Tomo *della Teologia Scolastica di Monsignor Giuseppe-Maria Perrimezzi Arcivescovo di Bosra*. Per tanto supplica la Maestà Vostra darne il permesso, e commetterlo alla solita revesione, e l'averà a grazia ut Deus.

Die 2. Junii 1734. Neap. &c.

Sacra Regia Majestas mandat, quod magnif. Rev. Doctor D. Cajetanus Mari videat, & in scriptis referat; hoc suum, &c.

VENTURA R. CAVALERIUS R. LUCINI R. SANTORO R. ROCCA R.

Citus.

SACRA REGIA MAJESTAS

IMperio Tuo, quo par est obsequio parens, Theologicas legi Dissertationes, quas dignitate juxtà, ac sacra præsertim eruditione Illustrissimus Joseph Maria Perrimezzi Archiepiscopo Bostrensi methodo prosequitur perspicua simul, atque uberrimæ referta adeò doctrinæ, ut unà quidem, sed ordine cæteroquin suo, ac tripertitò ea complectatur, quæ & literis, ac memoriæ ecclesiastica commendavit historia, & catholica semper docuerunt fidei dogmata, & subtilius sæpè discutienda sibi scholasticæ proponunt argutiæ: rem autem omnem clarissimus Author eum ita conficiat, ut Regni nihil omnino detrahat juri, literariis mandari posse censeo typis, si Majest. Tuæ accedat auctoritas. Neap. die 4. Jun. Ann. MDCCXXXV.

S.R.M.T.

Devinctiss. Cliens ac Fideliss. Subditus

Cajetanus Mari.

Die 6. mensis Junii 1735. Neap. &c.

Sacra Regia Majestas, visa supradicta relatione, mandat quod imprimatur, verum in publicatione servetur Regia Pragmatica; hoc suum, &c.

VENTURA R. CAVALERIUS R. LUCINI R. SANTORO R. ROCCA R.

Citus.

In

IN SACRAM
DE DEO SCIENTIAM
DISSERTATIONES SELECTÆ
HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ.
PARS QUINTA.
DISSERTATIO CCLI.
De Religione. Quid, & an sit? An sit reperibilis? An sit determinata, & una, an indifferens, & multiplex? An sit sola Christiana?

RELIGIONIS nomine hic potissimum non intelligimus nec virtutem, quæ nomine hujuscemodi indigitatur, nec peculiares illas hominum societates, quæ in Christi Ecclesia congregantur, & quorum vivendi ratio arcta est, plusquam cæterorum Christianorum, utpote ad spiritualis vitæ perfectionem omnino tendens; Sed ipsam hominum Societatem accipimus, quæ virtutem illam profitetur, ad Dei cultum præcipue ordinatam. Unde Religio hoc ipsum importat, quod apud nos sonat ordinatus Deum colendi modus, ac juxta eundem modum vivendi ratio. Et quidem hoc nobis contendit nemo, qui vel sit alicujus Religionis Professor, vel quoque sit Religionum omnium irrisor; quatenus nimirum, vel hæc est idea, quam habet Religionis, quæ ab ipso afferitur, & quam ipse profitetur; vel hæc est idea Religionis, quã ipse universim inficiatur. Posito proinde quid Religionis nomine intelligimus, seu quid sit Religio, ad ejus modo existentiam asserendam devenimus. At prius necessarium hic putamus, Adversarios exponere, quos hac in re habemus, ut deinde rectius possimus more nostro rem conficere.

Primo igitur adnumerantur Philosophi quidam Gentiles, qui divinam admittentes existentiam, Religionem tamen omnino negabant, putantes, sat esse pro quolibet Religionis munere explendo, Deum agnoscere, & profiteri. Sic putamus, fuisse Philosophos illos, qui Idolorum vanitatem agnoscentes, ac Deorum multitudinem irridentes, postmodum tamen unius Dei cultui se non addixerunt, at in illa Religionis, vel perplexitate, vel ignorantia, vel omnimoda abnegatione, permanserunt. Lucretius horum omnium Philosophorum Principem Epicurum scri- bit;

bit; quatenus ipse primus omnium Religionis jugo corda mortalium eripuit. Hæc sunt verba Lucretii lib. 1. de rerum natura:

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub Religione,
Quæ caput a Cœli regionibus ostendebat
Horribili super aspectu mortalibus instans:
Primum Grajus homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra.
Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit Cœlum; sed eo magis acrem
Irritat virtutem animi confringere, ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.

Et infra:

Quare Relligio pedibus subjecta vicissim
Obteritur: nos exæquat victoria Cœlo.

Secundo fuit Critias Tyrannus, qui asserebat, teste Sexto Empyrico, Religionis fabulam confinxisse antiquos quosdam Legislatores, quo melius possent, hac persuasione prævia, hominum animos sibi addicere, & ad officium retinere. Unde exemplo illius non pauci malefèriati homines mente conceperunt, Religionem vere fabulam esse, ac nullam de ea rationem esse habendam; ut vere Politici omnes, qui Christiani esse erubescunt, & mente tenere non hæsitant, & ore etiam aliquando prodire non reformidant.

Tertio fuit Benedictus Spinozza, qui in tractatu Theologico politico Religionem omnem sustulit, & contentus, Dei existentiam admisisse, de Religione nihil curavit; ut proinde ipse, & ejus Asseclæ Deistæ dicerentur, quatenus Deum solum admittentes existentem, cætera autem omnia, quæ de ipso dicuntur, inficiantur. Hæc de Spinozza testatur amicus ejus in epistola, quæ inter Spinozzianas numero 48. inscribitur, & quam refert eruditissimus Pater D. Malachias d'Inguimbert, Ordinis Cisterciensis Abbas: „ Habes per „ compendium tibi traditam summam doctrinæ Theologi-politici, quæ meo judicio omnem cultum, & Religionem tollit, „ atque funditus subvertit, clam Atheismum introducit: aut talem Deum fingit, „ cujus numinis reverentia non est quod „ homines tangantur. „ Et in fine: „ Arbitror itaque, me non magnopere a vero „ aberrasse, neque Auctori a me injuriam „ fieri, si denunciem, eum tectis, & fucatis argumentis iterum Atheismum docere. „

Quarto Thomas Hobbesius, Malmesburiensis; posterioribus temporibus Critiæ Tyranni stultitiam amplexus est, perpetuo negans, omnium mentibus Sacræ Religionis ideam fuisse infixam; quod scripsit cap. 28. Leviathan, sive de materia, forma, & potestate Civitatis Ecclesiasticæ, & Civilis: „ Metus potentiarum invisibilium, sive fictæ illæ sint, sive ab historiis „ acceptæ sint publice, Religio est, si publice acceptæ non sint, superstitio? Vel „ istis, quæ exstant in extremo exitu capitis „ undecimi ejusdem operis, pagina mihi 54. „ Metus autem hic invisibilium semen est „ ejus, quam quisque in seipso, Religionem, in illis autem, qui diverse metuunt, „ coluntque, superstitionem. Religionis semen hoc, cum a pluribus animadversum „ fuerit, a quibusdam cultum, & in leges „ formatum est, opinionesque de causis rerum futurarum variæ adinventæ sunt, „ quibus putabant, optime fieri posse, ut „ alii fervire sibi inducerentur? „

Quinto sunt novi Academici, qui sequentes Pyrronichos, Scepticos, & veteres Academicos, qui nihil certi a nobis cognosci posse in hoc mundo, arbitrabantur, ac proinde scientiam omnem de medio tollebant, asserunt, quod etsi exstaret vera Religio, a nobis tamen reperiri non posset, ac proinde nullum nobis esse debitum illam amplexandi, ac profitendi. De veteribus Academicis loquitur Augustinus lib. 3. contra Academicos cap. ultimo, & in lib. retractationum cap. 1., asserens: *Ut argumenta eorum, quæ multis ingerunt veri inveniendi desperationem, & prohibent cuiquam rei assentiri, & omnino aliquid tanquam manifestum, certumque sit, approbare Sapientem, ab animo suo, quia ipsum movebant, quantis posset rationibus, amoveret.* Contra vero novos Academicos invicte egerunt Joannes Bagotius in Apologetico fidei par. 1., & Michael de Elizalde in forma veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ q. 5.

Sexto inducuntur, qui vocantur Libertini, Indifferentes, Philosophi, seu Rationales, atque etiam Deistæ. Libertini, quia putant, cuique liberum esse modum colendi Deum, ac proinde Religionem, quam in hujuscemodi cultu ponunt, ex uniuscujusque arbitrio pendere. Indifferentes vero sunt dicti, quia asserunt, quod Religiones omnes ita sint indifferentes, ut quilibet possit in qualibet salvari. Philosophi autem,

tem, & Rationales appellantur, quod credant, Religionem per philosophiam, & per ratiocinium obtinendam a nobis esse; nimirum velint, solo rationis lumine Religionem esse quærendam, esse eligendam, ac in ea pariter discurrendum esse; ita ut nihil amplectamur in ea, quod naturalis ratio non dictat, & ratiocinium non probat, & omne, quod est contra, vel supra naturalem rationem, vel humanæ mentis ratiocinium, respuamus; Unde omnem revelationem rejiciunt, omnem fidem, & in Religionis rebus solo lumine naturali contenti sunt. Deum tamen admittunt; & quia Deum fatentur, & colunt, quocunque illis placeat colendi modo; hinc, ut superius est dictum, Deistæ sunt appellati.

Dicimus I. vere dari, & vere esse, Religionem, quæ sit vera.

I. Probatur ex Dei existentia. Deus est: ergo est Religio, quæ est vera, & qua creditur, & colitur Deus iste, qui est. Antecedens est certum, & conceditur ab Adversariis; consequentia probatur. Hic Deus, qui est, est in omni genere perfectissimus: ergo est in veritate adorabilis, est verus Dominus, est verus Creator omnium, quæ facta sunt; sed non esset talis, si non esset vera Religio: ergo ex quo Deus est, est etiam vera Religio. Probatur minor subsumpta. Si non esset vera Religio, Deus, qui est, non adoraretur ab iis, quorum esset Dominus, quorum esset Creator; ergo non esset adorabilis, non esset Dominus, non esset Creator. Antecedens est certum; quia si non est vera Religio, non est verus cultus, non est vera adoratio. Consequentia probatur. Vero Deo quodcunque competit de possibili, debet convenire in actu, si in actu repugnantiam non importet: ergo si verus Deus in actu non adoratur, quia non est vera Religio, & sunt in mundo, qui eum adorare possunt, & debent; sequitur, quod, aut non sit, aut frustra sit adorabilis.

II. Probatur. Verum est illud, in quod omnes homines consentiunt, quod omnes confitentur, omnes exequutioni demandant; sed omnes homines aliquam habent Religionem, quanvis in ea discernenda, vel amplectenda, discrepent: ergo datur vera Religio. Major est certa; quia verum, quod est objectum intellectus, pari passu ambulat cum bono, quod est objectum voluntatis; Unde sicut bonum ab omnibus desideratur; ita verum ab omnibus affirmatur. Et quanvis discrepent in inventione veri, non per hoc fit, quod verum ipsum non detur; quia etiam discrepant in inventione boni, hoc est beatitudinis, &c. & nihilominus vera beatitudo datur. Accedit, quod Universale Judicium est judicium naturæ; quum hominum in rem aliquam communis consensus nullam aliam possit habere caussam, quam naturam ipsam, hoc est naturæ Auctorem, a quo humanum genus instituitur, & edocetur, & qui nec potest falli, nec fallere: Unde Plinius ad Trajanum scribebat, quod singulos contingit, aut falli, aut fallere, non autem omnes. Igitur quemadmodum Adversarii admittunt Dei existentiam, quia omnes, quæ in mundo sunt, nationes, Deum existere profitentur; ita etiam, quia omnes nationes Religionem aliquam admittunt, concedere debemus, dari inter homines Religionem; licet plures in ea admittenda, errent, scilicet in ea, quæ sit vera, quia etiam plures, in vero Deo agnoscendo, falluntur. Quod quidem, præter Ciceronem lib. 1. de legibus, & alios complures, affirmavit Plutarchus lib. contra Colotem cap. 18., asserens: *Nusquam tamen extare Urbem, aut Oppidum, quibus nullus sit Deus, nulla juramenta, nulla preces, nulla sacrificia: talem Urbem a nemine unquam visam, priusque conspiciendam sine Sole Urbem, quam sine Deo, ac Religione.*

III. Probatur. Temporibus hisce postremis, quibus novi Orbis facta est inventio, nulla Gens inventa est, quæ ad ferarum instar, nullam habuerit Religionem; & quanvis aliquæ nationes sæpissime Religionem mutaverint, semper tamen unam, sive veram, sive falsam, habuerunt: ergo signum est, quod est universale apud omnes, aliquam dari Religionem; Atqui hujuscemodi Universalitatis aliqua debet esse caussa, & hæc caussa non potest esse falsitas: ergo veritas: ergo verum est, dari Religionem; quia omnibus vere est persuasum, & a natura dictum. Probatur minor subsumpta; Tum quia, quod est semper, aut frequenter, non potest esse a casu; tum etiam, quia intellectus ex natura sua assentitur vero, & non falso; & quod ab omnibus affirmatur, est verum, quemadmodum quod omnes appetunt, est bonum.

IV. Probatur. Si Religio esset hominum inventio, qua aliqui Religionis negotium introduxerint, ut cæteros in officio continerent, assignari deberet, quis fuerit ille primus, qui Religionem in Mundum invexerit, quo tempore floruerit, ubinam

gentium extiterit; sed hic talis non assignatur, nec assignabilis est: ergo vere stat, quod semper, & apud omnes gentium populos Religio fuit, & quod Auctorem non habuit, nisi naturam, & Deum, qui naturæ est Auctor.

V. Probatur. Deus creavit hominem rationis potentem: ergo debuit illi præcipere, & inspirare Religionem. Probatur consequentia. Quia homo est rationis potens, debet cognoscere Creatorem suum, debet illum colere, debet illi credere; Sed hæc omnia Religionis nomine importantur: ergo quia homo fuit a Deo creatus rationis potens, debuit illi Deus Religionem præcipere, & inspirare. Major patet, quia aliter homo ab animalibus, quæ rationis sunt impotentia, non differret; hæc enim Creatorem suum nec agnoscunt, nec colunt, nec illi credunt. Minor est certa, ut, Religionis ideam tradentes, præmisimus.

VI. Probatur. Si non esset Religio in Mundo, Deus sibimetipsi defecisset in universali hominum providentia; sed hoc dicendum non est: ergo neque dici debet, Religionem non extare. Probatur major: Deus non defecit aliis præcipiendo virtutes, quæ iisdem jura propria conservant; Sed Religio est virtus quæ Deo conservat jura sua: ergo si Religio non esset, Deus defecisset sibi ipsi, quando aliis non defecit. Probatur major, & explicatur. Datur virtus, quæ conservat Parentibus jura paterna, & est pietas; datur virtus, quæ conservat Majoribus jura sua, & est obedientia; datur virtus, quæ conservat inferioribus propria jura, & est justitia: ergo pariter dari debet virtus, quæ procuret Deo cultum qui debetur eidem; atqui hic cultus est Religio, & est virtus Religionis: ergo si non daretur Religio, Deus, qui aliis non defecit, sibimetipsi defecisset.

VII. Probatur testimonio Patrum, qui sæpissime ex Dei existentia Religionis inferunt necessitatem; & ex aliis etiam Dei attributis, Religionis deducunt existentiam. Cyprianus lib. de mortalitate: *Hoc denique inter nos, & cæteros interest, qui Deum nesciunt, quod illi in adversis queruntur, & murmurant; Nos adversa non avocant a virtutis, & fidei veritate, sed corroborant in dolore . . . . Contra tot impetus vastationis, & mortis inconcussis animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est, & quanta sublimitas, inter ruinas Generis humani stare erectum: nec cum iis, quibus spes in Deum nulla est, jacere prostratum!* Quibus verbis enumerat bona, quibus fruuntur, qui veram servant Religionem, & quibus orbantur, qui, aut nullam, aut falsam profitentur. Augustinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 24.: *Neque enim nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives, adversus se insurgentes, & cavere, & opprimere potuerunt. Hæc enim, & alia vitæ hujus ærumnosæ vel munera, vel solatia quidam etiam cultores Dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad Regnum Dei, quo pertinent isti. Et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si juste imperant; si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem, ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicant; facile ignoscunt; si eandem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicorum odiis exerunt; si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod aspere coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare; & si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ; sed propter charitatem felicitatis æternæ; si pro suis peccatis, humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices, interim spe, postea re ipsa futuros, cum id, quod exspectamus, advenerit.* Idem Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 16.: *Si Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de Religione satagendum.* Et lib. de moribus Ecclesiæ cap 6.: *Nullum enim arbitror aliquo Religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris, divina providentia consuli existimet.* Lactantius Firmianus lib. de ira Dei cap. 7. *Rationem ratio cognoscit, propterea nullum est animal, ut ait Cicero, quod habeat aliquam notitiam Dei. Solus enim sapientia instructus est, ut Religionem solus intelligat. Et hæc est hominis, atque mutorum, vel præcipua, vel sola distantia.* Eadem, vel similia habent Justinus martyr in oratione Parænetica ad Gentes,

Ter-

Tertullianus in apologetico; & contra Marcionem, Athanasius in oratione contra Gentes, aliique Patres.

VIII. Probatur ex Philosophis gentilibus. Tullius lib. 1. de natura Deorum: *Quæ est enim gens, aut quod hominum genus, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum, quam appellat prolepsin Epicurus, idest anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit: cum igitur non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio: intelligi necesse est Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus; de quo autem omnium natura consentit, id verum esse, necesse est;* Seneca epist. 117. *Multum dare solemus præsumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam Deos esse inter alia sic colligimus; quod omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam est adeo extra leges, moresque projecta, ut non aliquos Deos credat; cum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac publica persuasione: neminem invenies, qui non putat, & Sapientiam bonum, & sapere.* Plato lib. 29. qui est de anima: *Considera rursus hoc pacto. Quamdiu in eodem sunt anima, atque corpus, hoc quidem servire, atque subesse natura jubet, hanc vero præesse, atque dominari. Secundum hoc rursus utrum tibi videtur simile esse divino, utrum mortali? An non putas, divinum quidem tale esse natura, ut præsit, & ducat: mortale vero, ut subjiciatur, ac serviat? Puto equidem. Utri igitur horum est anima similis? Constat, o Socrates, animam quidem similem esse divino; corpus vero mortali. Animadverte jam, o Cebes, num hæc ex omnibus, quæ dicta sunt consequatur. Videlicet, ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo, & secundum eadem seipsum habenti, animam esse simillimam: humano vero mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo sibimet se habenti simillimum esse corpus. Possumusne, o amice Cebes, hæc præter aliud quidquam afferre quominus ita sit? Non possumus. Quid ergo? Cum hæc ita se habeant; nonne corpori convenit, ut brevi solvatur: anima vero, ut omnino indissolubilis sit?* Et infra: *Anima, quæ invisibile quiddam est, ad similem quemdam, aliumque locum migrans excellentem purum, invisibilem, nobis occultum, & vera ad bonum, sapientemque Deum, quo si Deus voluerit paulo post mea quoque animo est migrandum; anima, inquam, talis, taliique natura prædita, nunquid cum primum a corpore liberata fuerit, dissipabitur, atque interibit, ut multi putant? Per multum abest, o dilecte Cebes, atque Simmia, immo multo magis ita se res habet, siquidem, pura discesserit, corporeum nil secum trahens, utpote quæ sua cum illa in vita communicaverit, sed fugerit illud semper, seque in se collegerit, tanquam semper id meditata; quod quidem nihil est aliud, quam recte philosophari, mortemque re vera facile commentari. Annon hæc est meditatio mortis? Est omnino. Anima, inquam, si sic affecta discesserit; nonne ad aliquid sibi simile divinum abit? Divinum, & immortale, & sapiens... Quo cum pervenerit, evadit felix, ab errore, dementia, timoribus, durisque amoribus, ceterisque humanis liberata malis &c.* Idem Plato loco citato: *Quod vero ad Deos Dominos valde bonos iturus sim, certum habetote, si quid aliud ejusmodi, & hoc utique me affirmaturum. Propterea haud similiter mortem moleste feram; sed bono animo sum, speroque superesse aliquid his, qui defuncti sunt, atque ut jam diu dicitur, multo melius bonis fore, quam malis...... Qui pie præ ceteris vixisse inveniuntur, hi sunt, qui ex his terrenis locis, tanquam e carcere soluti, atque liberati, ad altiora transcendunt, puramque supra terram habitant regionem......... Sed horum gratiam bonam spem de animo suo habere debet quicunque voluptatibus, ornamentisque corporis neglectis, tanquam alienis, ad diversumque declinantibus, voluptates, quæ in discendo percipiuntur studiose sectatus fuerit, animumque non alieno, sed suo decoraverit ornamento; temperantia, justitia, fortitudine, libertate, veritate &c.* Simplicius in Enchyr. Epicteti cap. 38 q. 2.: *Cum sit numen, quale descriptum est, cognitione præditum exquisitissima, & potentia firmissima, & voluntate optima, & omnes res a se producat; nec ignorat res a se productas, esse curandas: qui stupor ne in stupidissimas quidem pecudes cadit, nam illæ quoque suos curant fœtus; neque viliores, quam quæ curentur, aspernatur; nam si tales erant, cur omnino condebantur? nec voluntas ejus est accusanda, quasi ob delitias, & socordiam eas negligat; hominum enim isti affectus sunt, nec omnium, sed non proborum, cum ne pecudes quidem ita delicatæ sint, vel ignavæ, ut fœtus negligant. Sic nullo modo fieri potest, quin Deus consulat rebus a se conditis.*

IX. Probatur. Dantur in mundo falsæ Religiones:

ligiones: ergo vere dari debet vera Religio. Antecedens pro modo supponimus certum; mox autem clarius patebit, quando probabimus, unam esse veram Religionem. Consequentia probatur. Quia dantur multæ Religiones in multis Gentibus, signum est, quod natura dictante dari debeat inter homines Religio; quia autem Religiones istæ sunt falsæ, clarius est signum, quod super falsas esse debeat vera Religio; naturæ enim instinctus non fert ad falsum, sed ad verum, quia aliter nos falleret; quanvis deinde hominum malitia factum sit, ut hic rectus naturæ instinctus ad veram tendens Religionem depravaretur, falsas inducendo, & ampliando. Et re vera priorem supponere debemus, fuisse in mundo veram Religionem, posteriores vero falsas; quatenus vera Religio a Deo naturæ Auctore hominibus inspirata in primo homine principem obtinuit locum. Deficientibus deinde hominibus in vanitatibus suis, falsas Religiones, seu potius superstitiones effinxerunt, per quas naturæ instinctum non negarent, quia sibimetipsis blandiebantur, se Religionem habere ex una parte; & ex altera, quia majus ipsis erat commodum habere falsam, quam veram, ideo, relicta vera, falsam invenerunt, propagarunt, ac modis omnibus propugnarunt.

X. Probatur. Est in mundo, & inter homines falsa Religio: ergo est in mundo, & inter homines vera Religio. Probatur consequentia. Omnes Religiones, quæ sunt in mundo, & inter homines, nequeunt omnes esse falsæ: ergo una inter ipsas est vera, & cæteræ sunt falsæ: ergo ex positione falsarum recte inducitur veræ Religionis existentia. Quod nequeant omnes esse falsæ, ambigendum non est; tum quia aliter Deus per suam providentiam hominum regimini, & saluti, satis non consuluisset; tum etiam, quia falsæ inventæ fuerunt ad veræ Religionis similitudinem: ergo semper præter falsas admittenda est vera: ergo semper falsas omnes vera præcessit. Quodque pariter clarius constat, quia non ex exemplo falsarum inducta est vera Religio, quæ non homines, sed Deum tantummodo habet Auctorem; sed ex corruptione hominum, qui veram Religionem profitebantur, inductæ sunt falsæ: ergo semper stat, quod si est in mundo, & inter homines falsa Religio, principalius, & antiquius fuit vera.

Dicimus II., veram Religionem esse ab hominibus reperibilem.

I. Probatur. Ideo non esset reperibilis vera Religio, quia, secundum Scepticos, Pyrrhonicos, atque Academicos, nullum daretur verum, & certum, quod esset reperibile; sed hoc Pyrrhonicorum, Scepticorum, & Academicorum, principium est omnino falsum: ergo reperibilis est vera Religio. Probatur minor; tum quia si nihil est verum, & certum: ergo etiam principium illud Scepticorum non est verum, & certum: ergo est falsum; tum etiam, quia dato, quod non possit inveniri verum, & certum in rebus sensibus subjectis, hoc tamen provenit ex defectu potentiæ, & non objecti; tum quoque, quia intellectus inquirit verum; sed non est credibile, quod inquirat quod non est reperibile; quia aliter Deus dedisset illi inclinationem non explebilem, quod non est dicendum: ergo si inquirit verum, & ad hoc inclinationem habet, ipsum potest quoque invenire; tum denique quia etsi intellectus varient in inquisitione veri, non per hoc tamen dicendum est, quod verum inveniri non possit; quia aliud est, quod non valeant aliqui ipsum invenire; aliud est, quod ipsum inveniri omnino non possit. Et hæc eo magis confirmantur, quia res est de Religione, cujus veritas, & doctrina, non est naturalis rationis, & discursus, sed Superioris ordinis divinæ scilicet providentiæ, quæ ipsam homines docuit primum, & quæ postmodum hominibus proponit reperibilem, immo etiam inveniendam.

II. Probatur. Datur vera Religio: ergo vera Religio est reperibilis. Antecedens supponimus probatum in præcedenti conclusione; consequentia suadetur. Propter hominum salutem Deus veram Religionem instituit: ergo si illam instituit, reperibilem fecit; aliter hominibus, qui ipsam invenire non potuissent, nihil profuisset: ergo si datur vera Religio, eadem ab hominibus est reperibilis. Quod magis quoque confirmatur, quia Deus non solum veram Religionem instituit, sed etiam hominibus præcepit, ut eam amplecterentur; atqui frustraneum fuisset hoc præceptum, si vera Religio inveniri non posset: ergo si datur vera Religio, eadem ab hominibus est reperibilis.

III. Probatur. Vera Religio iis fuit a Deo notis insignita, quæ non alteri, quam veræ Religioni competere possunt: ergo vera Religio est vere reperibilis. Probatur antecedens. Datur de facto in mundo Religio,

ligio, quæ ut discerneretur a falsa, talibus fuit a Deo notis insignita, quæ convenire non possunt, nisi veræ Religioni: ergo vera Religio vere fuit notis illis insignita. Probatur antecedens, Religio Christiana iis est insignita notis, quæ nisi veræ Religioni competere non possunt: ergo datur de facto in mundo vera Religio, quæ notis illis fuit a Deo insignita, ut a falsa discerneretur. Antecedens supponimus, quod est loco suo probandum, & consequentia bene infertur.

Dicimus III., veram Religionem esse determinatam, & unam, non vero indifferentem, & multiplicem.

I. Probatur: Qui plures admittunt Religiones, vel ideo admittunt, quia omnes credunt esse veras, vel quia omnes tenent, esse probabiles, & nullam veram; sed utrunque est falsum: ergo admitti non potest Religionum pluralitas, seu multiplicitas, vel indifferentia. Minor probatur. Inter Religiones, quas homines profitentur, una opponitur alteri; sed verum non opponitur vero, ut omnes clamant Philosophi: ergo omnes Religiones, quæ sunt in mundo, nequeunt esse veræ, sed una tantum est vera, & aliæ sunt falsæ. Secunda pars minoris etiam probatur ex prima Conclusione, in qua ostendimus, dari in mundo veram Religionem: ergo falsum est, quod omnes Religiones sint probabiles, & nulla sit vera.

II. Probatur. Religio, quæ semel est vera, semper est vera, & Religio, quæ semel est falsa, semper est falsa. Qui ergo Religionem suscepit, vel eam suscepit ut veram, & semper debet eam servare, ac retinere, quia semper est vera. Vel eam primo suscepit ut veram, & deinde incepit dubitare, an vera sit; & tunc aut debet dubium deponere, quia est contra veritatem, de qua per tempus tam longum non dubitavit, vel debet rem conferre cum doctoribus, & sapientioribus ipso, qui ei possint dubium explanare, & difficultates resolvere, unde possit tutius in suscepta Religione permanere. Multo magis si cognovit, falsas esse Religiones alias, quas non est amplexus, quia semper falsæ remanserunt, & si non fuerunt primo dignæ, ut eas amplecteretur, nec tales tractu temporis redduntur, quia quod semel est falsum, semper est falsum.

III. Probatur. Deus, quem colimus, unus est; & si unus non esset, ut Patres docent, & præcipue Tertullianus, Deus non esset: ergo pariter vera Religio determinata est, & una. Antecedens supponimus certum, præsertim ex probatis in primo Volumine. Consequentia probatur. Quia Deus est unus, est verus Deus: ergo etiam Religio si est una, est vera Religio. Antecedens pariter probatum supponimus; quia si essent plures Dii, nemo ex ipsis esset verus Deus; aut enim uni deficeret, quod alius haberet, & sic non esset perfectissimus; aut unus destrueret, quod alius efficeret, & sic non esset omnipotens; aut unus limitaret, quod alius extenderet, & sic non esset infinitus, &c. Consequentia probatur. Ex pluribus Religionibus, quæ ab Adversariis supponuntur indifferentes, una præcipit continentiam, temperantiam, humilitatem, patientiam, fortitudinem, &c., aliæ vero de iisdem vel nec præceptum, nec consilium imponunt, vel vitia opposita permittunt. In hoc casu non possunt omnes esse veræ, quia aliter esset contradictio in ipsis, quia una esset vera, in præcipiendo, quod alia prohiberet, & alia esset vera, in prohibendo, quod alia præciperet; quæ quidem contradictio nequit verificari de una eademque veritate, quæ est veritas Religionis: ergo ex quo capite Deus non esset Deus, si non esset unus, etiam Religio non esset vera Religio, nisi esset una.

Dicimus IV., Solam Christianam Religionem, quam Catholica Ecclesia Romana profitetur, esse veram.

I. Probatur. Ex præmissis Conclusionibus datur in mundo vera Religio, eaque non est indifferens, sed determinata, & una; sed hæc est tantum Christiana Religio, quam Catholica Ecclesia Romana profitetur: ergo hæc tantum est vera. Probatur minor. Christiana Religio ita est una, ut alterius consortium non admittat; ita est determinata, ut de ea dubitationem non patiatur; ita omnem excludit indifferentiam, ut pro eodem reputet, & nullam habere Religionem, & non habere illam: ergo sola Christiana Religio, quam Catholica Ecclesia Romana profitetur, est determinata, & una: ergo sola ipsa est vera.

II. Probatur. Ex probatis pariter nuper vera Religio est reperibilis; sed non est reperibilis, aut casu, & fortuito, vel ex passionis irrationabilis impetu, vel ex carnalis appetitus impulsu: ergo est reperibilis per rationis ductum, & spiritus illuminationem; Atqui sola Christiana Religio sic est: ergo sola Christiana Religio est vera. Probatur minor. Cæteræ Religiones,

giones; præter Christianam, vel non admittunt rationis ductum, & mentis discursum, ut sunt præcipue Polìtheismus, & Mahumetanismus; vel ex præoccupatione mentis, & passionis impetu, aut carnis æstu, ortum & propagationem habuerunt, ut sunt Lutheranismus, Calvinismus, & aliorum Hæreticorum sectæ; vel ex cæcitate mentis, & cordis obstinatione perdurant, & perdurare se jactant, quemadmodum est Judaismus, & Schismaticæ factiones aliæ, quæ inter Christianos natæ, Judaismum in pertinacia, & obstinatione, imitantur: ergo sola Christiana Religio est reperibilis per rationis ductum, per mentis discursum, & per spiritus illuminationem: ergo sola ipsa est vera.

III. Probatur. Soli Christianæ Religioni, quam Ecclesia Catholica Romana profitetur, conveniunt notæ omnes, quæ communiter assignantur pro vera Religione dignoscenda: ergo sola Christiana Religio est vera. Majorem probabimus in sequentibus, quando de notis ipsis in particulari agemus, & unamquanque ostendemus Christianæ Religioni convenire, & nulli adaptari posse ex Religionibus aliis, vel potius superstitionibus, ut vere dici debent, quæ in mundo sunt. Consequentia autem bene infertur; quia notæ illæ sunt veluti characteres, quæ veram Religionem designant, & quasi digito indicant, ut ab aliis, quæ veræ non sunt, jure optimo, ac recto ordine, secernatur.

Arguunt I. Mentis anticipatio, & naturæ præjudicia, quæ cum lacte bibimus, imponunt nobis Religionis necessitatem, ejusdemque existentiam: ergo non est nobis a Deo indita Religionis idea, ita ut eam, aut non liceat deponere, aut rejicere non possimus. II. Principes mundi, qui legem Populis sibi subjectis dederunt, Religionis politicam ideo introduxerunt, ut Gentes sibi creditas in obedientia servarent, & ob numinis timorem a flagitiis revocarent: ergo Religio est potius hominum inventum, quam Dei institutio; & est magis politices arcanum, quam æternæ salutis mysterium. III. Homines tam multi, & tam magni, qui Religionem se amplecti, ac sequi, nobis ostendunt, nobis quoque fucum faciunt, ut Religionem credamus in ea præcipue ætate, in qua de Religione judicium dare non possumus, & in pluribus in ea mentis obesitate, in qua inquirere nesciunt, ac deliberare non valent. IV. Sicut vanus phantasiæ timor inducit apud quosdam spectra, quæ non sunt, imagines, quæ non fuerunt unquam, & terriculamenta, quæ nunquam alius expertus est; ita & idem phantasiæ motus aliquando Deos, eorumdenque venerationem, quæ sub Religionis nomine venit, in Orbem induxit, & modo quoque inter homines servat. Et hoc est argumentum Thomæ Hobbesii cap. 6. Leviathan, seu de materia, forma, & potestate Civitatis Ecclesiasticæ & civilis, quod paulo ante recitavimus: *Metus potentiarum invisibilium, sive fictæ illæ sint, sive ab historiis acceptæ sint publice, Religio est, si publice acceptæ non sint, superstitio*: Vel istis; quæ exstant in extremo exitu capitis undecimi ejusdem Operis pagina mihi 54. *Metus autem hic invisibilium semen est ejus, quam quisque in seipso, Religionem, in illis autem, qui diverse metuunt, coluntque, superstitionem. Religionis semen hoc, cum a pluribus animadversum fuerit, a quibusdam cultum, & in leges formatum est, opinionesque de causis rerum futurarum variæ adinventæ sunt, quibus putabant, optime fieri posse, ut alii servire sibi inducerentur.* V. Lucretius asserit, Epicurum fuisse primum, qui vanum Deorum timorem e mentibus hominum expulit. En ejus verba lib. 1. de rerum natura, quæ retulimus nuper:

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub Relligione,
Quæ caput a Cœli regionibus ostendebat
Horribili super aspectu mortalibus instans:
Primum Grajus homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra.
Quem nec fama Deum, nec flumina, nec minitanti
Murmure compressit Cœlum; sed eo magis acrem
Irritat virtutem animi confringere, ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.

Et infra:

Quare Relligio pedibus subjecta vicissim
Obteritur: nos exæquat victoria Cœlo.

Hoc posito, sic argumentantur: Si illi omnes, qui Epicuri tempore vivebant, certi fuissent de veræ Religionis existentia, cur omnes impetum non fecerunt contra Epicurum, qui eam negabat, & ad solum prosternere conabatur? Ergo signum est, quod de eadem non eam certitudinem habebant, ut de ipsa minime dubitarent. VI. Deus quocunque modo colatur ab hominibus, contentus est; & sufficit ei,

quod

quod aliquo modo colatur a quovis, qui unam, aut alteram amplectatur Religionem: ergo Religio est indifferens, & non determinata & una. Probatur antecedens. Deus apud omnes Religiones est commune nomen: ergo omnes Religiones, quæ confitentur Deum, & venerantur, Deo placent, & Deus contentus est illis. VII. Deus est optimum Numen, adeoque nequit velle, ut per cultum sui civilis vitæ tranquillitas perturbetur; atqui hoc eveniret, si non omnes Religiones ei placerent, & ipse singulis contentus non esset: ergo, &c. Probatur minor; quia Religionis caussa interdum implacabilia accenduntur bella, quæ vix nimio effuso sanguine extingui possunt. VIII. Ante Christi adventum poterat quis salvari extra Religionem Judæorum, quæ tunc putabatur vera Religio: ergo etiam nunc potest quis salvari extra Religionem Christianam, quanvis hæc sit vera Religio. Antecedens probatur exemplo Job, ut alia omittamus, qui quanvis Gentilis, salutem nihilominus consequutus est æternam. IX. Non est credibile, quod Deus ex hominibus maximam partem perire permittat, & quod soli Catholici, qui in illorum comparatione paucissimi sunt, salventur; hoc enim esset repugnans misericordiæ suæ, & generali providentiæ, quam erga omnes homines habet, & qua omnium salutem dicitur velle. X. Potest dari casus, in quo quis enutritus in sylvis, nullam habeat de Christo, & de Religione Christi, cognitionem, & nihilominus salvetur, si rationis dictamen sequatur, & secundum illud vivat: ergo absque Christiana Religione potest haberi salus. XI. Ponamus alium casum, in quo quis perveniat ad rationis usum, & nullam habeat Christi fidei notitiam, & moriatur. In hujusmodi casu vel ille talis salvabitur, & salvabitur sine fide Christi; vel ille talis damnabitur, & damnabitur sine culpa. XII. In omnibus sectis inveniuntur viri probi, timentes Deum, & mandata sua custodientes, & nihilominus in Religionibus suis usque ad finem vivunt, & in illarum fide quoque moriuntur; non est autem conveniens Deo, ut hos omnes damnet, quum illos contra justitiam suam damnaret; non enim commiserunt crimina, per quæ æternam mereantur damnationem. Quod est argumentum, quod proponebat Spinoza epist. 74. ad Juvenem nobilissimum, qui relicta hæretica perfidia, ad Romanam Ecclesiam transierat: „ Hoc „ tamen negare minime poteris, nisi forte „ cum ratione memoriam etiam amisisti, in „ quacunque Ecclesia plures dari viros ho- „ nestissimos, qui Deum justitia, & chari- „ tate colunt; plures enim hujus generis in- „ ter Lutheranos, Reformatos, Menno- „ nitas, Enthusiastas, novimus, &, ut alios „ taceam. Parentes tuos nosti, qui tempo- „ re Ducis Albani pari animi constantia, „ ac libertate, omnium tormentorum genera „ propter Religionem passi sunt: ac proinde concedere debes, vitæ sanctitatem „ non esse Romanæ Ecclesiæ, sed omnibus „ communem. „

Respondemus ad I. Mentis anticipationem, & naturæ vocem, a Deo efformari, qui est naturæ Author, & qui per illam menti nostræ loquitur adeo expresse, ut ab omnibus intelligatur; ita ut vox illa in nobis efformet Religionis ideam, quam Adversarii immerito vocant mentis anticipationem. Et quidem non solum Deus hoc pacto loquitur nobis interne per illustrationes suas, quibus mentes nostras illuminat; verum quoque externe per Creaturas, per mundi ordinem, & per omnium hominum consensum, quibus nobis compertum fit, & dari Deum, & dari Religionem, cujus solus Deus est Author, & qua Deus, uti talis ab hominibus agnoscitur, & colitur, eunque creaturæ omnes profitentur. Cæterum argumentum hoc non solum fieri potest contra Religionis existentiam, verum quoque contra existentiam Dei, quam tamen non inficiuntur Deistæ, Libertini, Indifferentes, & quicunque sunt Religionis hostes.

Ad II. respondet D. Malachias D'Inguimbert, Cisterciensis Ordinis Monachus olim, & modo Illustrissimus æque, ac doctissimus, Theodosiæ Archiepiscopus, dicens in aureo suo libro, cui titulus, *Specimen Catholicæ veritatis* lib. 6. „ Critiæ „ Tyranno, qui, Sexto Empyrico teste, „ vult, antiquos Legislatores opinionem „ de Deo, qui quæ bene, quæ male ab „ hominibus fiunt, intuetur, confinxisse, „ quo melius ista superstitione, subditorum „ animos ad officium devincirent; viri do- „ cti & graves respondere solent, eum in- „ terrogando, quibus temporibus Sapientes „ isti vixerunt: atque an ipse iisdem fuerit, „ & eorum consiliis interfuerit? Si vero non „ fuerit, porro interrogant, qui in rei ab- „ ditæ, & clam peractæ, scientiam ipse ad- „ tanto temporis intervallo devenire potue- „ rit? Mirum non est, hac interrogatione „ linguam occlusam fuisse Critiæ, qui in- „ op-

„ opprimenda Republica totus occupabatur. Sed mirum unicuique videri debet, a Benedicto Spinoza, aliisque etiam hodiernis Criticæ impietatis heredibus, qui cum fraudem (ut viros politicos docere censent) in omni re suspicentur, ac aucupentur nare venatico, quacunque cura se eximunt, ut claram sinceramque veritatem in omnibus inveniant; nullum plane ad hanc usque diem responsum elicitum fuisse. „ Igitur credi vix potest primo, quod excogitatum hoc omnium Principum fuerit, & quod omnes uno eodemque tempore illud exequutioni mandaverint; Secundo, quod nemo fuerit, vel ex illis, qui ipsis parebant, vel ex illis, qui non parebant, qui ipsorum imposturam detegerit; Tertio, quod usquemodo compertus non fuerit, sed nec comperietur, qui fuerit ille primus, qui eam animo concepit, & publicavit; Quarto, quod illam omnes homines more pecudum sequuti fuerint, & quod etiamnum sequantur, absque unius, vel alterius reclamatione; Quinto, quod ad omnes populos pervenerit, & eam uti rem sacram a Deo revelatam crediderint, absque eo quod nunquam fuerit Principum fraus publicata.

Ad III. Et quis credet, tot tantosque viros probitatis, doctrinæ, & prudentiæ laude percelebres, in Religionis negocio quod est maximum apud homines, voluisse, aut fallere, aut falli? Et illi postmodum, qui in impuberi ætate, vel ob imperitiam, vel ob ruditatem, decepti sunt, quare dum ad adultam ætatem pervenerunt, & effecti sunt docti, errorem, quo detinebantur, non agnoverunt, & a deceptione antiqua se non liberarunt. Operabatur igitur in illis vel ratio mentis, cui contradicere non poterant, vel Deus, qui omnis rationis est author, & cui se opponere nemo valet. Non sunt ergo præjudicia ætatis, quæ nos in veram Religionem induxerunt, & quæ in eadem modo tenent; sed potius divinæ gratiæ dona, quæ rationem nostram roborat, & illuminat.

Ad IV. Hæc laudatus Inguimbert citato loco reponit: „ Validissimam profecto in Christianæ Religionis fide confirmationem, & soliditatem, suppeditat seria diligensque consideratio vanorum, ac inanium somniorum, quæ ex intelligentia male in sinceram Religionem affecta coguntur excutere quotquot in eam audacius insurgunt. Sive enim e proprio, sive ex alieno penu, nihil præter deliria depromunt. Id in Hobbesio, cuivis Philosopho præsertim obvium est. Inepte enim desipit, cum sublatis velaminibus, proprias opinationes, marte proprio, nullaque subnixus ratione, aut authoritate, detegit. At cum Epicurea in suos usus derivat (quod illum sibi in morem induxisse, plurimi ante me deprehenderunt) nihil, nisi nova vocabula incredibili superbiloquentia fabricatur: innumeris se contradictionum nodis illaqueat; luculentoque Scripturæ Sacræ, quam deprimit, ut ad nihilum redigat, dicto fidem facit: cum solum, qui ambulat simpliciter, confidenter ambulare; depravantem autem vias suas manifestum fore: nec cor ingrediens duas vias, dabiturum successum. „ Igitur Adversarii nostri Religionis ideam ad terriculamenta reducunt, & ad somnia. Mirum tamen est, quod hæc terriculamenta, & somnia, tandiu durent, & in omnibus locum habeant, quum alia cito evanescant, & vix in uno, aut in altero, locum occupent.

Ad V. Ergo ante Epicurum omnium mentibus & cordibus fixa erat Religio, & nemo de illa dubitabat. Si enim Epicurus primus fuit, qui illam evertere conatus est, ante ipsum opus est, ut omnes illam profiterentur. Epicuro autem adstiterunt quotquot fuerunt illi, ad quos ipsius insaniæ cognitio pervenit; qui quidem a principio non potuerunt esse multi, quia vel ille voce suam doctrinam tradebat, vel scripto, non autem libris editis Typorum usu, qui tunc temporis non erat: Et ideo nobis plane non constat, qui fuerint, qui Epicurum, vel mendacii, vel imposturæ, vel impietatis accusarunt. Cæterum ex iis, quæ de illa Laertius narrat, plene constat, fuisse illum apud omnes male habitum, & ab omnibus concordi voce reprobatum.

Ad VI. Deus, qui est prima & summa veritas, non potest falsitatem amare, & illa contentus esse. Quum igitur ex dictis, & ex probatis, una sit Religio vera, plane sequitur, omnes alias esse falsas. Quomodo igitur poterit Deus illas habere acceptas, & iisdem contentus esse? Placet quidem illi cultus, sed rectus, rationabilis, & ab ipsomet præscriptus, qualis est ille, quem vera Religio profitetur. At aliæ huic difformes superstitiones sunt potius, a quibus Deus abhorret, & tantum abest, quod eas Deus aut gratia, aut præmio prosequatur; ut potius afficiat pœna, & contra illas indignatione commoveatur.

Ad

Ad VII. Non est vitæ tranquillitas, quam parit Religionis injuria, nec homines possunt feliciter vita frui, qui Religioni bellum indicunt. Quum autem Deus ex lege providentiæ suæ, & justitiæ, & primæ veritatis, ac æquitatis, teneatur veram Religionem tueri, & falsas persequi; inde est, quod homines punit, qui illam abjiciunt, & has amplectuntur. Et hoc ut plurimum per homines facit, qui sunt ministri indignationis suæ; & ideo bella illa permittit, in quibus veræ Religionis cultores exercentur, & qui falsas diligunt, puniuntur.

Ad VIII. Falsum omnino est, quod ante Christi adventum fuerint duæ veræ Religiones distinctæ, Synagoga Judæorum; & Ecclesia Gentilium; sed, ut ait Dominicus a Sanctissima Trinitate, Carmelita Discalceatus, in Bibliotheca Theologica tom. 5. par. 1. lib. 4. sect. 6. cap. 2. „ Una
„ dumtaxat erat, quæ componebatur ex il-
„ lis tanquam ex partibus materialibus, eam
„ integrantibus, solumque accidentaliter di-
„ stinctis, quum haberent omnes eandem
„ prorsus fidem, cæteraque omnia, quæ
„ veram Religionem essentialiter unam
„ faciunt. „

Ad IX. Non solum in Religionis caussa, sed etiam in vivendi ratione, pauci sunt, qui bene vivunt, & multo plures, qui male vivunt; & nihilominus nemo dixit, hoc esse providentiæ, & misericordiæ Dei inconveniens, ut paucos salvet, & multo plures perdat. Quia enim Deus nobis aperuit viam bonam, per quam ambulemus, & nobis dedit libertatem, ut eam eligere possimus, & nobis dat gratiam, ut eam eligamus; Si non eligimus, nostra est culpa, non Dei; & Deus nos puniendo exercet justitiam suam, quæ non minus, quam misericordia, attributorum suorum coronam ingreditur, & componit.

Ad X. S. Thomas q. 14. de veritate art. 11. ad propositum argumentum hæc reponit: *Certissime tenendum est, quod et Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret.* Et responsionem hanc desumpsit ex Augustino epist. 49. ad *Deo gratias*, ubi concludit: *Ita salus Religionis hujus, per quam solam veram salus vera, veraciterque, promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit,*

Ad XI. Juxta pariter Angelicum, quilibet homo, quando pervenit ad rationis usum, tenetur se convertere vero corde ad bonum, & ad Deum se dirigere, & vitam suam ordinare, cujus rectitudo a solo Deo dependet. Igitur in casu proposito, qui pervenit ad rationis usum, vel huic præcepto satisfecit, & per illius adimpletionem ad ulteriorem gratiam se disponit, & salvatur; vel hoc præceptum non adimplevit, & peccavit; unde si perit, non sine culpa perit.

Ad XII. Non sunt veræ virtutes hominibus, qui non habent veram fidem; sicuti non est vera fides, quia deficit fidei principium, hoc est, veræ Religionis agnitio. De illis autem virtutibus Diabolus ipse non curat, adeoque exercentes illas tentationibus suis nec exagitat, nec persequitur; quia jam scit, homines illos, etiam cum virtutis larvis, quas possident, fore damnandos, quia veram fidem non habent; adeoque a vera Religione extorres, ad Regnum Christi non pertinent. Deus autem præmium denegat, quia in iisdem meritum non invenit; quod sane esse non potest sine vera Religione, & vera Fide.

DISSERTATIO CCLII.

De Christiana Religione, seu de Christianismo. Quid ejus nomine intelligatur? Ejus institutio an a Deo? An ab aliis præter Deum? Et quodnam Dei attributum in ejus institutione maxime eluxerit?

QUID Christianismi nomine veniat, satis omnes norunt, Christianam Religionem venire. At quia insuper inquirendum occurrit, quid sub Christianæ Religionis vocabulo intelligatur, sudere hic ad rem videtur Christianismi specimen, ut P. Magnanus appellat, quo summatum ob oculos veniant Christianæ Religionis corpus, & spiritus, quibus Christianismi principia comprehenduntur.

Igitur P. Magnanus par. 1. Philosophiæ sacræ cap. 1. de Christianismo proposit. 20. hæc docet sub nomine Christianæ Religionis, seu Christianismi, intelligi: ,, In primis
,, Deum illa esse credit, & quidem quoad
,, essentiam unum; trinum vero quoad per-
,, sonas, quæ nimirum sunt Pater, Filius,
,, & Spiritus Sanctus. Eundemque subinde
,, credit cæterorum quorumlibet entium
,, esse Creatorem. Qui cum hominem creas-
,, set mente præditum; ac sui, per indiffe-
,, rentiam voluntatis, arbitrum: & ipsum
,, non tantum naturali, sed etiam altiori
,, quadam indebita, ejusque conditionem
,, exuperante, justitiæ originalis (seu ex pa-
,, cto ad posteros velut ipso jure originis
,, propagandæ) dono cumulasset; cerne-
,, retque mox eundem tantorum beneficio-
,, rum immemorem, & sua ipsius præcepta
,, nihil veritum, comesto fructu vetito
,, ruisse in culpam: ideoque supernaturali
,, omni dote nudatum; atque insuper morti
,, addictum, non modo temporariæ, sed
,, etiam æternæ. Ipse nihilominus per sum-
,, mam misericordiam, ut eum, & una
,, prædictum humanum genus eriperet sup-
,, plicio æternæ mortis, pristinoque ad æter-
,, nam vitam a se dato restitueret juri; as-
,, sumpta ad secundam Trinitatis personam,
,, hoc est ad Filium, humanitate, ingressus
,, est mundum factus homo. Isque est Jesus
,, Christus, Filius Dei, Dominus noster, qui
,, post circiter triginta tres in summa vitæ
,, sanctitate, ac verbi Dei prædicatione
,, impletos annos; vocatis Apostolis, aliis-
,, que suæ doctrinæ discipulis, instituta Ec-
,, clesia, simulque divinis supra naturæ vim
,, omnem factis tum ad Patris, & sui ipsius
,, prout Filii manifestationem, tum ad Ec-
,, clesiæ informationem & confirmationem,
,, operibus: ac demum institutis Sacramen-
,, tis, legibusque ad Dei unius ac trini cul-
,, tum datis, tradidit semetipsum sponte in
,, mortem, & in crucem suffixus, aliaque
,, multa passus, sanguinem fudit in totius
,, humani generis redemptionem. Mox au-
,, tem e sepulchro surrexit redivivus tertia
,, die, ut promiserat: & in Cœlum tandem
,, reversus; inde Apostolis, aliisque suæ
,, doctrinæ alumnis, quos in totum mun-
,, dum ad Evangelii prædicationem desti-
,, naverat, Spiritum Sanctum, hoc est, ter-
,, tiam Trinitatis personam, misit, ut ab eo
,, Christiana mysteria plenius edocti, atque
,, in fide confirmati, sub eadem fide, & spe
,, salutis, Ecclesiam in totum terrarum Or-
,, bem late propagatam fundarent. Quod
,, & illi feliciter sub ejus numine ac patro-
,, cinio præstiterunt, ipsa illa sancta fide non
,, solum ex ore in aurem tradita, & innume-
,, ris factis miraculis, proprioque in ejus te-
,, stimonium fuso sanguine confirmata, sed
,, etiam consignata sacris libris, quos vel ex
,, veteri testamento a sanctis Prophetis divi-
,, no Spiritu afflatis editos, & ab antiquiori
,, Judæorum Synagoga (quæ semper eos re-
,, ligiose servaverat) acceptos; vel a semet-
,, ipsis pro novo testamento pariter afflatis
,, conscriptos tradiderunt Ecclesiæ eadem
,, religione custodiendos: velut qui (mira
,, utriusque testamenti consensione) conti-
,, neant expresse, aut saltem implicite, atque
,, virtualiter digesta, quæcunque ad fidem,
,, & salutem ex ea consequendam necessa-
,, ria sunt. Hæc vero omnia integre, atque
,, sincere, ac firmissime credenda suscipit

,, Chri-

„ Christiana Religio; denuntiatque ita credendi debitum esse tum generale omnibus, ut dixi, tum singulis hominibus personale, divinitus impositum, hinc sub spe felicitatis summæ æternæ a credentibus recipiendæ in præmium fidei, hinc e contra sub interminatione æterni per ignem supplicii a perfidis in pœnam infidelitatis incurrendi: juxta Christi oraculum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marci 16. „

His positis

Dicimus I. institutionem Christianismi, & propagationem, non esse a caussis necessariis irrationalibus, neque a caussis rationalibus ac liberis, sed esse tantum a Deo.

Prima pars Conclusionis probatur I. Si Christianismi institutio, & propagatio, esset a caussis necessariis irrationalibus, ipsa Christiana Religio esset opus aliquod fati, & necessitatis; sed hoc est falsum: ergo Christianismi institutio, & propagatio, non est a caussis necessariis irrationalibus. Probatur minor. Ibi non est opus fati aliquod, vel necessitatis, de Religione loquentes, ubi nulla est ex natura rei necessitas, ut hæ cæremoniæ serventur potius, quam aliæ; ut hæc præcepta potius, quam alia, cum his cæremoniis conjungantur, & ubi est tota libertas indifferentiæ ad hanc Religionem amplectendam, vel rejiciendam; sed hoc totum verificatur in Christianismo: ergo falsum est, quod in Christianismo sit opus fati, & necessitatis. Probatur minor. Cæremoniæ & ritus, qui sunt in Christianismo, & præcepta, quæ in eo servantur, ex libera Dei dispositione proveniunt; nec Deus fuit illis ita alligatus, ut non potuerit alia instituere. Homines autem, ut cum merito Christianismum amplectantur, debent eum libere amplecti, adeoque nulla necessitate ducti, vel tracti, quam iisdem faceret, aut fatum, aut casus, aut fortuna, si qui in mundo sunt præter Deum.

II. Probatur. Si fuisset aliqua caussa necessaria irrationalis Christianismi, vel operata esset per se ipsam, vel per medium a se distinctum. Non per seipsam, quia caussa irrationalis, & necessaria, non potest esse auctrix effectus liberi & rationalis. Si per medium a se distinctum; iterum quærimus: vel hoc medium fuit necessarium, & irrationale, vel rationale, & liberum: Si necessarium, & irrationale, de eo redit difficultas, quam de caussa primo auctrice faciebamus: Si vero medium est rationale, & liberum, incongruum sane videtur, & omnino est, ut caussa necessaria, & irrationalis, operetur per medium liberum, & rationale. Et hæc pariter est ratio quam adhibet P. Magnanus citato loco proposit. 5.

III. Probatur. Hæc caussa necessaria, & minime rationalis, quam dicunt esse in hominibus Christianismi auctricem, vel est hominibus intrinseca, vel extrinseca: Si intrinseca; ergo omnes homines deberent esse Christiani: quare ergo hi homines sunt, & alii non sunt? Si vero est extrinseca, hæc reducitur vel ad imaginationem, vel ad astrorum influxum; & quia æque ante Christum, ac post Christum fuit imaginatio, & fuerunt syderum influentiæ: quare igitur post Christum sunt Christiani, & ante Christum non fuerunt? Si enim caussæ sunt necessariæ, & minime rationales, debent semper agere quando sunt; quum ergo hæc causa, quæ dicitur Christianismi auctrix, irrationalis quidem & necessaria, sive intrinseca sit hominibus, sive extrinseca, æque semper fuerit in iisdem, aut ante Christum, aut post Christum natum; aut igitur ante Christum natum debebant esse Christiani, sicuti modo sunt; aut post Christum natum non deberent esse Christiani, quemadmodum tunc non erant.

Secunda pars Conclusionis probatur I. Caussæ rationales, & liberæ sunt, vel Dæmones, vel Angeli boni, vel homines; sed nulli ex his potuerunt esse caussæ institutionis, & propagationis Christianismi: ergo caussæ rationales, & liberæ, neque instituerunt, neque propagarunt Christianismum. Minor primo probatur de Dæmonibus; de Angelis bonis, & de hominibus, probabitur postea. Nihil est in mundo, quod sit tam invisum, & adversum Dæmonibus, quam Christiana Religio: ergo non potuerunt Dæmones esse caussæ Christianismi. Consequentia sequitur, quia aliter Dæmones pugnarent contra seipsos, & destruerent Regnum suum. Antecedens probatur tum ex ipso Christianismi exordio, tum ex ipsiusmet Christianismi vivendi ratione. Et primo quidem, quia a Christianismi prædicatione factum est, ut per crucis imperium totus pene Orbis Christo subjiceretur, qui antea Dæmonum tyrannidi obediebat; unde destructa sunt idola, & ipsorum delubra eversa, in quibus Diabolus adorabatur; falsa Numina eliminata, Idololatria extincta, Politheismus dissipatus. Secundo quoque, quia Christiani hoc solemne habent,

beat, immortale bellum gerere contra implacabilem humani generis inimicum; & summi Dei perduellem, qui est Diabolus.

II. Probatur de iisdem Dæmonibus. Ante Christi adventum in omnibus fere mundi plagis Dæmones dominabantur, & in sola Judæa verus Deus agnoscebatur, & colebatur; post vero Christi prædicationem, & Discipulorum ejus, erepta fuerunt Dæmonibus templa, sacrificia, & populi adoratores; Unde Dæmones cessarunt in pluribus saltem locis oracula dare, & homines deludere, præstigias facere, & gentes terrere, maleficia multiplicare, & genus humanum inficere; Atqui hoc totum non favet Dæmonibus, sed potius adversatur: ergo nullo modo potuerunt Dæmones esse caussæ illius Religionis, cujus erat institutum, & exercitium, Dæmones persequi, & homines ab ipsorum servitute liberare.

III. Probatur pariter de Dæmonibus. Christiana Religio maxime cæteris omnibus superstitionibus præstat propter vitæ rectitudinem, morum probitatem, atque legum denique sanctitatem; Dæmones vero mundum implebant spurcitiis, & veneficiis, & homines torquebant non tantum tentationibus occultis, verum quoque sceleribus Deorum, quæ hominibus proponebant in exemplum. Quum ergo tam directe opponantur, & Dæmonum agendi ratio, & Christianæ Religionis agendi debitum; quis credet, Dæmones instituisse, ac propagasse Christianismum, cujus leges ipsorum facta destruebant, & cujus cultores, adorantes illos, ab ipsorum adoratione revocabant? Quis credet, Dæmones vel iniisse consilium, ut ipsorum maleficia cessarent, vel dedisse manus, ut nequitiæ, quas in hominibus summopere promovebant, finem haberent? Quis demum credet, effecisse Diabolum, ut vitium, quod sustentabat, de throno caderet, & virtus, quam persequebatur, in thronum ascenderet?

Probatur modo de Angelis bonis, eos scilicet non fuisse caussam principalem Christiani Instituti, etsi fuerint instrumentaria, & ministerialis. Et quidem I. Angeli sancti ex una parte non mentiuntur, quia quum omnem sanctitatem colant, maxime quoque observant veritatem, quæ sanctitatis est fundamentum: Ex altera vero parte non semel hominibus revelarunt ac dixerunt, Deum esse Christianismi Authorem: ergo ipsi non fuerunt principales caussæ Christianæ Religionis. Et quod ad eam instituendam, & propagandam, operam dederint suam; hoc tantum facit, quod caussæ ministeriales, & instrumentales fuerint, servientes scilicet Deo, qui ipsorum operam adhibebat, ut Christiana Religio institueretur, ac propagaretur. Unde semper stat, quod ipsius solus Author principalis fuerit Deus.

II. Probatur de iisdem Angelis. In Christiana Religione continentur plura mysteria revelata, quæ superant naturalem captum, & quæ certissime ab hominibus sunt credenda; sed hæc non poterant ab Angelis excogitari, & hominibus proponi: ergo Angeli boni non fuerunt principales caussæ Christianæ Religionis. Probatur minor. Angeli ad ita instituendum, seu fingendum, vel inducti fuissent ex malo affectu in Deum, & in homines, vel ex bono affectu, sed simul per ignorantiam; non ex malo affectu in Deum, & in homines, quia, quum sint sancti & purissimi Spiritus, non possunt non amare Deum, quem agnoscunt Authorem, & odio prosequi homines, quos Deus amat, & cujus præseferunt imaginem ac similitudinem. Neque ex bono affectu; sed simul per ignorantiam, quia hæc ignorantia fuisset talis, ac tanta, ut in iis erraverint, in quibus error maximus esset, qui usquam esse posset, si forte aliquis esset in iis, quæ fides christiana docet, ut asserit P. Magnanus proposit. 8.

III. Probatur pariter de Angelis bonis ab eodem P. Magnano, cujus quoque sunt cæteræ, quas adduximus, probationes: Posito, ut fingitur ab Adversariis, Angelos fuisse principales Authores Christianæ Religionis, sic contra eosdem Adversarios argumentamur: Vel Christiana Religio est in se vera, vel est in se falsa; & quidem vera secundum omnia omnino capita; & quidem falsa, saltem secundum aliquod, vel secundum omnia. Si vera: ergo non fuerunt Angeli illius Authores, sed Deus; hoc est enim principale caput Christianæ Religionis, quod scilicet habeat pro Authore Deum: Si falsa: ergo Angeli boni, quos fatemur omnes esse sapientissimos, & sanctissimos, superarunt Dæmones malitia & ignorantia. Probatur hæc ultima consequentia a P. Magnano citato loco num. 3. „ Nihil enim pejus
„ potuere Dæmones contra Deum machi-
„ nari, quam ut in ejus throno crucifixum
„ alienum a Divinitate collocarent; nihil
„ excogitare vel somniare, quam hujusmodi

„ fa-

„ fabulam Crucifixi Dei, si is revera Deus „ minime est. Nihil etiam contra homines „ potuere pejus facere, quam eos ad hujusmodi colendum Deum incitare. Sed quia „ hoc evidenter impossibile est, nisi Angelos ipsos quis dicat esse Dæmones, vel „ Dæmonibus pejores, sequitur, &c. „

Probatur I. de hominibus. Homines finxerunt olim fabulas, easque narrarunt; ut fecerunt Poetæ: Scripserunt pariter leges in genere mortalitatis bonas, & utiles, ut præstiterunt Plato, & alii Philosophi; atqui nunquam poterant homines efficere, ut Christiana Religio cum sua fide, & cum sua lege, susciperetur ab hominibus, ex humana tantum industria ac potestate; ergo Christiana Religio non fuit hominum inventum, ac proinde non habet homines authores præcipuos, & principales, sed solum Deum. Probatur minor, proponendo Christianismi ortum, & Propagatores ejus; item considerando arma, & pugnandi ritus, quibus Propagatores ejus pugnarunt; denique recogitando hostes, ipsorumque potentiam; contra quos dimicarunt, & quos vicerunt. Et quidem post Christum mortuum Evangelium ejus promulgarunt homines imperiti ac viles, ac per totum ferme Orbem disseminarunt. Hoc probatione non indiget, quia non solum Authores nostri restantur, sed Ethnici quoque Scriptores. Et posito hoc, sic P. Magnanus extenso calamo exclamat simul & probat: „ Quis vero jam „ credat; prudenter, inquam, credat, homunciones illos duodecim ex infima plebe, rudes, imperitos, piscatores, pauperes, „ imbelles, inermes, contemptibiles, Magnatum præsidio destitutos, universo contra eos mundo sua cum sapientia, & Imperatorum potentia, & machinamentis „ Diaboli, obsistente, fremente, sæviente; „ tantum potuisse nullo auxiliante, ac tantum sapuisse nullo patrocinante; ut simplici illa sua & humili prædicatione Dæmones e templis, atque idolis expulerint; „ sapientes coegerint colla dare jugo fidei; „ & quidem fidei de rebus creditu difficillimis, quas nec sensus agnoscit, nec intellectus potest capere: quin & toti mundo „ legem imposuerint rigidam, asperrimam, „ sensibilium deliciarum inimicam; denique difficillimam: ut est injurias non vindicare, sed remittere, diligere inimicos, „ confiteri humiliter ac sincere peccata „ propria occulta, motus voluptatum coercere, sua omnia dare pauperibus, relinquere parentes, & cognatos, oblectamenta respuere corporis, abnegare se ipsum, „ tollere suam crucem, ac similia? Quis „ Orator, quis Philosophus, Plato, Demosthenes, hæc mundo persuadere potuisset? „

II. Probatur. Viles illi, & imperiti Piscatores, qui consilium inierunt de Christi Religione, ubique gentium disseminanda, & de Orbis imperio Christi Cruci subjiciendo, vel hoc statuerunt suo proprio marte, vel ex Christi nutu, ipsos suadentis, allicientis, ac quasi etiam impellentis? Non primum, quia ruditas natalium exercitii vilitas, & literarum defectus, non poterat eis tam arduum opus inspirare. Si autem Christi nutu; iterum interrogamus: vel Christi promittentis tertia die se resurrecturum, innumerabilia miracula operantis, & heroicas virtutes in tota vita sua exercentis, vel nihil tale operantis? Si hoc secundum: ergo postquam certi facti sunt de Christi fallacia, & deceptos se agnoverunt, debebant Christum relinquere, & eo mortuo, non amplius prædicationem doctrinæ suæ continuare. Si vero primum; quum miracula illa non potuerint esse, nisi a Deo, & virtutes illæ exerceri non potuissent sine Deo, semper stat, quod Deus illos moverit ad Christi sequelam, & ad doctrinæ ejus prædicationem. Si autem Christus promisit illis se tertia die resurrecturum, vel resurrexit, vel non resurrexit? Si resurrexit: ergo Deus operabatur in illis, & quidem manifestissimo veritatis suæ lumine ac testimonio: Si non resurrexit: ergo comperta Christi fallacia, debebant ad sanam mentem redire, & credere non potuissent esse Deum, qui eos mendacio deceperat, sed potius percipere ac publicare debuissent, quod fuerit fœdus impostor, & turpis deceptor, ac proinde debebant eum deserere, & illis dare manus, qui eum abhorrebant, & super omnes abominabantur. Quod cum non fecerint signum est, quod Christus illa omnia adimplevit, quæ ipsis promisit, & proinde crediderunt vere illum esse Deum; illa enim facere non potuisset, nisi Deus esset cum illo.

III. Probatur. Piscatores illi, ea omnia præstiterunt cum rei familiaris dispendio, cum famæ jactura, cum vitæ discrimine; & nihilominus per tam longum tempus in proposito firmi ac stabiles permanserunt. Et quanvis innumera paterentur, ludibria devorarent, periculis se exponerent; nunquam tamen nec Christo vivente, nec eo extincto, ab ipso recesserunt.

Un-

Unde ergo eis hæc immobilis constantia, hæc perseverantia invicta? Non a voluptatum illecebris, quia vitam degebant ærumnis & persequutionibus plenam; non ab acquirendi aviditate, quia & sua deseruerant, & aliena non appetebant; non a dominandi ambitu, quia nullus eis erat honor, nulla gloria, nulla potestas. Igitur si nullum ex humanis habuerunt impulsum, ut Christo adhærerent, Legem ejus servarent, Religionem amplecterentur, ac prædicarent, dicendum omnino est, quod solus Deus illos movebat, ut Christum invicto animo sequerentur, & omnium Regnorum gentibus annuntiarent.

Tertia Conclusionis pars, quod scilicet Christianismi institutio sit a Deo, probatur I. Christianismi institutio non est a caussis necessariis & irrationalibus; non est a caussis rationalibus & liberis, scilicet non est a Dæmonibus, non est ab Angelis, non est ab hominibus: ergo est a Deo. Consequentia, propter sufficientem partium enumerationem, bene infertur; antecedens supponimus paulo ante probatum.

II. Probatur ex Christianæ Religionis mirabili institutione, ac omnimode miraculosa propagatione; quod quidem argumentum laudatus Inguimbert sic luculenter, & eleganter proponit. „ In Judeæ loco angusto & humili nascitur homo, cum ab humano consilio, tum ab omnibus rebus nudus & inops. Despicatissimam, commodisque omnibus destitutam, imo necessariis orbatam præsidiis, agit vitam; nunquam vel glebam unam possidet: aurum, argentum, supellectilem, domum propriam habet nullam; non aliam totis triginta annis artem quam vel tenuissimi fabri munus exercet. Ubi primum in lucem prodit, Principes, Optimates, & Doctissimos quosque, suis habet dictis adversantes. Doctrina ejus in vulgi contemptum vocatur. Lapidibus & insidiis vita ipsius non semel appetitur. In vincula conjicitur; tandemque qua frigidis quidem ac jejunis, acerbissima tamen calumnia, qua minis apud iniquissimum Judicem agunt Judæi, ut eum flagris concidi, atque immani crucis supplicio, per summam ignominiam duos inter Latrones jubeat addici. Se illi comites adjungunt despicatissimi, illiteratique Piscatores, in communi vita, & vulgari hominum consuetudine hebetes ac rudes, urbanarumque rerum insolentes. Tantum abest, ut ad assentationem eruditi, tempori servire studeant; ut potius inclementer ac dure adoriantur cujuscunque Sectæ veritati repugnantes Pontifices, Sacerdotes, Reges, & Doctores, ut ipsis denuncient, Viro illi Galilæo in omnibus plene ac perfecte credendum esse. Cum tamen legem ipse condiderit, quæ voluptatibus, & ferme humanæ naturæ bellum indicit; ea diligenda proponendo, a quibus vehementissime mundus abhorret: ea vero respuenda, quæ maxime diligit. Non acrius ipsi in voluptates, & idola bellum commovent, quam totus in eos mundus conspirat. Morte turpissima mulctato Magistro, Discipuli rem omnium longe difficillimam, novissimam, mirificissimamque, aggrediuntur. De Divinis ad doctos, superbosque viros, omnis omnino eruditionis expertes, abjectique homunciones orationem habere non dubitant. Durissimæ cervicis Hebræorum gentis in Deum semper contumacius erectæ, acerrime Prophetis omnibus obluctantis, & novissime in Dominum ac Regem Prophetarum rebellatricis, mores immutare, erroresque circa fidem depellere se posse arbitrantur. Hebræis suadere volunt, hominem illum, quem cruci suffixerant, & quem horrenda morte affectum humanitus supremum diem perspexerant obeuntem, Filium tamen Dei, exspectatumque Messiam esse. Maximis sane, inauditisque ausis prompti efficere volunt, ut Jesus Nazareni Judices in prava sententia pertinacissimi, se, quod eum condemnaverint, damnent; ut ex interfectoribus cultores fiant: eumque tanquam immortalem & authorem vitæ, suspiciant ac venerentur, cui paulo ante vitam abstulerunt. Judæi perfidiosi dolorem, qui veritatis testis est, perstudiosius admovent, ut videant, num importuni Christi laudatores ac defensores ipsum Dei filium immortalem, hominibusque ad vitam datum, non tantum præconio vocis, sed & testimonio passionis essent prædicaturi. Itaque in crucem, immanissimisve suppliciis tolluntur potissimi causæ Christi Actores. Stant imperterriti, qui supersunt. Interficiuntur isti; exsurgunt alii haud dispari præditi magnanimitate, qui intrepide se totos periculis, & morti offerendo: & invicta patientia de Regibus, de Pontificibus, de falsis Numinibus, de inveteratis cultoribus eorum, de Philosophia, de acutissimis politicis, de homine, de voluptatibus, de universo mundo, triumphant. Exstincti sunt proceres, persecutores occubue-

„ cubue-

„ cubuerunt. Regnant & dominantur Pi-
„ scatorum successores: eoque majores se
„ Regibus existimant, quo demissius illis fa-
„ mulantur. Hæc autem sunt eximia divi-
„ næ virtutis insignia; hoc trophæum sin-
„ gularis triumphi: quod Piscatorum præ-
„ dicatione corruerint templa, Idola depe-
„ rierint, cessaverint pecudum mugitus, &
„ victimæ, ipsæque aræ cum thuris fumo
„ jam evanuerint. „

III. Probatur. Si Religio Christiana non fuisset a Deo, & si Deum non habuisset Institutorem simul, & Propagatorem, jam fuisset penitus evulsa, destructa, & ad nihilum redacta; sed illa etiamnum perseverat, floret, & in dies magis magisque crescit & augetur: ergo a Deo fuit, & Deum habuit Institutorem simul & Propagatorem. Major probatur; tot enim tantæque contra illam persequutiones surrexerunt; tot tantaque odia, & quidem implacabilia, exarserunt; tot Principes & Potestates debellare eam tentarunt; tot Doctores & Sapientes seculi eam convellere conati sunt; ut quodcunque opus quantumvis firmissimum, resistere non potuisset, & oportuisset omnino cedere atque cessare; ut in eodem proposito in Judæorum Concilio dixit Gamaliel: ergo si adhuc Christiana Religio perdurat, & veluti scopulum in medio maris fluctuum ictus non pertimescit, signum est quidem moraliter evidens, quod ipsa sit a Deo, & Deum habeat Institutorem & Propagatorem. Quod quidem argumentum majus robur acquirit ex comparatione aliarum Religionum, seu potius superstitionum, quæ statim post ortum evanuerunt, & ad nihilum redactæ sunt.

Dicimus II. infinitam Dei bonitatem fuisse attributum illud præcipuum, quod in Christianismi institutione maxime eluxit.

I. Probatur. Bonitas Dei infinita fuit præcipuum illud divinum attributum, quod hominem a Deo creari fecit: ergo pariter esse debuit illud præcipuum, quod faceret, ut Deus hominem Religionem doceret. Antecedens est certum, quia bonitas pro charactere suo habet, ut se diffundat, & bonitas, infinita præsertim, ut se diffundat infinite; Quum ergo se voluerit diffundere ad extra, creavit Angelos, creavit homines, creavit cæteras creaturas, in quas se finite diffudit propter terminorum finitatem; infinite enim jam se diffuderat ad intra. Consequentia probatur. Diffusio bonitatis debet esse proportionata ad terminum, in quem se diffundit; quum ergo Deus creaverit Angelos, qui post ipsorum viam, & confirmationem in gratia, eum intuitive videbant, non erat opus, ut eos Religionem doceret; cæteræ autem creaturæ erant Religionis incapaces; solus homo illius erat capax; poterat tamen in illa invenienda, & exercenda errare: Unde convenientissimum erat, & ad suam bonitatem spectabat præcipue, ut Deus hominem Religionem doceret.

II. Probatur. Eo modo conveniebat, ut Deus hominem Religionem doceret, quo modo poterat homo illam percipere, amplecti, & exercere; sed hoc Deus præstando, suam infinitam bonitatem in exercitio ponebat: ergo bonitas ejus infinita fuit attributum illud, quod in Religionis Christianæ institutione maxime eluxit. Major est certa; quia quum creaverit Deus hominem intelligentem ac liberum, pariter debebat eum instruere, ut homo prudenter se gereret, doctrinæ ejus assentiendo, & illam amplectendo; minor etiam patet, quia summæ bonitatis divinæ est, quod Deus homini se accommodet, & illum doceat modo proportionato constitutioni suæ.

III. Probatur. Quum Religio Christiana sit maxime conformis rationi, & quanvis illam aliquando superet in mysteriis; quæ credenda proponit, ei tamen non adversatur, ut suo loco probabimus; æquissimum fuit, ut Deus ea homini credendi motiva proponeret, ut homo posset credendorum veritati assensum præbere; & ea pariter gratiæ auxilia homini præstare, ut assensum daret illis, non solum cum facilitate, sed etiam cum promptitudine, ac suavitate; sed hoc totum provenire non poterat, nisi a summa Dei bonitate, qua Deus nos docet, & nobis præcipit, quæ nobis sunt propria, & quæ rationi nostræ non adversantur, licet nostræ mentis captum superent; & qua pariter Deus nobis dat auxilia, ut illa, quæ nostræ mentis captum superant, percipiamus, ita ut prudenter credere possimus, & iisdem assentiri sine formidine valeamus: ergo bonitas Dei summa fuit præcipuum illud divinum attributum, quod in Christianæ Religionis institutione eluxit.

Opponunt I. In Evangelio legimus, Dæmones aliquando personæ Christi testimonium exhibuisse, ac ejus doctrinam per obedientiam, quam ipsi præstabant, confirmasse: ergo Dæmones in Christianismi institutione Actores fuerunt. II. Pariter in

Evangelio invenimus, Angelos bonos multa mysteria Christianæ Religionis homines docuisse: ergo Angeli quoque boni Religionis Christianæ caussæ fuerunt. III. Mahumeti superstitio, pluribus ab hinc seculis instituta, durat etiamnum, & propagata per Europam, per Asiam, per Africam, per quam late videtur: ergo diuturnitas Christianæ Religionis, & ejusdem extensio per Orbem fere totum, non est argumentum veritatis illius. IV. Mahumetus fuit vilis mulio, & nihilominus suam Religionem, seu superstitionem, ita instituit, ac dilatavit, ut plura imperia eidem subjecerit, & Regna innumera illam susceperint: ergo non est argumentum, quo bene probetur Christianæ Religionis veritas, quod illam prædicaverint Piscatores viles, ac per totum Orbem propagaverint. V. Miracula etiam in aliis superstitionibus instituendis, ac propagandis, intervenerunt, ut in ipsarum historiis legitur: ergo miracula non sunt proprium, & ineluctabile Christianæ Religionis argumentum. VI. Qui apud Turcas in sanctitatis opinione sunt, non minoribus se offerunt cruciatibus, quam se obtulerint in Christiana Religione Martyres: ergo argumentum, a Martyribus deductum, non est sufficiens ad probandam Christianæ Religionis veritatem. VII. Hæreses innumeræ, quæ in Christiana Religione olim fuerunt exortæ, & quæ semper in dies oriuntur, plane ostendunt, illam non fuisse a Deo; Deus enim unus est, una est veritas; cur ergo cum uno Deo, & cum una veritate, possunt stare simul tot schismata, tot hæreses, & tot errores, cum una Religione, cujus Author unus est Deus, & cujus anima una est veritas? VIII. Congruentius videtur dici, quod Providentia divina fuerit præcipuum attributum, quod eluxerit in Christianæ Religionis institutione; quia providentiæ opus est homines ducere ad finem, non solum naturalem, verum quoque supernaturalem, quod per Religionem fit.

Respondemus ad I. Dæmones inviti quam maxime præstitere illud, quod in Evangelio legimus, & in objectione proponitur, ad Christianæ Religionis confirmationem. Christus enim imperio, quod supra illos habebat, cogebat eos, ut faterentur, quæ ultro nunquam fassi fuissent; sicque per illorum confessionem confunderet Judæorum obstinationem, & Gentilium incredulitatem. Hoc autem non est certe fuisse Dæmones Christianæ Religionis caussas, sed fuit potius Christianæ Religionis veritati deservire, quia ita illis Christus, qui erat verus ejusdem Religionis Author, imperabat.

Ad II. Angeli boni in iis, quæ præstiterunt in Christianæ Religionis institutione ac propagatione, fuerunt ministri Dei, qui illis utebatur, ut mysteria hominibus revelaret, vel aliquando etiam explanaret. Igitur ex hoc tantum deduci potest, quod Deus per Angelos, seu ministerio Angelorum, Christianismum vel fundaverit, vel firmaverit, vel dilataverit; adeoque Angelos bonos fuisse Christianismi caussas immediatas, ac subordinatas, quod nos in conclusione nostra non negavimus.

Ad III. Nunquam tam late patuit Mahumeti superstitio, quam latissime extensa est Religio Christi; tum si præterita tempora recolamus; tum si præsentia perspiciamus. In illa enim Orbis parte, quam Americam dicimus, nullus est Mahumeti cultus, nulla superstitionis ejus notitia; & nihilominus in eadem Christi Religio floret. Vetustis vero temporibus totam ferme Asiam, totam Africam, & universam fane Europam Christianismus implebat; quod quidem de Mahumetismo nec legitur, nec videtur. Denique non mirum, si Mahumeti superstitio late propagata fuerit, quia quum faveat carni, & sensui, facillime invenit barbaros Populos, qui eam avidissime amplecterentur. Non sic autem Religio Christi, quæ bellum implacabile voluptatibus carnis, & sensus oblectamentis, indicit; & quæ non apud Gentes imperitas, sed sapientes ac doctas, diffusa olim fuit, & modo dilatata servatur. Hoc quidem mirandum, quod Religio, quæ præcipit Professoribus suis carnem spiritui subjicere, sensum rationi obedire, & rationem divinæ revelationi captivare, adeo extensa fuerit, ut docti in omnibus fere mundi plagis, eam non solum non expugnaverint, sed amplexati fuerint, ac usque ad ultimam sanguinis guttam constantissime propugnaverint. Audiatur Chrysostomus homil. 1. in cap. 1. Matthæi: *Quæ sapientes seculi ne per somnium quidem aliquando imaginari potuerunt, hæc isti* (Apostoli, & Evangelistæ) *cum assefeveratione manifesta annunciant, atque persuadent subjugantes fidei non solum nostræ ætatis homines, sed etiam eos, qui ante nos defuncti sunt: & non duos, non viginti, non centum, aut mille, aut decem millia: sed Urbes, & Populos, terram prorsus ac mare, Græciam simul, ac Bar-*

ba-

b.itiam, & habitabiles partes Orbis, ipsumque desertum. Et certe ea persuadebant, quæ naturam nostram longe probantur excedere. Siquidem relinquentes omnino terram de cælestibus differebant; docentes nos, aliam superesse vitam, aliamque mortem, alterum mundum, & conversationem novam, omniaque mutata. Non sicut Plato ridiculam illam condidit Rempublicam, aut Zeno, vel si quis alius de Republica conscripsit, legesque composuit. Siquidem hæc ipsa sunt, quibus facile monstratur, quoniam malignus Spiritus, & Dæmon quidem ferus, hostisque naturæ, & impugnator castitatis, totiusque honestatis inimicus, omnia sursum deorsumque permiscens, eorum mentibus inspiravit. Cum communes omnibus faciant conjuges, nudasque ad palæstram Virgines ducant ad spectaculum hominum, & libidinis irritamentum; cum occultas concilient nuptias, omnes in unum ex consensu luxuriæ pecunias conferentes, ac pervertentes Leges, finesque naturæ: quid de his aliud pronunciari potest? Nam quod omnia illa inventa sint Dæmonum, & contra naturam probentur esse, quæ dicunt, poterit nobis esse testis ipsa natura, quæ talia audire non patitur, cum certa non sub persequutionum metu, non cum periculis, & præliis, sed cum omni securitate docentium, licentiaque dicantur, multa insuper cura, ambituque magno sermonis ornata. Hæc vero, quæ a Piscatoribus prædicata sunt, exagitatis undique, sæpius verberatis, inter pericula jugiter consistentis: absque ullo loquentibus cultu, & arte verborum, & imperiti, & eruditi, & servi, & liberi, & Reges, & milites, & Græci, & Barbari, omni cum reverentia susceperunt. Neque vero dicere poteris parva hæc esse, nimisque humilia, & ideo facile a cunctis suscepta: cum utique multo hæc sint illorum dogmatibus celsiora. Virginitatis enim illi nec in somno imaginati sunt dignitatem; nec contemtum habendi, atque jejunia, nec quidquam aliud de sublimiore doctrina. Nostri autem Magistri non solum opus turpe condemnant; neque tantummodo concupiscentiam prohibere contenti sunt: sed & vultum impudicum, & inhonesta verba, risumque lascivum, sed & habitum inordinatum, incessum inconditum, atque clamorem, & omnino usque ad humilia præcepta deducunt diligentiam disciplinæ. Itaque universum prorsus Orbem virginitatis plantatione complerunt; & de Deo, rebusque cælestibus, ea philosophari docent, quæ illorum nullus aliquando potuit vel mente concipere. Unde enim sapere hæc illi possent, qui monstrorum, atque serpentium aliorum etiam viliorum imagines deitatis nomine consecrarunt? Attamen tam sublimia illa nostrorum dogmata, & suscepta, & credita sunt, & florent quotidie, atque succrescunt; eorum vero exagitata sunt, passimque disperdita, & arancarum telis facilius dissoluta.

Ad IV. Etsi Mahumetus fuerit vilis homo, belliger tamen fuit, & superstitionem suam fraudibus instituit; & armis propagavit. Quot bella ipse gessit, quot certamina Successores ejus inierunt, ut longe lateque extenderent, quam profitebantur, Religionem? Nihil tale in primis Religionis nostræ Propagatoribus, qui humilitate, paupertate, mansuetudine, ærumnis, persequutionibus, & morte demum, Christianismum mortalibus annuntiarunt, & Evangelium in fines Orbis terræ propagarunt, ac promulgarunt. Nihil violentum fuit in ipsis observatum, nihil bellicum, nullum præpotentiæ signum, sed omnia erant in despectu, in labore, & in indigentia summa, argumenta. Hoc sane mirandum maxime est, quod potuerint isti hac vita protendere latius Religionem nostram, quam potuerit Mahumetus per seditiones, per certamina, per arma, per tumultus, & bella

Ad V. Quæ miracula fuerint illa Mahumeti, illa Gentilium, illa Hæreticorum, omnes norunt, qui vel ex limine historiam salutarunt. Fuerunt scilicet miracula ficta, falsa, mendicata, ac ab omni veritatis, & credibilitatis specie, aliena. At miracula Christi, ac Discipulorum ejus, pariter & illorum omnium, qui doctrinam ejus prædicarunt, nemo qui rationis sit compos, ausus est unquam in dubium revocare. Verum de miraculis, quibus Religio Christi instituta, confirmata, ac propagata fuit, alibi expressior, ac luculentior erit sermo.

Ad VI. Hypocritas illos, qui apud Turcas inveniuntur, ex aliorum relatione, & ex librorum lectione, novimus. At inter illos, & nostros Martyres, non unum aut alterum discrimen agnoscimus. Et primo quidem, quia illi proprias lacerant carnes, sed non oppetiunt mortem; propriis manibus vulnera sibi inferunt, at non lethalia; & post sanguinem effusum, omnem Veneris libidinem amplectuntur, ad quam per voluntaria illa tormenta se disponunt. At Martyres nostri passiones incredibiles sustinuerunt, mortem oppetierunt, & nullam expectarunt, sive licitam, sive illicitam, in hac vita delectationem. Secundo illis obstinatio, & obcæcatio ad tormenta perferenda vires præstant; nostris au-

rem Martyribus per visibilia signa Deus præstabat virtutem, ut cruciatus illos læto animo paterentur. Tertio per vitiorum exercitium illi etiam in lacerationibus constituti, in despectu sunt; at nostri Martyres in admiratione ac veneratione; ita ut & quando patiebantur, & post ipsorum passionem & mortem, eos universæ gentes venerarentur, ac sacro etiam cultu adorarent; & nihilominus nemo fuit, qui iisdem aut cœlos opponeret, aut vitam quovis modo criminaretur.

Ad VII. Hæreses fuerunt etiam in Hebraismo, quando Hebræorum fides recta erat, & Deo placebat; sunt pariter sectæ in Mahumetismo; fuerunt identidem in Arianismo, & sunt etiamnum in Calvinismo, Lutheranismo, &c. Quod autem fuerint, & sint in Christianismo, in nihilo veritati Religionis nostræ officiunt, quia Ecclesia, ad quam spectat de vera Religione judicare, illas omnes proscribit & damnat, & unam tantum profitetur esse veram Christianam Religionem, quæ catholica est, & Romana. Utque propositum argumentum aliquam contra nos haberet vim, si nos hæreses omnes, quæ in Christianismo nascuntur, & perdurant, probaremus; quia tunc multiplicitas sectarum, & hæresum diversitas, immo & contrarietas, unitati Religionis nostræ obstaret. At nos omnes hæreses, Sectas omnes, rejicimus ac detestamur, & solam unam catholicam Romanam Religionem amplectimur, sequimur, ac propugnamus.

Ad VIII. Utique providentia, quam Deus de hominibus habet, illum movit, ut homines duceret ad supernaturalem finem; at hoc fuisse dicimus exercitium illius bonitatis, quam Deus erga homines habet, & quæ nostro intelligendi modo præcedit exercitium illud, quo Deus disponit, sicuti voluntas, qua aliquis movetur ad operandum aliquid, præcedit operationem, qua illud idem actu operatur. Bonitatem ergo divinam constituimus in voluntate Dei, qua Deus ita voluit hominum saluti providere, ut illis daret Religionem, per quam possent divinam ejus majestatem in hac vita colere ac venerari, possent quoque supremæ suæ potestati in hoc mundo obedire, ac possent demum in æterna vita illum videre, ac ejus beatitudine per omnia secula perfrui. Admittimus igitur & bonitatem divinam, & divinam quoque providentiam inter attributa Dei, per quæ nos a Deo Religionem habuimus; at cum hac differentia, quod bonitas Deum movit, ut nobis Religionem daret, providentia autem dedit.

DISSERTATIO CCLIII.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujuscemodi fuerint mysteriorum obscuritas & sublimitas? An præceptorum asperitas atque sanctitas? An dogmatum supra naturalem rationem eminentia, & eorundem cum eadem ratione concordia?

Dicimus I., motivum amplectendi Christianismum esse mysteriorum obscuritatem, eorumdemque sublimitatem.

I. Probatur. Hæc mysteriorum obscuritas ac sublimitas non potest esse, nisi a Deo; sed hoc est maxime motivum amplectendi illa: ergo mysteriorum obscuritas & sublimitas sunt maxime motivum amplectendi Christianismum. Minor negari non potest; quod enim est a Deo, est maxime verum, adeoque non potest rationabiliter & prudenter respui. Probatur major, tum a priori, tum a posteriori, hoc est ab effectu; & quidem a posteriori, quia mysteria tam obscura, & tam sublimia, amplexi sunt omnes fere cujuscunque status, cœtus, & conditionis; Principes scilicet, Sapientes, Populi supra

omnes

omnes cultu: ergo signum est, quod Deus operabatur in illis, ut eadem amplecterentur: Et quanvis fuerint aliquando ab aliquibus impugnata, nunquam tamen factum est, ut expugnarentur, nunquam de loco ceciderunt, sed semper permanserunt, & etiamnum permanent, in hominum mentibus immobilia. Persecutores quidem insævierunt in illa credentes; at nunquam obtinere potuerunt, ut a credendo desisterent; & licet pœnosissimam ducerent vitam, adhuc tamen retinebant obscuram fidem. Probatur major illa a priori; quia si fuissent hominum inventa, facile usque modo detecta fuisset Impostorum audacia. Et quum fuerint a Deo proposita, digna esse debebant illius sapientia, qui illa proponebat: non fuissent autem sic digna, si hominum captui fuissent proportionata; quis enim dicet unquam, quod Deus docere, & facere, illa tantum possit, quæ possunt homines concipere? Aliter Dei sapientia & potentia non essent summæ, infinitæ, & incomprehensibiles, quia æquarentur humanarum mentium capacitati, quæ est infima, misera, ac limitata.

II. Probatur. Quæ sunt humanæ mentis inventiones, tractu temporis dilabuntur, & quæ prius credebantur scientiæ, opiniones fiunt; temporis enim successu deteguntur difficultates, quæ prius erant occultæ, & quia inveniuntur insuperabiles, hinc est, quod quæ prius credebatur scientia, evadit opinio; sed post tot secula mysteria Christianæ Religionis, quanvis obscura & sublimia, semper permanserunt in eodem credibilitatis gradu, in quo a principio fuerunt: ergo non fuerunt humanæ inventiones, sed cœlestes a Deo datæ doctrinæ. Hoc argumentum sic proposuit P. Magnanus prop. 12. „ Humanæ „ omnes, quæ more humano sunt scientiæ, „ facile seipsis dilabuntur solo temporis „ lapsu. Nam in scientiis quidem speculativis, sicut deest evidentia, evidens est, „ nihil esse mutabilius quam opiniones, quas „ tum in scholis, tum alibi, constat paulatim, aliquo addito vel subtracto, immutari, „ ac demum penitus inverti, ac suscipi contrarias. In moralibus autem longe adhuc „ major est evidentia mutabilitas; quatenus „ in his non modo non est, quo firmetur assensus intellectus (ubi deest, ut dixi, evidentia) sed neque est, quo firmetur affectus, qui in moribus præcipuas partes „ gerit. Et quanvis esset, quo firmaretur „ cum intellectu affectus voluntatis, multum obest firmitati utriusque, & eis mutabilitatem facile creat, difficultas operis. „ Etenim ubi admovenda est manus operi, „ si qua difficultas occurrat, quæ sensum „ percellat; nihil frequentius in humanis, „ quam ut retundatur affectus, & frigeat „ paulatim, ac demum penitus evanescat. „ Ita cernere est Philosophorum sectas, quæ „ ferverant olim, deletas nunc ex animo: „ quanquam adversus eas nullus ferro, & „ cæde, pugnaverit. Ex hoc, inquam, patet, non humani esse instituti, sed divini, „ sacrorum fidem; quæ, quantumvis de se „ inferat hinc leges appetitui sensuique molestas hinc veritates obscuras intellectui; „ & illatis ab extrinseco fuerit malis gravissimis pressa semper, stetit nihilominus invicta, & floruit magis; atque hoc ipso argumentum de se præbet certissimum, fore ut in posterum pariter stet, atque florear „.

III. Probatur: Posita hac mysteriorum obscuritate, & sublimitate, si fuissent homines, qui illa invenissent, qui docuissent, qui publicassent, efficere nullo modo potuissent, ut ea reciperentur a Populis, & per tam longum tempus custodirentur: ergo fuit Deus solus, qui illa potuit sic invenire, docere, & publicare, ut ea omnes reciperent & custodirent. Probatur antecedens. Romani Imperatores obtinere non potuerunt, ut Platonicæ Reipublicæ leges in una sola civitate reciperentur, & servarentur; & nihilominus leges illæ nihil obscurum ac sublime credendum proponebant: ergo si nostræ Religionis mysteria sunt obscura & sublimia, & nihilominus a Populis, Regnis, & Nationibus, recepta fuerunt, atque servata, & usque ad præsens servantur & custodiuntur, non fuerunt illa hominum inventa, sed doctrina Dei, & Deo digna, quia nobis obscura, & in se ipsa sublimis.

Dicimus II. motivum amplectendi Christianismum esse præceptorum asperitatem, atque sanctitatem.

I. Probatur. Ut homines præcepta hæc reciperent atque observarent, non movebantur a præsentis vitæ illecebris, non a temporalium rerum questu, non a mundanæ ambitionis stimulo; sed tantum vel a Deo intus agente in ipsorum animis, vel a rerum æternarum spe, quæ illis dulcia reddebat, quæ erant ardua & aspera; sed quodcunque dicatur, semper stat, quod solus Deus fuerit illorum præceptorum Author ac Legislator: ergo ipsa nobis fortissimum esse debent motivum, ut ea ample-

plectamur, quia Deum habent Authorem, ac Remuneratorem. Et quidem in hoc maxime differt Christi Religio a Mahumeti impostura, & ab aliorum Novatorum sectis, quod illi proponunt delicias & suavitatem vitæ, augmentum census, & vel gloriam dominationis, vel imperii fastum, ac principatum. Nobis autem promittuntur æterna; quæ quanvis Libertini dicant esse incerta, divina tamen promissione freti, certissima ea nos esse credimus; & quanvis hæc non probentur, nos adhuc speramus, quia melior est conditio illius, qui spe fretus expectat, quam illorum, qui nihil expectant, & nihil sperant. Unde Arnobius lib. 2. adversus Gentes scribebat: *Sed & ipse* (Christus) *quæ pollicetur, non probat. Ita est, Nulla enim, ut dixi, futurorum potest exsistere comprobatio. Cum ergo hæc sit conditio futurorum, ut teneri & comprehendi nullius possint anticipationis attactu: nonne purior ratio est, ex duobus incertis, & in ambigua exspectatione pendentibus, id potius credere, quod aliquas spes ferat, quam omnino quod nullas? In illo enim periculi nihil est, si quod dicitur imminere, cassum fiat & vacuum; in hoc damnum est maximum, id est, salutis amissio, si cum tempus advenerit, aperiatur non fuisse mendacium.*

II. Probatur. Incredibile videtur, quod voluerint homines, qui non erant insani, nec amentes, nec perditi, amplecti præcepta tam ardua & aspera, & hoc cum continuo amittendæ vitæ periculo, & cum imminentis mortis discrimine, sine aliquo interno Dei impulsu, qui ipsos movebat: ergo si homines illi, qui sapientes erant, & probi, & prudentes, amplexi sunt præcepta tam ardua & aspera Christianæ Religionis, signum est nobis moraliter evidens, quod Deus operabatur in illis, ut ea reciperent, atque servarent; sed Deus operari non poterat ad extensionem & propagationem falsitatis: ergo si Deus operabatur, ut reciperentur, & servarentur præcepta tam aspera & ardua Christianæ Religionis, Christiana Religio est vera: ergo asperitas præceptorum est motivum amplectendi Christianam Religionem. Et hoc quoque argumentum ita prosequitur P. Magnanus citata proposit. 12. „Minorem evidentem faciunt
„ hinc experientia, hinc probatissimæ tota
„ antiquitate historiæ. Experientia, qua
„ constat evidenter Christianarum tum ve-
„ ritatum inevidentia, tum legum secundum
„ se sumptarum asperitas. Historiæ tum
„ Ecclesiasticæ, tum exteræ, quibus non
„ minus certum est suscitatas atrocissimas
„ toto furente orbe persecutiones contra
„ Christi fidem; & hanc nihilominus non
„ modo non ullum eis passam esse detri-
„ mentum sui; sed e contra maximum sem-
„ per suscepisse cum splendore, plurimoque
„ ardore animi incrementum: & ex parvis
„ initiis in hanc quæ hodie cernitur toto
„ Orbe diffusam amplitudinem devenisse.
„ Tertullian. in Apolol. *Nec quidquam ta-*
„ *men proficit exquisitior crudelitas vestra;*
„ *illecebra est magis sectæ; plures efficimur,*
„ *quoties metimur a vobis: semen est sanguis*
„ *Christianorum* „.

III. Probatur. Inter præcepta Christianismi, etsi ardua & aspera, nullum est invenire, quod non sit æquum, justum, ac sanctum; sed sanctitas est unum ex Dei attributis, & quod ita convenit Deo, ut nullum possit ab eo provenire opus, quod non sit sanctum: ergo si præcepta nostræ Religionis sunt sancta, non potuerunt habere Authorem, nisi Deum: ergo sanctitas præceptorum est motivum amplectendi Christianismum. Et quidem, si comparemus præcepta nostræ Legis cum illis Turcarum, & Sectariorum, cum moribus Libertinorum, & Atheistarum, inveniemus, illa omnia continere nequitias immanissimas, & scelera spurcissima, nostra autem in omnibus redolere innocentiam ac sanctitatem. Et hoc adeo compertum veteribus fuit, ut Religionis nostræ hostes infensissimi nunquam potuerint nobis objicere dogma unum, quod totam sanctitatem ex integro non contineret. Immo plures maleferiati homines & perditæ mentis, animique corrupti, deserentes Christianismum, ut sceleribus ex professo vacarent, satis ostenderunt Religionis Christianæ sanctitatem, quam ipsi propter vitiorum corruptelam facto suo fatebantur, se sustinere non potuisse.

Dicimus III. motivum amplectendi Christianismum esse dogmatum ipsius eminentiam supra rationem naturalem, & eorumdem cum eadem naturali ratione concordiam summam.

I. Probatur. Quæ sunt eminentia supra rationem naturalem, sunt prudenter credibilia; sed christianæ Religionis dogmata sunt eminentia supra rationem naturalem: ergo sunt prudenter credibilia: Sed quæ sunt prudenter credibilia, sunt motivum amplectendi Religionem illam, cujus sunt dogmata: ergo eminentia dogmatum Christianismi supra rationem

natu-

naturalem, sunt motivum amplectendi ipsum Christianismum. Major patet; quia quæ superant rationem nostram, non possunt esse nostræ mentis inventa, adeoque superiorem agnoscunt caussam, a qua fuerint instituta simul ac promulgata: Unde per hoc, quod superant nostrum captum, creduntur & non sciuntur, & per hoc, quod caussam superiorem habere dignoscuntur, prudenter quidem, & non leviter, creduntur. Minor negari non potest, quia dogmata nostræ Religionis mens nostra non assequitur: ergo sunt eminentia supra rationem naturalem. Denique minor subsumpta omnino constat, „quia esse aliquam Religionem prudenter credibilem, est motivum & quidem forte, ut illam amplectamur.

II. Probatur. Dogmata Christianismi, etsi sint eminentia supra rationem naturalem; non sunt tamen ipsi rationi naturali contraria; sed quæ non sunt ipsi naturali rationi contraria, sunt evidenter credibilia: ergo dogmata Christianismi sunt evidenter credibilia: ergo sunt nobis motivum, ut Christianismum amplectamur. De majori propositione nemo rationabiliter potest dubitare, & præcipue si consideret sequentem discursum, quem parte 1. de Christianismo proposit. 17. exhibet P. Magnanus: „ Quid enim esse potest „ vero similius, vel dignius fide, quam id „ quod præter authoritatem, ipsa pene „ suadet ratio; quale est evidenter id omne, „ cui licet rationem superanti, constat ipsamet non adversari, sed plene consonare „ rationem: quatenus licet non sit tale, ut „ ipsum possit humana ratio determinate „ asequi velut demonstrans de facto existere; tale tamen est, ut ratio naturalis demonstret non solum non esse ejus existennam aliquid impossibile; sed etiam esse „ quid maxime conveniens tum dignitati, „ & magnitudini, aut bonitati Dei, rum „ alus per se notis. Id, inquam, evidenter „ ab intrinseco est credibile; quia evidens „ est esse ipsum secundum se tale; ut ab „ intrinseco & nihil habeat, quo adversetur „ credibilitati sui, & plurimum habeat, „ quo sibi apud prudentes fidem conciliet. „ Evidens enim est eminentiam rei, seu magnitudinem, qua naturalem superat vim „ rationis, credibilitati ejusdem nihil detrahere; dum ea magnitudo, & eminentia „ non sit contra vim rationis. Et simul evidens est illam eandem rei eminentiam „ conciliare illimet fidem omnium judicio „ prudentum; ubi ostenditur esse omnino „ consonum rationi, ut illa sit ita eximia; „ & excedat naturale rationis lumen „.

III. Probatur. Quantumvis plurimum laboraverint Christianæ Religionis hostes, ut probarent, ipsius dogmata non esse rectæ rationi conformia, nihil tamen obtinuerunt, quod a nostris non fuerit contra ipsos retortum, ostendentibus, & nullum dogma esse impossibile, & nullum cum altero importare contradictionem, & nullum esse contra rationem, etsi sit supra illam; sed hoc est forte motivum amplectendi Christianismum: ergo, &c. Hoc pariter argumentum ita prosequitur P. Magnanus cit. loc. „ Quia primum in facto „ evidens est Christianæ fidei sacris nihil „ contineri, quod ita sit supra rationem, ut „ simul sit contra; siquidem ratio naturalis „ facile demonstrat vel ipsa secundum se „ Christiana sacra non esse re vera impossibilia; vel sane futiles esse ac nullas eas „ argutias, quibus Adversarii nituntur illorum impossibilitatem probare. Ut constabit in particulari, Deo favente, suis „ locis, ubi de singulis agetur. Deinde „ cum sit evidens ea, quæ Dei sunt, humano captu non posse comprehendi: consequenter est hoc ipso evidens, ea mysteria, quæ Deum secundum se spectant vel „ bonitatem, justitiam, aliave similia, velut in genere, ejus attributa, non ideo „ esse obnoxia suspicioni, vel minus credibilia, quod supra captum nostrum sint; „ sed e contra eo titulo, quo Dei magnitudinem amplius decent, eodem multo plus „ habere credibilitatis; posito quo aliunde „ (ut ad majorem dicebam) non pugnent „ contra rationem. Tertio cum sit evidens, „ posse Deum plurima efficere, quæ excedant captum nostrum: hoc ipso evidens „ etiam est, hujusmodi mysteria, quæ divinam in particulari omnipotentiam commendant, non ideo magis excedere fidem, „ aut esse minus digna fide, quod captum „ superent: sed e contra ideo esse credibiliora, quia quo magis captum nostrum „ superant, eo magis Deum decent. „

Obstant I. Averroes vocavit Religionem Christianorum Religionem impossibilium: ergo impossibilia sunt, quæ Christi Religio credenda proponit, & quæ præcipit observanda; illa quidem, quia superant mentis nostræ captum; hæc quoque, quia excedunt virium nostrarum imbecillitatem; unde & pro illis intellectus deficit, & pro his caro non resistit. II. Quæ credenda proponit Christiana Religio non proponebat Religio Judæorum; aut ergo illa

illa deficiebat in essentialibus, aut hæc superabundat, & excedit. Et probatur; quia Trinitatis mysterium non tenebantur credere Judæi, nec obligabantur credere Messiæ divinitatem, nec alia credendi onus habebant, quod nos Christiani habemus. Nos enim tenemur credere Trinitatem personarum, & naturæ divinæ unitatem, incarnationem Verbi Dei in Sacro Virginis utero, existentiam Angelorum & Dæmonum, illorumque naturam omnino corporis expertem, quæ credere Judæi non tenebantur. III. Multa præcepta data sunt nobis, quæ Judæis imposita non fuerunt; & præcipue circa ciborum delectum, castitatis observantiam, paupertatis studium, mansuetudinis exercitium, & alia similia. Si ergo Judæi sine his præceptis salvari poterant, quare non possumus & nos? Et si nos sine illis salutem consequi non valemus, quare illi consequebantur? Et præsertim Ecclesia nostra tot nobis, tantasque imponit Leges, quas ipsorum Ecclesia illis non imponebat. Unde videtur, quod onus, humeris Christianorum impositum, sit vere insupportabile. IV. Quod est sanctum, semper est sanctum, & quod est verum, semper est verum: aut ergo quæ modo observant Christiani, non sunt sancta; aut quæ modo credunt, non sunt vera; quia tempore Legis Naturæ, & tempore Legis Mosaicæ, illa non observabantur: ergo non erant sancta; hæc non credebantur: ergo non erant vera. V. Fabulæ, quas invenerunt Poetæ, superant etiam nostræ mentis captum, & non per hoc quis unquam dixit; fuisse distinitatis mysteria, & prudenter ab omnibus credibilia: ergo pariter dogmata nostræ Religionis non per hoc, quod superent nostræ intelligentiæ aciem, dicenda sunt divina & vera; adeo enim mendacium potest esse solemne, ut omnem superet fidem. VI. Efficacius esset motivum Christianam Religionem amplectendi, si videremus omnes illos, qui Christo nomen dederunt, ad unguem observare illa omnia, quæ nobis Christus præcepit: at quum videamus nostros Christianos nomine tantum tenus Christi esse, non vero opere, non exemplo, non vita; hinc est, quod hæc perversitas vivendi Christianorum arcet potius alios, quam alliciat, ut Christianismum amplectantur. Igitur non sufficit sanctitas præceptorum, ut quis prudenter Christianam Religionem amplectatur; sed requiritur pariter sanctitas Professorum, qui scilicet operatione confirment, quod prædicant eloquio. VII. Non omnes, qui Christianismum amplexi sunt, in eo permanserunt usque ad mortem; sed plures desertores ejus sunt facti, vel quia ab arduitate præceptorum deterriti non potuerunt in longum tempus illorum jugum portare, & illorum onus sustinere: vel quia ob obscuritatem credendorum pertæsi, non potuerunt adeo captivare intellectum, ut crederent, quæ illis ratio non suadebat, & ut concederent, quæ illis naturale lumen neganda esse dictabat. Quid magis contra rationem, quam unum esse tria, & tria esse unum? quam infinitum esse finitum, interminabile terminatum, immortale caducum, cœleste terrenum & Deum esse hominem? quam in Deo esse libertatem, & esse immutabilitatem, in homine esse gratiam, & non esse necessitatem ad operandum? sed hæc omnia proponit nobis credenda Christiana Religio: ergo, &c.

Respondemus ad I. Averroes, vel quicunque alius fuerit, omnes deridebat Religiones, quia nullam profitebatur. Nec testimonium desumendum est ab acerrimo nostræ Religionis hoste, qui suam quoque superstitionem irrisionibus excipiebat; Quum enim ipse Mahumeti sectam profiteretur, illam vocabat Religionem porcorum. Cæterum nos admittimus, Religionem Christianorum esse impossibilium, sed apparenter, non vere impossibilium; quatenus scilicet ea, quæ credimus, apparent impossibilia, sed non sunt. Et quia ideo apparent impossibilia, quia superant mentis nostræ captum, ideo bene possumus inferre, quia nobis impossibilia apparent, iccirco esse vera. Ideo enim superant mentis nostræ captum, quia sunt a Deo, qui potest plus facere, quam nos concipere; & quia ideo sunt vera, quia sunt a Deo: ergo ideo sunt vera, quia superant mentis nostræ captum; & quum superent mentis nostræ captum, quia apparent impossibilia: ergo quia apparent impossibilia, ideo sunt vera.

Ad II. Judæi tenebantur credere Trinitatis mysterium implicite, non autem explicite, quia explicite illis omnibus non fuerat nec revelatum, nec promulgatum; ac tenebantur etiam explicite credere Patriarchæ, & Prophetæ, aliique Primates Populi, quibus illud Deus expresse revelaverat. Sic etiam dicitur de divinitate Messiæ, & de aliis mysteriis, quæ congeruntur in ar-

argumento. Non oportebat autem, Deum illa revelasse Judæis omnibus explicite, sicut oportuit eadem revelare explicite Christianis, quia nondum tempus advenerat Incarnationis Filii Dei, qui illa omnia per seipsum revelavit. Igitur nos eadem credimus, quæ credebant Judæi, sed non eodem modo, & diversitas modi respicit temporis diversitatem. Denique quanvis Judæi non crederent Trinitatis mysterium, & alia explicite, non per hoc tamen illa inficiabantur, sicuti modo inficiantur; & hoc probandum erat in argumento, ut aliquam vim haberet.

Ad III. Multa præcepta imposita quoque erant Judæis, quæ nobis non imponuntur; & ex hoc omnes Mosaicæ Legis periti inferunt, gravius fuisse Judæorum onus, quam nostrum. Porro præcepta naturalia, eadem erant apud Judæos, ac sunt apud Christianos; præcepta vero Legis scriptæ sunt immutata, quia post Legem Mosaicam advenit Lex gratiæ, quæ dulcior, ac facilior est illa. Præcepta etiam cæremonialia, ac judiciaria, cessarunt; Unde semper stat, quod minora sunt præcepta, quæ Christianis imponuntur illis, quæ Judæis imponebantur.

Ad IV. De præceptis naturalibus & divinis argumentum nequit procedere, quia hæc, ut dictum est, eadem sunt modo apud nos, ac erant tunc temporis apud Judæos. Præcepta vero positiva sunt mutata, & hoc non est novum, quia aliqua possunt esse sancta pro una temporis circumstantia, quæ pro alia sunt indifferentia. Quæ autem sunt vera semper quidem debent esse vera, & ideo nos credimus, quæ credebant Judæi, & Judæi non negabant, quæ nos credimus. Et si aliqua est diversitas in eo est tantum, quod Judæi quædam credebant futura, nos autem credimus facta; ut sunt Messiæ adventus, quem illi sperabant venturum, & nos credimus venisse; & multa etiam vaticinia, quæ tunc impleta non erant, & modo sunt adimpleta.

Ad V. Fabulæ Poetarum erant utplurimum contra rationem, contra experientiam, contra veritatem; & ideo erant fabulæ, & mendacia; at dogmata nostra, etsi sint supra naturalem rationem, non tamen sunt contra, sed sunt juxta illam, ut in superioribus probatum est. Quis enim asserere vere potest, quod omnes simul Religionis nostræ hostes, etsi scientifici, etsi sapientes, etsi doctissimi, probaverint unquam vel unum Christianæ Religionis mysterium, aut dogma, esse rectæ rationi contrarium? Quum ex adverso facili negotio possimus omnes ostendere, fabulas Poetarum putidissima esse mendacia, quæ rectæ rationi omni ex parte opponuntur.

Ad VI. Sanctitas præceptorum non dependet a sanctitate illorum, qui illa debent exequi, & non exequuntur; aliter nulla Lex esset sancta, quia non omnes & singuli obediunt ei. Perversi homines erant quoque apud Judæos, quando Lex eorum in sua validitate permanebat; & nihilominus ex perversitate illorum nullum veritati Legis præjudicium inferebatur. Sunt quoque in omni secta homines iniqui ac scelestissimi, & nemo ex hoc solum desumpsit argumentum, ut ipsorum superstitiones impugnaret. Et si dicatur, quod homines perversi in majori numero sint apud Christianos, quam apud alios superstitionum professores, dicimus, quod hoc est potius veritatis nostræ Religionis argumentum, quam falsitatis. Ubi enim plura sunt peccata, ibi majores sunt tentationes, quæ a Diabolo fiunt, ut ab observantia veræ Religionis homines deficiant. Diabolus enim non ita frequenter ac fortiter tentat illos, quos jam credit esse suos, sed illos, qui sui non sunt: ergo si multitudo peccatorum est argumentum multitudinis tentationum, & multitudo tentationum est indicium veritatis Religionis, plane sequitur, quod multitudo Christianorum, qui male vivunt, sit potius argumentum veritatis, quam falsitatis Christianæ Religionis.

Ad VII. Etiam ex Angelis tertia pars decidit, & nihilominus ex hoc inferri non potest, quod Angeli boni, qui cum Deo conjuncti permanserunt, non sint beati. Recedere a bono, vel est effectus libertatis humanæ, qua homines abutuntur, vel humanæ inconstantiæ, per quam homines nunquam in eodem statu permanent. Argumentum valeret, si probaret, quod illi ideo a Christiana Religione defecerunt, vel quia comperierunt esse falsam, vel non esse sanctam, quod nec fit, nec fiet unquam. Argumentum autem potius contrarium probat, quod est pro nobis, non contra nos.

Ad VIII. De his omnibus vel actum est, vel agetur, in propriis locis, in quibus vel ostendemus nullam contineri contradictionem in eo, quod Deus unus in natura sit trinus in personis; quod Divinitas Verbi sit per hypostaticam unionem hu-

manitati conjuncta; quod Deus sit omnimode immutabilis, & omnino liber; & sic de cæteris similibus, quæ in objectione proponuntur.

DISSERTATIO CCLIV.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujuscemodi fuerint miracula, in ejus institutione perpetrata? An miracula, quæ etiamnum perpetrantur? An miracula, quæ in aliis sectis minime fiunt?

ARGUMENTO a miraculis ducto, ut vera probaretur Christi Religio, primo usus est ipsemet Christus, Marci 16. dicens: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Insuper Matthæi 11. idem Christus, ut se Messiam probaret, Joannis Baptistæ discipulis respondebat: *Euntes, renunciate Joanni quæ audistis & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*. Post vero Christum eodem argumento usi sunt Chrysostomus homil. 3. in epist. 2. ad Corinth., Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8., & lib. de utilitate credendi cap. 14., 15., & 16. Arnobius, Lactantius, aliique Patres passim.

Verum, ne in vocum seu nominum æquivocationibus laboremus, scire oportet primo, quod hæc nomina miraculum, prodigium, portentum, signum, mirabile, & similia, idem significant, & important quodcunque opus in admirationem inducens, vel per magnitudinem, vel per novitatem, vel per raritatem, & hoc propter occultæ caussæ ignorationem; quod docet Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 16. Et quanvis miraculi vox in veteri Testamento legatur, & non in novo, cujus loco legitur signum, prodigium, ut habetur Actorum 2. *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum*: Et cap. 5. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe*: attamen sub hac nominum varietate eadem est res, quæ significatur; hoc est opera naturæ vires excedentia.

Scire oportet secundo, miraculum vel esse tale comparatione facta viribus naturæ; vel respectu intelligentiæ hominum rudium & idiotarum; vel ita insolitum, quod omnis naturæ creaturæ vim, ac potestatem, excedat. Primo modo nullum videtur esse signum seu miraculum, quia nihil est, quod respectu divinæ potentiæ, ac sapientiæ, miraculum dici possit. Deus profecto nihil admiratur, & quia cognoscit & comprehendit caussas omnium, quæ fiunt, & fieri possunt, & quia ipse est caussa principalis omnium, quæ fiunt. Secundo modo neque proprie est miraculum, quia imperiti & rudes homines omnia nova ac inusitata admirantur; unde apud illos miracula reputantur, & quæ fiunt a Dæmonibus per Magos, sortilegos, &c. & etiam illa, quæ faciunt homines in mechanica insignes; uti fuerunt Columba lignea Architæ, navis Archimedis, & alia, quæ dicuntur facta a Boetio. Verum denique & proprie miraculum est, quod ita est insolitum, quod superet vim ac potestatem naturæ. Et quia hic excessus triplex esse potest, inde est, quod triplex genus miraculorum distinguitur; primum est, ubi excessus virium naturæ creatæ ita est in eo, quod fit, ut nullo modo possit illud natura facere; & hæc dicuntur miracula secundum substantiam. Secundum est, ubi superantur vires naturæ, non secundum substantiam, sed secundum materiam, quatenus naturaliter produci non possunt ex tali vel in tali materia. Tertium tandem est excessus tantum in modo, vel in ordine, aut in alia simili circumstantia; quando scilicet morbus sine ullo medicamento, aut in instanti curatur. His positis.

Dicimus I., miracula, sive a Christo, sive ab Apostolis perpetrata in Christianæ Religionis institutione, ac propagatione, esse

esse motivum amplectendi Christianismum.

I. Probatur. Motivum amplectendi Christianismum est moralis evidentia, quod Christianismus sit a Deo; sed miracula perpetrata a Christo, & ab Apostolis, in Christianismi institutione ac propagatione, ostendunt, Christianismum esse a Deo: ergo miracula illa sunt sufficientissimum motivum amplectendi Christianismum. Major nequit negari, quia miracula sunt veluti sigilla omnipotentiæ, & veracitatis Dei, quibus non utitur Deus ad approbationem falsi, sed veri. Probatur minor. Miracula fuerunt perpetrata a Christo, qui erat Christianismi Author, & ea Christus effecit in Christianismi confirmationem; sed hæc non poterat facere Christus, nisi Christianismus esset a Deo: ergo miracula perpetrata a Christo & ab ejus Apostolis, in Christianismi institutione ac propagatione, ostendunt Christianismum esse a Deo. Probatur major, quia neque Gentiles, neque Judæi, negarunt unquam miracula, quæ fecit Christus. Præcipue autem Judæi, & Principes ipsorum Joannis 11. dicebant post suscitatum a Christo Lazarum, qui fuerat mortuus quatriduanus: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*. Et postquam Petrus sanavit claudum ad templi januam, dicebant pariter Actorum 4. *Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, & non possumus negare*. Post quæ subdimus testimonium Josephi Judæi de Christo lib. 18. Antiquit. Judaicar. cap. 4. *Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Judæis, quam de Gentibus, Sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum a nostræ gentis Principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio ceperant. Apparuit enim eis tertia die vivus iterum, ut divinitus de eo vates hæc & alia multa miranda, prædixerunt, &c.* Quod Christus autem miracula fecerit in probationem Christianæ Religionis, ipsemet Christus expressit Joannis 11. quando suscitaturus erat Lazarum: *Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, clamavit, Lazare, veni foras; & statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis*. Insuper Actorum 4. Petrus & Joannes interrogati *in qua virtute, aut in quo nomine, fecistis hoc vos?* Responderunt: *Principes Populi, & Seniores, audite... Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis: in hoc iste astat coram vobis sanus*. Denique Apostolus 1. ad Corinth. 2. scribebat: *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Et 2 ad Corinth 12. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus*.

II. Probatur. Deus faciendo illa miracula, quæ operatus est Christus in institutione Christianismi, & quæ operati sunt Apostoli in ejusdem propagatione, vel fecit illa in Christianæ Religionis confirmationem, vel ob alium finem sibi cognitum, & nobis occultum? Si primum: ergo jam miracula sunt motivum amplectendi Christianismum, & Christianismus est verus. Si secundum: ergo Deus aut voluit, nos decipi, aut voluit ipse nos decipere; sed utrunque est contrarium divinæ ejus bonitati, veracitati, fidelitati, ac infallibilitati: ergo &c. Et probatur: quia, quum Deus illa miracula fecerit rogatus & invocatus, ut doctrinam, quæ docebatur, miraculis confirmaret; si ob alium finem miracula fecisset, aut voluisset decipere illos, qui eum invocabant, aut voluisset, decipi illos, qui miracula videbant.

III. Probatur. Miracula Christi testantur ipsimet Gentiles, testatur Mahumetus, testantur alii Religionis Christi inimici: ergo nullum de iisdem miraculis prudenter haberi potest dubium. Probatur antecedens. Pilatus scripsit Tiberio Imperatori epistolam de Christo, quam narrat Eusebius lib. 2. Histor. Eccles. cap. 2. ex Tertulliano, quanvis hanc eandem Epistolam Critici suppositam esse dicant, & in eadem totus est, ut Christi miracula patefaciat. Mahumetus, ut ex Philippo Guadagnolo tract. de Alcorano cap. 4. sect. 1., & 1. asserit P. Magnanus proposit. 13. „ Fatetur a Christo ejusque Apostolis facta „ miracula, in Alcorano cap. 4., ubi & „ numeratur panum, pisciumque multipli„catio,

D 2

,, catio, de qua Joan. 6. Et ejusdem Alcor. ,, cap. 2. agnoscitur divina in Christo omnipotentia ad sanandos mutos, & leprosos, mortuosque vivificandos. Et in sua ascensione in cœlum commendat se precibus Christi, quem hoc ipso agnoscit majorem se. Et referente Thoma a Jesu lib. 10., qui est de conversione Saracenorum procuranda, par. 2. cap. 1., Mahometes idem cap. 5. Alcor. Angelos inducit, Mariam sic alloquentes: O Maria omnibus viris & mulieribus splendidior, mundior, & jucundior, ferimus tibi summi nuntii gaudium cum Verbo Dei, qui est Jesus, qui est facies omnium gentium in hoc seculo, & futuro: vir sapiens optimus ab universitatis Creatore mittitur .... Filius tuus cæcos & mutos curabit, leprosos mundabit, mortuos resuscitabit ..... Et Deus Jesum affatus; Ego, inquit, tuam ad me reducens animam, & exaltans eos, qui te sequuti sunt, iis qui Verbo tuo non crediderunt, superponens; incredulos summis cruciatibus & hic & in futuro seculo afficiam: fidelibus vero & benefactoribus merita sua cum gaudio referam. De virtutibus igitur, & justitiis Jesu ita tibi revelare decrevimus. Ita Angeli apud Mahometem: quanquam impurissimi circulatoris testimonium non magis puto esse recipiendum, quam eorum, de quibus dicitur Marci 1. *Dæmonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum*,,.

Pro secunda Dissertationis parte Hæretici Novatores, nimirum Stillinfletus in Anglia, Zuickerus in Hollandia, Danhaverus in Germania, errando scripserunt, non persistere in Ecclesia Romana miraculorum gloriam, quam Christus veræ Ecclesiæ promisit. Calvinus autem, impius miraculorum osor, vel quia illa perpetravit facere, & non fecit, vel quia, quæ a Catholicis fiebant, jugulum suæ sectæ parabant, insaniendo dixit, miracula non esse necessaria ad veram Ecclesiam dignoscendam. Contra hos omnes

Dicimus II., miraculorum gratiam semper in vera Ecclesia perseverasse, & etiamnum perseverare; adeoque miracula esse motivum veram Ecclesiam amplectendi.

I. Probatur. Miracula fuerunt promissa a Christo semper in vera Ecclesia permansura; sed permanent in Ecclesia Romana: ergo Ecclesia Romana est vera Ecclesia, & miracula, quæ in ipsa fiunt, sunt motivum amplectendi eam. Probatur major. Christus eodem modo contulit veræ Ecclesiæ & potestatem prædicandi fidem, & virtutem operandi miracula; quod legitur Marci 16. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*: Postquæ subdit. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, & bene habebunt*. His positis, sic argumentamur. Miracula ab initio indicarunt veram Christi Ecclesiam: ergo & modo indicant. Ulterius: Perseverat in Ecclesia Catholica Romana potestas prædicandi Evangelium: ergo perseverat virtus operandi miracula; eadem enim fuit promissio; Unde si in uno adimpletur, adimpletur etiam in altero. Quod si dicant Adversarii, Romanam Ecclesiam amisisse hanc virtutem, assignent tempus, quando amisit; quod non designarunt unquam, nec designabunt. Nos autem ex adverso ostendimus miracula, quæ quovis tempore in Ecclesia Romana facta fuerunt, & fiunt.

II. Probatur. Dominicus a Sanctissima Trinitate in Bibliotheca Theologica tom. 5. par. 1. lib. 4. sect. 2. cap. 2 1. ostendit, per sexdecim secula post Christum miracula Catholicæ Religionis Professoribus, & sanctitate florentibus, facta in quocunque seculo. ut videatur, miraculorum gloriam nunquam in Ecclesia Romana defecisse. Immo & ipsi Centuriatores Magdeburgenses, quamvis Hæretici, in undecim voluminibus Historiæ Ecclesiasticæ, & in singulis centuriis cap. 13. referunt ex Auctoribus illorum temporum omnia miracula, & in quovis seculo non unum, sed plura narrant. Et quamvis deinde dicant, illa fuisse aut Dæmonum præstigias, aut falsas narrationes; attamen hoc gratis asserunt, & in gratiam Lutheri, qui miracula illa negabat. Falsitas autem ipsorum in responsionibus ad objectiones patebit.

III. Probatur. Si hæc miracula, quæ in Ecclesia Romana fiunt, tribui possent vel Dæmonum præstigiis, vel falsis narrationibus, vel vanis imaginationibus, cur eodem modo non fiunt apud Judæos, apud Turcas, apud Politheos, apud Atheos, apud Deistas, apud Sectarios? Præsertim quia Dæmones illis magis favent, quam Catholicis Romanis; promovent enim caussam propriam illis favendo. Et nihilominus nullam de illorum miraculis relationem habemus, nullam ipsimet nobis obtrudunt, neque veram, neque falsam. Forsitan quia ipsi sunt sinceriores, quam

quam nos Catholici Romani, non habent præjudicia, quibus nos laboramus, non sunt impostores, uti nos sumus? Sed sinceritatem hanc in aliis rebus non ostendunt, hanc a præjudiciis libertatem non indicant, hanc imaginationis puritatem in aliis non probant. Cur ergo in hac solum miraculorum perpetratione jactant, quæ magis illis faveret, quam quæcunque res alia, in quibus ut minimum se fallaces & impostores ostendunt?

Dicimus III. miracula, quæ non fiunt in aliis sectis, quæ sunt ab Ecclesia Romana extorres, esse pariter motivum amplectendi veram Religionem, quæ est Christiana Catholica Romana.

I. Probatur. Si Deus faceret miracula, vel fieri permitteret, in Sectis, quæ sunt ab Ecclesia Romana extorres, comprobaret falsitatem illarum; sed hoc est valde repugnans veritati & infallibilitati Dei: ergo Deus ideo non facit, vel fieri non permittit miracula in Sectis Acatholicis, quia illæ sunt falsæ, non veræ, & per consequens miracula, quæ in illis non fiunt, sunt motivum illas omnes respuendi, & amplectendi Christianam Catholicam Romanam, quæ est vera Religio. Quod quidem argumentum ita prosequitur & exponit P. Magnanus profit. 13. num. 10.

„ Cum autem hoc ita sit, quod evidens esse
„ puto, & a nemine posse negari; conse-
„ quens est non posse non specialem in hoc
„ agnosci Dei providentiam, quod nulli un-
„ quam sectæ Philosophorum, aut Religio-
„ ni ulli Polytheistarum, Atheistarum,
„ Deistarum, Mahometanorum; neque
„ Judæorum nunc post abrogatam eorum
„ legem; sed solis Christianis dedit hoc tem-
„ peramentum, quod ad miracula valere
„ supponitur. Et quidem dedit ab initio
„ continenter usque ad hæc nostra tempora;
„ quibus, etsi rarius fiunt miracula, non
„ tamen desinunt aliqua fieri & multum
„ insignia: quæ, ut solet in Sanctorum ca-
„ nonizatione, authentica forma compro-
„ bantur examinatis juridice testibus fide
„ dignissimis. Est autem evidens hujusmodi
„ temperamentum, si forte aliquod tale
„ est; non tamen esse tale, ut fuerit lex
„ aliqua in principiis naturalibus, ejus a
„ Christo ad Apostolos, & ab his ad eorum
„ posteros, vel alios fideles propagandi.
„ Quæ enim esse potuit lex propagationis
„ naturalis, ubi sola est non sanguinis, sed
„ fidei communicatio? Si autem recurret
„ aliquis ad vires imaginationis; num suam
„ etiam quantumlibet imaginatricem vim
„ habent alieni, quam habent Christiani?
„ Ut & dicebam proposit. 5. num. 4. & 5.
„ Num Judæi nunc illam amiserunt, qua
„ pollebant olim eorum Prophetæ, dum
„ lex adhuc vigeret? Num eam amittunt
„ Hæretici, dum a vera Christi Ecclesia
„ secernunt Apostatæ semetipsos? Si eam
„ vero amittunt, seu non habent, (ut evi-
„ dens est non habere) clavim & thesaurum
„ miraculorum, cum & miraculis careant:
„ hoc, inquam, ipsum evidenter ad provi-
„ dentiam Dei pertinet specialem, ut falsis
„ Religionibus subtrahat, quo miracula
„ faceret; & solis tribuat Christianis in
„ in fidem veræ divinitus traditæ Religio-
„ nis: Ergo quocunque se vertat Adversa-
„ rius, non fugit vim argumenti ex miracu-
„ lis ducti in favorem & testimonium divi-
„ num certissimum Christianæ Religionis.
„ Patet ergo evidenter minor illa primi ar-
„ gumenti, quam probare susceperam: &
„ simul patet vi formæ proposita conclu-
„ sio „.

II. Probatur. Miracula, quæ constituere habent motivum amplectendi aliquam Religionem, non debent esse privata & dubia, sed publica, certa, ac manifesta; sed nulla alia Religio, præter Christianam & Catholicam, exhibere potest hæc miracula, non privata & dubia, sed publica certe, & manifesta: ergo in aliis Sectis, præter Christianam Religionem & Catholicam, nec facta fuerunt, nec fiunt, miracula, quæ sint motivum amplectendi illas; & potius sunt in Christiana, & catholica, ut eam profiteamur. Major est doctrina S. Augustini, & S. Thomæ. Augustinus docet lib. 17. de Civit. Dei cap. 13. loquens de Lege Mosaica: *Cum oporteret Dei legem in edictis Angelorum terribiliter dari, non uni hominum, paucisque sapientibus, sed universæ genti, & populo ingenti, coram eodem populo magna facta sunt in monte, ubi lex per unum dabatur, conspiciente multitudine, metuenda, ac tremenda, quæ fiebant: non enim populus Israel sic Moysi credidit, quemadmodum suo Lycurgo Lacedæmonii, quod a Jove, seu Apolline, leges, quas condidit, accepisset: cum enim lex dabatur populo, qua coli unus jubebatur Deus; in conspectu ipsius populi, quantum sufficere divina providentia judicat, mirabilibus rerum signis, ac motibus, apparebat ad eandem legem dandam Creatori servire creaturam.* Et S. Thomas 3. p. qu. 29. art. 1. ad 2. *Sciendum, quod miraculorum Dei quædam sunt, de quibus est fides, sicut miraculum virginei partus, & resurrectionis Domini, &*

etiam

etiam Sacramenti Altaris, & ideo Dominus voluit ista occultiora esse, ut fides eorum magis meritoria esset: quaedam vero miracula sunt ad fidei comprobationem, & ista debent esse manifesta.

III. Probatur. Idem Angelicus 3. p. q. 43. art. 2. docet, quod miracula fiunt a Deo ob duplicem caussam; quarum prima est, ut ostendat praesentiam suam in homine per gratiam Spiritus Sancti, sive ut ostendat sanctitatem alicujus hominis, quem vult aliis proponere ut virtutis exemplum: Secunda vero caussa est magis principalis, ut confirmet veritatem, quam aliquis homo docet. Miracula, quae fiunt ob priorem caussam, vel fiunt ab illo homine sancto, vel ad ejus invocationem: miracula vero, quae fiunt ob posteriorem caussam, possunt etiam fieri ab hominibus improbis. Ratio dictorum est; primo, quia repugnat, Deum edere signa, ad falsam doctrinam comprobandam; secundo, quia pariter repugnat, Deum facere miracula ad comprobandam sanctitatem alicujus hominis, qui sit scelestus & impius, tertio, quia nullo modo repugnat, quod Deus faciat miracula ad probandam doctrinam veram, sanam, atque catholicam, quam tamen praedicat homo peccator & perversus. Hanc eandem doctrinam confirmat Angelicus 1. part. qu. 110. art. 5. ad 2. Insuper 2. 2. q. 178. art. 2., & denique in Epist. 2. ad Thessalonicenses cap. 2. lectione 2. Ex his autem infertur, quod sicut miracula, quae fiunt ob priorem caussam, debent esse nota iis, quibus potest, vel debet esse utilis illius hominis sanctitas, quam Deus per miracula intendit probare, & manifestare; ita & miracula, quae fiunt ob posteriorem caussam, debent fieri palam, & debent esse probata publico testimonio, & communi scientia, evidentia; quia Religio, cujus sunt argumenta & motiva, pro evidentia credibilitatis illius tanquam divinitus revelatae, est quid omnibus commune, & omnibus & singulis ad salutem necessarium. Hoc posito, ostendant, modo Judaei nostrorum temporum, non enim loquimur de illis, qui ante Christi adventum, vel ante sufficientem Evangelii praedicationem, veram fidem habebant; ostendant Pagani, Turcae, ac caeteri Mahumetani; ostendant denique Sectarii omnes miracula, quae in ipsorum sectis, vel fuerunt facta, vel fiunt, eaque prodant publica, certa, ac manifesta, si volunt, quod sint sufficiens motivum ipsorum sectam amplectendi. Quod si hoc non faciunt, immo nec facere omnino possunt, jam probatum contra ipsos remanet, quod sicut miracula, quae in ipsorum Sectis non fiunt, non sunt motivum ipsorum sectas amplectendi, ita & sunt motivum amplectendi Christianam Religionem Catholicam Romanam, quae est sola & vera.

Opponunt I. Magi Pharaonis fecerunt miracula, illis similia, quae faciebat Moyses, Exod. 2. ergo miracula non sunt motiva amplectendi veram Religionem, quia aeque fiebant, & a Moyse, qui veram Religionem profitebatur, & a Magis, qui falsam sequebantur. II. In sepulchro Jeremiae multa fiebant miracula; sed illorum operatores erant Daemones: ergo quum sit dubium, an miracula fiant a Deo, vel a Daemone, semper remanet incertum, an ad falsam, an ad veram Religionem, inducant. Probatur minor. Miracula illa, quae fiebant in Sepulchro Jeremiae erant ad utilitatem illorum hominum, qui Jeremiam venerabantur uti Deum; sed ad hoc concurrere non poterat Deus, quia miraculis comprobasset idololatriam: ergo concurrebant Daemones: ergo miracula illa a Daemonibus fiebant. III. Narrant Svetonius, & Tacitus, quod Vespasianus Imperator, Apollonius Tyeneus, Virgines Vestales, miracula operabantur: ergo etiam Gentiles miraculorum donum habuerunt, quod potuissent assumere uti motivum amplectendi ipsorum superstitiones; quod a vero maxime abhorret. IV. De Antichristo dicitur Matth. 24. Apocalypsis 13. & 2. ad Thessalonicenses cap. 2., quod faciet signa, & prodigia magna; sed Antichristus conabitur destruere Christianam Religionem: ergo miracula ipsius erunt motivum non amplectendi, sed deserendi veram Religionem. V. Ecclesiasticae Historiae narrant plura miracula, quae haeretici homines operati sunt in comprobationem falsitatis suae: ergo non est verum, quod miracula sint propria Religionis Christianae Catholicae Romanae. VI. Chrysostomus homil. 49. in Matth. testatur signorum operationem suo tempore jam cessasse, & fuisse apud falsos Christianos: ergo ex Chrysostomo miracula suo tempore potius erant motivum amplectendi falsas superstitiones, quam veram Religionem. VII. Augustinus tract. 13. in Joannem monet, non esse credendum Donatistis, etiamsi miracula faciant, ac proinde illos vocabat per ironiam *Mirabiliarios*, eisdem-

demque opponebat ex cap. 24. Matthæi, Christum prædixisse, etiam Pseudo-Prophetas facturos signa. Idem Augustinus lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 16. vult, non esse credendum miraculis Donatistarum; immo nec miraculis Catholicorum, dicens: *Quæcumque talia in Catholica fiunt Ecclesia, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia hæc in ea fiunt*. VIII. Judæi opponebant Christo, quod ipse faceret miracula per magicas artes; ut legitur Lucæ 11. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*; & hoc ipsum objiciebant quoque Christianis Gentiles. IX. Alii etiam contra miracula Christi, & Christianorum dicebant, illa fuisse facta virtute occulta naturæ, quam solus Christus cognoscebat, & ab ipso didicerant Christiani. X. Alii attribuebant miracula Christi, & Christianorum, ad vires imaginationis, per quas fingebantur miracula, & credebantur, quæ non erant, nisi in sola imaginatione illorum, qui ea credebant. XI. In Religione Christiana Catholica Romana etiamnum non perseverat gratia miraculorum, quia non fiunt saltem in ingenti illa multitudine, quæ a Scriptoribus narrantur vetustis temporibus facta fuisse: ergo vel illa non erant vera; vel si erant vera, deinde Deus abstulit virtutem hanc miraculorum Profitentibus eam, adeoque desiit esse vera Religio. XII. Plura miracula, quæ vel a Scriptoribus narrantur, vel a simplicibus creduntur, possunt reduci ad caussas mere naturales, si diligentior fiat inquisitio de illorum veritate, & exsistentia; sicuti de facto ostenderunt non pauci Critici, & modo etiam ostendunt, de multis miraculis, quæ absque sufficienti indagine credita sunt, & creduntur a Fidelibus, mulierculis præsertim, quæ omne rarum, & insolitum, quo modocunque fit, ad miraculum reducunt: ergo miracula non sunt sufficiens motivum amplectendi Christianam Religionem, ut usquemodo a nobis fuit probatum.

Respondemus ad I. miracula facta a Magis Pharaonis, non fuisse vera miracula, sed tantum apparentia; quæ quidem facta fuerunt a Dæmonibus applicando activa passivis, quod illis facere permittit Deus. Et si aliqui Patres illa vocarunt miracula, intelligi debent de miraculis non proprie dictis, sed in ampla illa significatione, qua omne opus mirum vocatur miraculum; vel dici possunt etiam vera miracula, prout opponuntur præstigiosis, & illusoriis, non autem ut opponuntur iis, quæ fieri possunt virtute alicujus creaturæ, per oppositionem ad quæ miracula dicuntur miracula, & dicuntur vera.

Ad II. Non negamus, quod miracula fiebant ad sepulchrum Jeremiæ; hoc enim asseruerunt præter Hieronymum, quem citat Calvinus, etiam Epiphanius, & Isidorus. Negamus tamen miracula illa facta fuisse a Dæmonibus, ut inducerent homines ad adorandum Jeremiam uti Deum. Hoc profecto nunquam asseruit Hieronymus, ut falso asserit Calvinus, dicens in margine, hoc scripsisse Hieronymum in præfat. in Jeremiam. Quicunque legerit præfationem Hieronymi in Jeremiam a se translatum, vel præfationem Commentariorum Jeremiæ, quæ etiam Hieronymo adscribitur, nihil de hoc inveniet. Si vero legerit aliam quandam præfatiunculam in Bibliis Benedicti, quæ Jeremiæ præfigitur, inveniet quidem miracula facta ad sepulchrum Jeremiæ, sed non quod illa fuerint facta, ut homines Jeremiam uti Deum adorarent. Denique præfatiuncula illa non est Hieronymi, ut falso putavit Calvinus, sed alterius, ut facile illam Legenti innotescit.

Ad III. Alibi diximus miracula illa Vespesiano Imperatori, & Apollonio Tyaneo tributa, non fuisse vera miracula, sed ficta; tum quia Apollonius ope Dæmonum utebatur, & Vespesianus operam Apollonii adhibebat, ut apparerent in cœco, & claudo, defectus videndi, & ambulandi, qui in iisdem re vera non erant. Modo addimus ex eodem Cornelio Tacito lib. 4. Histor., quod Medici interrogati fuerunt, an morbi illi naturaliter essent curabiles, & responderunt, curabiles esse: *Medici varie differere, huic non exesam vim luminis, & redituram, si pellantur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari*. Si ergo morbi illi erant naturaliter curabiles, plane liquet, quod illorum curatio non fuit miraculosa. De Vestalibus Virginibus verum est, quod narratur de Claudia, quæ, ut suam castitatem probaret, discinxit se, & zonam suam alligavit navi immobili, eamque reduxit quò volebat; & quod dicitur de Tucia, quæ tulit aquam haustam e Tyberi in cribro usque ad capitolium, ut pariter suam pudicitiam defenderet; attamen hæc dicunt Patres non fuisse facta in alicujus falsi dogmatis probationem, sed potius in approbationem alicujus virtutis, vel veri-

veritatis, quas Ecclesia Catholica recipit, & commendat. Plures dubitant de veritate factorum, quanvis illa narrentur a Plinio lib. 28. cap. 2. Denique S. Thomas in quæstionibus de potentia qu. 6. ar. 5. docet, opera illa fieri potuisse ministerio bonorum Angelorum; Deo scilicet sic volente, ut hoc pacto pudicitiæ dignitatem, & excellentiam, commendaret.

Ad IV. Miracula, quæ faciet Antichristus, non erunt mirabilia illa, quæ solus facit Deus, ut dicitur psalm. 135. sed erunt mira quædam, quæ non excedent naturalem Dæmonum virtutem. Dæmones enim, Deo sic permittente, conferent illi vim faciendi ea, ut si fieri potest etiam Electos in errorem inducant; unde postmodum cessabant mira illa, adveniente virtute Dei, quam exercebunt Henoch, & Elias, qui ad illum debellandum a Deo mittentur.

Ad V. Plures quidem Hæretici tentarunt miracula facere, sed non fecerunt; quia Deus non permittebat miraculis illorum mendacia comprobari. Et si aliquando fecerunt, non fuerunt vera, sed falsa, & similia illis, quæ Magi operabantur; de quibus scribit Augustinus lib. Octoginta trium Quæstionum q. 79. *Magi faciunt quæ videntur miracula, quærentes gloriam suam; Sancti viri miracula faciunt, quærentes gloriam Dei: & illi faciunt per quadam potestatibus conc ssa in ordine suo, quasi privata comm rcia, vel beneficia, isti vero publica administratione, & jussu ejus, cui omnis creatura subjecta est. Aliter igitur faciunt miracula Magi, & aliter boni Christiani, & aliter mali Christiani. Magi per privatos quosdam contractus; boni Christiani per publicam justitiam; mali Christiani per signa publica justitia, interdum enim vel schismatici, vel heretici per nomen Christi, aut per sacra verba, aut per sacramenta Christiana exigunt aliquid a Dæmonibus, quibus indictum est bonori Christi cedere. Quemadmodum nonnunquam mali milites, quos imperialis disciplina condemnat, signis Imperatoris sui nonnullos possessores territtant, & ab eis aliquid, quod publice non jubetur, extorquent. Cum autem malis jubentibus Dæmones voluntate cedunt, ad seducendos homines cedunt, quorum errore lætantur: cum autem inviti cedunt, in honorem Christi cedere cogantur. Nec mirum est; ad hoc valere sacra Christi signa, si malis Christianis adhibita, cum etiam ab iis, qui nullo modo Christiani erant, usurpata similiter valuerint, propter honorem videlicet excellentissimi Imperatoris. Talis fuit is, de quo Discipuli dixerunt Domino, quod in nomine ejus Dæmonia ejiceret, cum tamen eum non sequeretur. Si quando tamen Dæmones non cedunt ejusmodi sacris signis, Deus est, qui prohibet occultis modis, cum id justum, & utile judicat. Non enim Dæmones audent ista signa contemnere; quin etiam contremiscunt ad ea, ubicunque prospexerint; sed nec scientibus hominibus, aliud jubetur divinitus, vel ad confundendos malos, sicut de Sceva filiis scriptum est in Actis Apostolorum cap. 19. quibus dixit Dæmon: Jesum scio, & Paulum novi; vos autem qui estis? vel ad monendos bonos, ut proficiant in fide, neque illa jactanter, sed utiliter uti possint; vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ, sicut Apostolus dixit 1. ad Corinth. cap. 12. Numquid omnes virtutes? Numquid omnes dona habent curationum? Propter has igitur causas, plerumque nescientibus hominibus jubetur divinitus, ut bis signis adhibitis Dæmones voluntati hominum nequaquam obtemperent.* Et re vera Simon Magus non potuit facere miracula, quæ faciebat Petrus, Elimas illa, quæ faciebat Paulus; ut ex Actibus Apostol. constat. Insuper Epiphanius hæres. 66. scribit, quod Manichæus quidam frustra conatus fuerit filio Regis reddere sanitatem; Gregorius Turonensis lib. 2. Histor. Francorum cap. 3. refert, quod Cyrola, Episcopus Arianus, excæcavit omnino hominem quemdam, qui se cæcum fingebat, & ab eo præsidium implorabat; Joannes Cassianus collat. 15. cap. 3. asserit Hereticum Eunomianum in contentione de suscitat. hominis mortui, fuisse a S. Machario superatum; & ut refertur in VI Synodo Generali act. 15., quidam Polichronius, monachus, & hæreticus Monothelita, in confirmationem sui erroris voluit suscitare mortuum, & non potuit. Denique Hieronymus Bolsecus in Vita Theodori Bezæ narrat, quod Calvinus voluit Genevæ exorcizare servum quemdam, & fuit ab eo acriter verberatus, atque discerptus; & Fridericus Staphylus refert de Luthero, quod voluit pariter Vvittembergæ liberare puellam obsessam, & adeo fuit a Dæmone verberibus cumulatus, ut coram omnibus fugam arriperet; & de eodem Luthero testatur Joannes Cochlæus in Actis Lutheri anno 1523., quod frustra tentavit in vitam revocare Nesenum, qui fuerat Albi submersus. Tandem si aliquando contigit, quod Hæretici, vel Pseudo Prophetæ, vel Pseudo-Apostoli, operati fuerint aliquod appa-

parens, & falsum miraculum, dicimus, quod respondebat Chrysostomus homil. 46. super Acta Apostol. *Non doleamus, quod multæ sint Sectæ, & multi Pseudo-Christi, veritatem obscurare conantes, sed illa magis fulget, manifestaque fit ubique. Hoc etiam tempore Prophetarum evenit; fuerunt enim tunc plures Pseudo-Prophetæ: verum ex illorum conspiratione, veri Prophetæ illustriores fuerunt. Etenim morbus sanitatem magis demonstrat, & tenebræ lucem, & tempestas tranquillitatem. Non possunt dicere Græci, quod Prophetæ & Apostoli, impostores, & magi fuerunt, cum istud genus hominum maxime contrarium illis fuerit, & ab illis confutatum, & redargutum. Hoc etiam Moysi contigit. Permisit Dominus aliquid Magis contra Mosem, ne magus putaretur esse Moses. Permisit, Magorum exemplo discere omnes, quantum ars magica imponat sensibus: sed non permisit ultra eos progredi, ne ab illis deciperentur homines; sed ipsimet se victos esse a Mose confessi sunt. Nihil nobis nocent Impostores, sed meliores potius reddunt*. Et Theodoretus: *Reperiuntur etiam nunc quidam homines impii, dicere audentes, Mosem prodigia illa fecisse arte magica. Quamobrem Deus concessit tunc Incantatoribus, ut quædam facerent similia eorum, quæ faciebat Moses, quo magis utrorumque discrimen patefieret. Mutabant illi quidem virgas in serpentes; sed virga Mosis virgas illorum devorabat. Mutabant illi aquam in sanguinem; sed sanguinem in priorem aquæ naturam reducere non poterant.... Impudentissimum igitur mendacium est dicere, Mosem artibus magicis prodigia illa perpatrasse: cum contra Magi clamarent, signa illa virtutis esse divinæ. Si enim erat imaginarium, quod per Mosem gerebatur, illos quoque similiter effingere oportebat, & artificii sui socium convincere: at vero diserte confitentur, hoc esse digitum Dei*.

Ad VI. Verba Chrysostomi non sunt Chrysostomi, sed Authoris Operis imperfecti, qui Chrysostomus non fuit, ut Critici omnes consentiunt apud Baronium, Bellarminum, Possevinum, Dupinum, Cave, &c. Author autem Operis imperfecti in multis erravit; ac proinde non mirum, si dixerit, quod vera & proprie dicta miracula manserint apud falsos Christianos; quod est omnino a veritate alienum. Ulterius etsi concedamus Chrysostomum loquutum fuisse de miraculis illis, quæ in exordio Ecclesiæ nascentis ab omnibus Christianis fiebant, & quæ potest dici, quod Chrysostomi ævo cessaverint, saltem in illa quantitate, & frequentia: negamus tamen potuisse Chrysostomum hoc idem affirmare de omnibus miraculis; tum quia plura ipse narrat in orat. adversus Gentiles, quæ suo tempore contigerant; tum etiam quia ex aliorum relatione plurima alia refert, probat, ac recipit.

Ad VII. Augustinus contemnebat miracula Donatistarum, quia non erant vera miracula; scilicet non erant talia, qualia erant illa, quæ in Catholica Ecclesia fiebant; erant enim occultæ quædam visiones tantum, quas sine testimonio, & sine authoritate, jactabant; & has reprobabat Augustinus, atque irridebat. Cæterum Augustinus ipse in lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4., & 5. docet, Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non ex Scripturis, & Scripturas demonstrari ex Ecclesia. Quod autem objicitur ex libro ejusdem de unitate Ecclesiæ cap. 16. ubi dicit, Ecclesiam non demonstrari ex miraculis, & ex scripturis, intelligendum est de miraculis non veris, sed de fictis, & falsis, qualia erant illa Donatistarum, contra quos Augustinus arguebat.

Ad VIII. P. Magnanus dicit, quod objectio refellitur primo ex verbis Christi Lucæ 11. *Omne Regnum in seipsum divisum desolabitur*; quasi diceret, addit profundissimus Doctor Magnanus: „ Impossibile est
„ per rationem tum status, tum ex natura
„ rei, ut me Beelzebub juvet in operibus,
„ quæ ego facio in nomine Patris mei: quia
„ illis ipsis operibus, & ejicitur Beelzebub,
„ & bene novit ejici se potentissime cum
„ suis, non solum e corporibus hominum,
„ sed etiam e Regno mundi, quod per idolo-
„ latriam occupaverat. „ Refellitur secun-
„ do ex eodem: „ Ex eo quod nobis, &
„ Christianis omnibus (quibus nihil non
„ plane perspectum est horum, quæ legibus
„ Christianismi continentur) evidenter con-
„ stat, nihil esse tam alienum a Christo ejus-
„ que doctrina, quam sive tacitum quodvis,
„ sive expressum, cum Dæmone contuber-
„ nium. Unde evidens est, elui suspicionem
„ omnem, quæ circa veritatem miraculo-
„ rum, ut ope solum proprie divina facto-
„ rum, esse posset eo ex capite. „

Ad IX. Idem profundissimus Doctor hæc reponit: „ Non, inquam, eo ex capite sup-
„ petit ratio criminandi miracula a Christo,
„ vel Christianis facta. Quia quanvis tale
„ quoddam esset naturæ donum erga ali-
„ quos, id tamen Dei donum esset: ipse
„ enim est, qui formavit ab initio hominis
„ nativitatem; ipse fecit nos, & non ipsi

„ nos: ipse, inquam, est, qui prout naturam „ omnem administrat, dona quælibet peculiaria ex naturæ ipsius penu educta, „ quemadmodum & illa diviniora secundum substantiam supernaturalia, dividit „ singulis prout vult, idest, quantum vult, „ quando vult, & quibus vult. Cum autem „ hoc ita sit, quod evidens esse puto, & a „ nemine posse negari; consequens est, non „ posse non specialem in hoc agnosci Dei „ providentiam, quod nulli unquam Sectæ „ Philosophorum, aut Religioni ulli Politheistarum, Atheistarum, Deistarum, „ Mahometanorum, neque Judæorum, „ nunc post abrogatam eorum Legem, sed „ solis Christianis dederit hoc temperamentum, quod ad miracula valere supponitur. Et quidem dedit ab initio continenter usque ad hæc nostra tempora, quibus „ etsi rarius fiant miracula, non tamen desinunt aliqua fieri, & multum insignia; „ quæ, ut solet in Sanctorum canonizatione, authentica forma comprobantur, „ examinatis juridice testibus fide dignissimis. Est autem evidens hujusmodi temperamentum, si forte aliquod tale est, „ non tamen esse tale, ut fuerit Lex aliqua „ in principiis naturalibus, ejus a Christo „ ad Apostolos, & ab his ad eorum posteros, vel alios fideles, propagandi. Quæ „ enim esse potuit lex propagationis naturalis, ubi sola est non sanguinis, sed fidei „ communicatio? „

Ad X. Has imaginationis vires, quas habent Christiani, vel ut faciant, vel ut credant miracula, a quo habent? Vel a Deo, vel a natura, vel a seipsis? Si a Deo: ergo Deus est in ipsis miraculorum Author; Deus enim facit, & ut fiant, & ut credantur. Si a natura, quid nomine naturæ venit? Si venit Deus, redit argumentum jam factum; si intelligitur temperamentum, & constitutio nativitatis cujuslibet; de hoc etiam loquuti fuimus nuper: Si a seipsis, quare a seipsis habent Christiani, & non habent Pagani, non habent Turcæ, non habent hæretici? Immo quare olim habebant Judæi, & modo non habent? Amiserunt fortassis vim illam imaginatricem, quam habebant Prophetæ, quando lex adhuc vigebat? Et modo amittunt forsitan Hæretici, quando ab Ecclesia fiunt extorres? Si amittunt: ergo miraculorum virtus semper est penes veram Ecclesiam, per quam hæc a quacunque falsa secernitur.

Ad XI. Respondet Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *Necessaria fuerunt miracula priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus; ea enim, ut fidem facerent, innotuerunt, & eadem per fidem, quam fecerunt, multo clarius innotescunt; leguntur quippe in populis, ut credant, nec in populis tamen, nisi credita legerentur*. Idem S. Doctor lib. de utilitate credendi cap. 16. scribit: *Facta autem sunt opportunissime miracula, ut his multitudine credentium congregata, atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur authoritas*. Postquæ subdit Dominicus a Sanctissima Trinitate in Bibliotheca Theologica tom. 5. p. 1. lib. 4. sect. 2. cap. 13. „ Quasi diceret authoritate miraculorum „ constitutam fuisse Ecclesiam, cujus authoritas illi alteri miraculorum authoritati succedens sufficit nobis, absque eo quod „ tot fiant de novo miracula, ut unde sit „ petenda veritas fidei & Religionis, sciamus. *Ecclesia enim Dei vivi*, inquit D. Paulus 1. ad Timoth. cap. 3. *est columna & firmamentum veritatis*, quia quemadmodum „ in columnis proponi & describi solebant „ leges, aut sicut columna erecta signum „ est manifestum, locum aliquem indicans, „ ita in Ecclesia & adunata fidelium multitudine vera Christi lex & doctrina visibiliter & infallibiliter, omnibus illam requirentibus, proponitur. „

Ad XII. Re vera tot adhibentur diligentiæ, ut secernantur miracula vera a falsis præsertim in Canonizatione Sanctorum, ut majores ac plures nec haberi possint, nec desiderari. Neque pro libito cujuslibet miraculum creditur, sed post Ecclesiæ judicium, quo declaratur & miraculum fuisse factum, & miraculum fuisse verum. Aliter nos nulla obligatione teneremur, ut illud credamus; immo nec possumus miracula, ab Ecclesia non probata, populis prædicare, ut in re tam magni momenti nec populi sint seducti, nec Prædicatores evadant Seductores. Quæ autem fieri possint viribus naturæ, quomodo miracula dicantur, diximus in Dissertationis exordio.

DIS-

DISSERTATIO CCLV.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujuscemodi fuerint naturalis imperitia, & infirmitas virium Discipulorum Christi, quæ subito versæ sunt in insignem, tum sapientiam, tum fortitudinem? An fuerint sapientia ac pietas illorum, qui Religionem Christianam amplexi sunt, sine ullo ipsorum sensibili commodo, quin potius cum maximo humanæ vitæ detrimento?

Dicimus I., motivum insuper amplectendi Christianismum esse hinc Discipulorum Christi naturalem imperitiam, ac omnibus notissimam tenuitatem; inde easdem illico versas in insignem tum sapientiam, tum fortitudinem.

I. Probatur. Apostoli, aliique Christi Discipuli, fuerunt imperiti, & rudes, fuerunt quoque inopes, & viles; ex primæva enim sua constitutione piscatores erant: ergo quæ perfecerunt, non poterant propria virtute adimplere: ergo Deus erat cum illis; atqui quando operatur Deus, nullum habet locum mendacium, in nullo falsitas triumphat: ergo si in Apostolis operatus est Deus, ipsorum doctrina erat a Deo, & per consequens erat vera. Antecedens argumenti nullam admittit dubitationem; res enim est ex seipsa manifesta. Prima consequentia sequitur; magna enim sunt, quæ perfecerunt, atque ideo non poterant eadem per propriam imperitiam, infirmitatem, ac tenuitatem perficere. Secunda consequentia bene etiam infertur; quia si per seipsos non perfecerunt; ergo per alios: non per Dæmones, ut superius probatum est: ergo per Deum; seu melius, Deus operatus est per ipsos. Minor subsumpta a nemine potest negari, qui rationis sit compos: Deus enim, ut probatum pariter supponimus Differt. 34., verax ita est, ut nullo modo possit unquam, aut fallere, aut falli.

II. Probatur. Apostoli quando miracula operabantur, interrogati, in qua virtute illa facerent? nihil sibi attribuebant, sed totum Christo, cujus se discipulos esse profitebantur. Hæc enim leguntur Actorum 4., ubi Princeps Sacerdotum, & quicunque erant de genere sacerdotali, interrogabant Apostolos: *In qua virtute, aut in quo nomine, fecistis hoc vos?* Quibus nomine omnium respondit Petrus, ut legitur num. 8. *Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & Seniores, audite: Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est; Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: Et non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub Cælo, datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* In quibus verbis observari oportet, & sinceram confessionem, quam de propria impotentia faciebant Apostoli, & veridicam attestationem, quam exponebant de potentia Christi, soli illi tribuendo quodcunque magnum, & mirabile operati fuissent; sed hoc idem est, ac testimonium reddere de sua imperitia, infirmitate, ac tenuitate, quæ repente versæ sunt in admirabilem sapientiam, ac fortitudinem, & non ab alio, quam a Christo: ergo motivum hoc pariter est, ut Christianismum quisquis prudenter recipiat ac amplectatur.

III. Probatur. Si quæ esset Apostolorum dictis renitentia ad credendum, ideo esset,

set, quia Apostoli reddunt testimonium de se, & testimonium de Christo; sed hoc nullo modo potest esse sufficiens ratio, ut Apostolis fidem denegemus: ergo &c. Probatur minor: Apostoli, etsi testimonium de seipsis perhibeant, ita tamen demisse de se loquuntur, ut de Christo loquuntur magnifice; sed hoc ipsum facit, ut illis fides nullo modo sit deneganda. Probatur minor a P. Magnano proposit. 10. num. 1.,, Nam quoad primum, eo
,, ipso, quo suæ nihil tribuunt laudi, suspe-
,, cti esse non possunt: quod vero totum ac-
,, ceptum ferunt Christo; non essent sane
,, Christi discipuli, si non ita agerent; cum
,, sciant se ab illo accepisse: ipse namque
,, hoc eis testatus fuerat, Lucæ 21. *Ego dabo*
,, *vobis os, & sapientiam, cui non poterunt*
,, *resistere, & contradicere omnes adversarii*
,, *vestri*. Et Lucæ 1. *quando dedit illis virtu-*
,, *tem, & potestatem super omnia Dæmonia,*
,, *& ut languores curarent*. Et e contra evi-
,, denter non forent Christi Discipuli, si ab
,, alio accepissent: quia ejus, ut evidens est,
,, disciplinæ se potius tradidissent, a quo
,, scirent se accepisse.,,

IV. Probatur. Non potuisset Christus tribuere virtutem illam Apostolis, si fuisset solus homo, & non fuisset simul Deus: ergo quod tribuerit, manifeste probat, quod ipse fuerit, & Deus & homo; atqui quod Christus fuerit simul Deus & homo, & fuerit pariter Christianismi Author, hoc ipsum erit motivum amplectendi Christianismum: ergo virtus, quam primitus Apostoli non habebant, & quam postmodum subito habuerunt, & habuerunt a Christo, qui est Deus simul & homo, est sufficiens motivum recipiendi Christianismum. Quis enim alius poterat Apostolos, qui erant imperiti, doctos ac sapientes reddere, qui erant debiles, fortes ac generosos facere, nisi solus Deus? Sed fecit Christus, & fecit in suæ Religionis confirmationem: ergo Christus est verus Deus, & Religio ab ipso instituta, uti a Deo instituta, nisi vera esse non potest: & quia hoc evincimus ex imperitia, & infirmitate Discipulorum ejus, illico in sapientiam, & in fortitudinem conversis: ergo hæ ipsæ sunt ratio sufficiens ad probandum Christi Religionem esse veram, & per consequens ut motivum, ut eandem prudentissime amplectamur.

Dicimus II., motivum quoque amplectendi Christianismum esse sapientiam ac pietatem illorum, qui Christianam Religionem amplexi sunt, sine ullo ipsorum commodo, sed potius cum detrimento, ac vitæ periculo.

I. Probatur. Ea Religio est prudenter credibilis, immo etiam credenda, quam & ab initio, & imposterum amplexi sunt ex omni natione insignes viri, pietate & sapientia præstantes, omnibus quidem diligenter prius consideratis, ac prudenter perspectis; sed hujusmodi est Christiana Religio, seu Christianismus: ergo Christianismus est prudenter credibilis, immo credendus, ratione pietatis, & prudentiæ illorum, qui eum amplexi sunt. Major est certa; quia quando non possumus aliquid immediate per nos ipsos cognoscere, ut prudenter agamus, nos remittimus sapientum & prudentum judicio, qui poterant bene cognoscere, ac scire, quæ ad illud sive amplectendum, sive respuendum, spectabant. Illi enim, ut prudenter agerent, debebant ea omnia accurate perpendere, quæ necessaria erant, ut bene scirentur, ad hoc ut illud ipsum vel reciperetur, vel respueretur. Minor probatur. Ex Judæis ab initio Christianismum receperunt viri prudentes, & sapientes apud universam plebem; scilicet Gamaliel, Nathanael, Barnaba, Stephanus, Saulus, Lucas, aliique multi: ex Gentibus vero, & deinceps amplexi sunt homines in omnium opinione probi, docti, & prudentes, Dionysius, Hierotheus, Ignatius, Policarpus, Clemens, Irenæus, Justinus, Lactantius, Tertullianus, Arnobius, Cyprianus, Panthenus, Origenes, Hieronymus, Augustinus; quibus addendi sunt Basilius, Nazianzenus, Athanasius, uterque Cyrillus, aliique plurimi; atqui hi omnes ad Christianismum amplectendum non movebantur, nec ex gloriæ prurigine, nec ex divitiarum questu, nec ex voluptatum illecebris: ergo ex sola veritate, quam satis perspectam habebant.

II. Probatur. Homines docti & prudentes moveri non poterant ad amplectendam Religionem illam, quæ in præsenti vita nihil offerebat, quod esset sensibus gratum, & quæ solum promittebat futura, quæ poterant tantum credere, non autem experiri: ergo tantum ex sola rei veritate movebantur, quam scilicet, & volebant bene perpendere, quia prudentes, & sciebant etiam perfecte invenire, quia sapientes erant. Quod quidem argumentum ita prosequitur P. Magnanus propofit. 11.,,
,, Qui cum essent doctissimi, possentque
,, facile non modo cuivis pascend rationem
,, reddere suæ disciplinæ, sed etiam euro-

,, rce

„ res illi contrarias confutare; & insuper „ nihil in ea fide atque religione reperissent, „ quod sensibus & voluptati faveret, nihil „ quod humanæ gloriosæ cupiditati adblan„ diretur; imo e contra nihil non sensibus „ asperum, & mundanæ gloriæ infensum „ experirentur, tum ex intrinsecis fidei, hu„ jus & religionis principiis, ut patet tum „ ex odio & persequutione adversariorum: „ unde passim imminebant probra, & con„ vitia, & exilia, & facultatum direptiones, „ & flagella, & mors cum ignominia, & „ tormenta. Cum, inquam, hæc ita bene „ nossent, atque etiam, ut dixi, experiren„ tur tum in se tum in amicis, & parentibus, „ & filiis, aliisque, viri illi sapientissimi, con„ tra rationem omnem, contraque pruden„ tiam est, si quis eos putet cæca mente, ac „ non plane convictos fuisse in ea dogma„ ta, quæ seipsis videntur, & offendere in„ tellectum, & sensui repugnare. „

III. Probatur. Quando præfati insignes viri amplexi sunt Christianismum, rem propriam agebant, adeoque debebant non leviter, & per transennam perpendere, an ipsis expediret credere quæ impossibilia apparebant, observare quæ difficilia credebantur, & confiteri Deum, qui paulo ante ut Malefactor in cruce pependerat. Vel ergo hæc omnia diligenter perpenderunt, accurate consideraruntt, & attente meditati sunt, vel non? Si hoc secundum: ergo non erant illi prudentes ac docti viri, quos nos supponimus, & quos in ipsorum libris, qui luce ipsa clariores sunt, legimus fuisse. Si vero primum: ergo signum est, quod præ illis omnibus motivis in ipsorum mente prævaluit veritas ipsa, a qua moti sunt, ut Religioni illi assentirentur, quæ juxta Adversariorum sensum impossibilia jubebat credere, & impossibilia præcipiebat etiam observare; Sed hoc ipsum est potissimum motivum Christianam Religionem amplectendi: ergo pietas, probitas, sapientia, & prudentia illorum, qui Christianam Religionem vel ab initio, vel progressu temporis amplexi sunt, est sufficiens motivum ad Christianam Religionem amplectendam.

IV. Probatur. Si Tertullianus ad suam traxisset Religionem Petrum, vel Andream, mirum non esset, quia Philosophus, Theologus, ac Doctor summus, post se traxisset pauperes Piscatores, viles, idiotas, ac imperitos: at mirum valde esse debet, quod idem Tertullianus, & ante ipsum & post ipsum pariter Justinus, Athanagoras, Origenes, Clemens Alexandrinus, amplexi fuerint, ac usque ad sanguinis effusionem professi, Religionem, & doctrinam illam, quam prædicaverant Petrus & Andreas. Et nihilominus revera ita fuit, & quod admirari nunquam satis desinebat Augustinus. Sed hoc est fortissimum motivum amplectendi Christianam Religionem: ergo &c. Argumentum quisque fatebitur efficacissimum, si considerabit opera, quæ laudati Patres ediderunt, & quæ etiamnum supersunt, & in ipsis observabit, quas adducunt, rationes, pro Christiana Religione firmanda, quas proferunt responsiones, ut Adversariorum cavillationes explodant, & quæ argumenta pertractent, ut fartam tectam Religionem illam, quam receperant, & invicte profitebantur, contra furentium Principum arma, & contra Sophistarum cavillantium tecnas, omnino servarent.

Dicimus III. Concurrere etiam uti motivum ad Christianismum amplectendum, sanctitatem irreprehensibilem Authoris illius; sanctitatem quoque illorum, qui ipsam ab initio promulgarunt ac prædicarunt; sanctitatem denique illorum, qui illam postmodum amplexi sunt & professi; quæ quidem nullo modo fuit in aliis, qui fuerunt superstitionum Sectarumque inventores, ac propagatores. Quatuor habet partes Conclusio.

Prima pars probatur. Author Christianæ Religionis fuit Christus; sed Christum fuisse virum admirabilem, irreprehensibilem, sanctum, & undequaque perfectum, potentem quoque in opere & sermone, non solum asserunt Evangelii Scriptores, verum quoque ipsimet Christianæ Religionis hostes: ergo sufficiens motivum amplectendi Christianismum haberi potest ex sanctitate Authoris illius. Probatur minor. Evangelistæ scripserunt Evangelium paulo postquam Christus est mortuus, & quando vivebant illi, ex Judæis præcipue, qui Christum noverant ac tractaverant: ergo non poterant scribere de Christo, quæ si fuissent falsa, facile potuissent Judæi illis objicere, vel illa eadem negare: Atqui scripserunt de Christo, quod fuit homo inculpabilis vitæ, admirabilis virtutis, irreprehensibilis actionis: ergo vere Christus ita fuit: aliter ex Judæis non unus, aut alter, ipsorum infidelitatem in scribendo accusasset, & scripta ipsa mendacia, si quæ fuissent, in propatulo exposuisset. Quod quum nemo fecerit, certum fit, ac redditur, vera esse quæcunque de Christi sanctitate

Evan-

Evangelistæ scripserunt. Accedit, quod Judæi quoque ipsi innocentiæ & virtutis Christi testimonium fecerunt, quod legitur in verbis Josephi Judæi, quæ nos in alio loco recitavimus. Accedunt denique Gentiles, qui testimonium quoque de Christi vita irreprehensibili reddiderunt; videlicet Pilatus in vera Epist. ad Tiberium, de qua pariter supra loquuti fuimus. Unde & Judæi & Gentiles quanvis non admittant libros Evangelicæ Historiæ, quia illos non habent, ut Agiographos & infallibiles, quemadmodum nos habemus; eis tamen fidem humanam omnino non abrogant; utpote, ut ait Dominicus a Sanctissima Trinitate cit. loc. cap. 15. „ Utpote recenti adhuc rerum „ gestarum memoria, jamdudum olim pu„ blice, & in oculis hostium fidei editis, & „ a diversis diverso tempore, diversisque „ etiam loco, magna consensione conscri„ ptis. „ Quapropter Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 18. argumentabatur contra negantes Evangelium, quod pari ratione posset quispiam historiis aliarum rerum, quas non vidit, denegare fidem; quod profecto genus est vel dementiæ deplorabilis, vel inscitiæ summæ, vel fatuitatis denique intolerabilis.

Secunda pars Conclusionis probatur. Apostoli, aliique Christi discipuli, qui primitus Evangelium per universum Orbem disseminarunt, vitæ adeo integræ & inculpabilis fuerunt, ut Idolorum Sacerdotes, qui illos persequebantur ad necem; Judaismi primores, qui contra eosdem odio & invidia incredibili movebantur; Regnorum Principes, coram quibus in judicio apparebant, nullum potuerint eis crimen opponere, nisi quod essent Christiani, & ob hoc solum crimen suppliciis tradebantur, & damnabantur ad mortem. Hoc totum testatur Tertullianus in Apologetico cap. 3., ubi multos affert, qui commendabantur quod essent boni, sed postmodum quod Christiani essent, damnabantur. Hæc sunt sua verba: *Quid? quod ita plerique clausis oculis in odium ejus impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Cajus, Sejus, sed malus tantum, quod Christianus. Item alius. Ego Lucium sapientem virum repente factum Christianum desero. Nemo retractat. Non ideo bonus Cajus, & prudens Lucius, quia Christianus? Aut ideo Christianus, quia prudens & bonus. Laudant quæ sciunt, vituperant quæ ignorant, & id, quod sciunt, eo quod ignorant, corrumpunt; cum sit justius occulta de manifestis præjudicare, quam manifesta de occultis prædamnare.* Et revera quum omnes Apostoli & primi Evangelii Satores, crudelissima morte obierint, obiit ne unus, vel quia adulter, vel quia homicida, vel quia perduellis, vel quia fur, vel quia raptor & invasor? Omnes mortui sunt, quia Christiani; scilicet quia boni, quia probi, quia innocentes, quia Sancti; *Christianus enim*, ut idem Tertullianus scribebat, *nullius criminis nomen est*.

Tertia Conclusionis pars probatur. Qui Christianam Religionem amplexi sunt, si mali aliquando fuerunt, illico boni evaserunt; si autem boni, statim facti sunt perfecti; Unde & Plinius junior Christianos ob vitæ sanctitatem laudabat, & Justinus Philosophus & martyr refert in fine Apologiæ 2. trium Imperatorum Epistolas in Christianorum commendationem; & Philo Judæus Christianos laudabat, qui Alexandriæ vivebant, ob illorum continentiam ac sanctitatem. Et quod pluris est, quum Gentiles tot tantisque flagitiis infames essent, soli Christiani illis opponebantur, ut innocui; quod præstabat Tertullianus in Apologetico cap. 44. *At enim illud detrimentum Reipublicæ tam grande, quam verum, nemo circumspicit, illam injuriam Civitatis nullos expendit, quum tot justi impendimur, quum tot innocentes erogamur. Vestros enim jam contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis: tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur, quis illic sicarius? Quis manticularius? Quis sacrilegus, aut corruptor, aut lavantium prædo? Quis ex illis etiam Christianus ascribitur? Aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiæ saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt; nemo illic Christianus, nisi plane tantum Christianus, aut si & aliud, jam non Christianus.* Et cap. 45. *Nos ergo soli innocentes. Quid mirum, si necesse est? Enim vero necesse est, innocentiam a Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto Magistro revelatam, & fideliter custodimus, ut ab incontemptibili dispectore mandatam. Vobis autem humana æstimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperavit, inde nec plenæ, nec adeo timendæ estis disciplinæ ad innocentiæ veritatem.*

Quarta demum Conclusionis pars probatur.

Et

Et quidem si loquamur de Ethnicorum superstitionis Authoribus, vel illi fuerunt Poetæ, vani, amentes, & mendaces; vel Principes, Tyranni, adulteri, & homicidæ; vel Legislatores, hypocritæ, simulatores, & impostores. Quis enim Numa, qui legem Romanis dedit, fraudolentior? Quis incontinentior Jove? Quis Marte ferocior? Quis Mercurio rapacior? Quod Athenæus lib. 13. cap. 17. ex Gentilibus fassus est, & ex nostris lib. de Legibus Theodoretus observavit, ac confirmavit. Mahumetus autem incontinentissimus fuit; unde in Alcorano cap. 43. dixit, se privilegium obtinuisse a Deo, ut omnibus mulieribus, quas dilexisset, etiam consanguineis, frueretur. Alii vero hæresiarchæ superbiæ vitium commune habuerunt primo loco, quod testatur Augustinus lib. de Pastoribus & ovibus cap. 8. dicens: *diversis locis sunt diversæ* (hoc est hæreses) *sed una mater superbia omnes genuit; sicut una mater nostra catholica omnes christianos fideles toto Orbe diffusos*. Hæresiarchæ autem posteriorum temporum impurissimi fuerunt; & præcipue Calvinus, sodomiæ accusatus atque convictus, unde stigma in spatulis deportavit; Lutherus, qui monialem Deo sacram inter amplexus habere non timuit. Et præter hæc ipsemet Lutherus adeo audax, arrogans, superbus, ac contemptor omnium fuit, ut dixerit in lib. contra Regem Angliæ, Reges, Principes, Pontifices &c., non esse dignos, qui corrigiam calceamenti sui solvant; & pro impietatis coronide addiderit, se mille Cyprianos, mille Augustinos, non magni facere.

Opponunt I. Apostoli in multis reprehensibiles fuerunt: ergo non est verum, quod primi Christianismi Promulgatores fuerint in sanctitate insignes. Probatur antecedens. Judas fuit proditor & venditor Magistri sui Christi, & postmodum laqueo se suspendit, & damnatus est; Petrus non semel, nec bis, sed ter negavit illum; Thomas resurrectionem ejus non credidit; & demque Apostoli omnes fuerunt nutantes in fide, & relicto eo, fugerunt: ergo fuerunt reprehensibiles. II. Iidem Apostoli, quia erant rudes & imperiti, facillime decipi poterant a quolibet, qui eis apparentia signa ostendisset, qui ampla promissa parasset, & qui induxisset illos ad oppetendam mortem, vel pro bono, quod sperarent, sed non viderent, vel pro malo, cui se exponerent potius pro animi impetu, quam pro rationis ductu: Unde & ipsi, & alii ad ipsorum exemplum, cæco modo mortem subibant; quod est potius Phanaticorum more perdere vitam, quam illam donare pro veritatis amore. III. Inter illos, qui Christianismum amplexi sunt, plerique fuerunt, qui a suscepto vivendi instituto recesserunt, & ad Ethnicismum redierunt, vel qui Christianam fidem sceleribus horrendis, & criminibus atrocissimis, labefactarunt. Fuerunt pariter quidam suscipientes illum sine rationis criterio, & pergentes non quo eundum credebant, sed quo alii ibant; & isti fuerunt vel mulierculæ, vel pueruli, vel homunciones, quorum nimia erat mentis hebetudo, & experientia nulla: ergo non omnes, qui Christianismum amplexi sunt, fuerunt pietate & doctrina præstantes; itaut ex illorum exemplo possint alii prudenter motivum deducere ad Christianam Religionem amplectendam. IV. Ipsimet Episcopi primis Ecclesiæ seculis Ecclesiam schismatibus, & hæresibus, deturparunt; & tamen illi sunt, qui Ecclesiam docere debent, populos sanctificare verbo & exemplo, & ad cœlum oves sibi commissas veluti Pastores ducere. Unde legimus, quod in I. Nicæna Synodo Generali, multi apparuerunt libelli contra Episcopos criminosos, ut in illius Actis videre est. Immo S. Cyprianus, qui longe ante Synodum illam floruit, contra eosdem exscribebat: *Divina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta Cathedra, plebe deserta, per alienas Provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari: Esurientibus in Ecclesia fratribus habere argentum largiter, velle fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fœnus augeri*. V. In Religione Christiana non omnes fuerunt unquam, nec modo sunt justi, modesti, probi, prudentes, sancti; quum plures in ea olim fuerint, & modo etiam sint, iniqui, perversi, seductores, fornicarii, scelestissimi: si ergo in aliis sectis reperiuntur peccatores & imperiti, inveniuntur etiam in Christiana Religione: & si in Christiana Religione sunt docti & probi homines, sunt etiam in aliis sectis; & dumtaxat stat in eo discrimen, quod docti & sancti in majori numero sunt in Religione Christiana, quam in sectis cæteris; sed magis & minus non variant speciem: ergo aut parva, aut nulla est differentia, quæ ex hoc capite infertur esse inter Christianam Religionem, & alias Sectas. VI. Sicut perversitas hominum non officit veritati doctrinæ, ita hominum probitas non adjuvat do-

doctrinæ falsitatem: ergo ex probitate illorum, qui Christianismum receperunt, non bene infertur, Christianam Religionem esse veram, & consequenter sanctitatem illorum, qui illam professi sunt, vel profitentur, non esse prudens & sufficiens motivum, ut eam quilibet amplectatur.

Respondemus ad I. Solus Judas fuit perversus, & in perversitate sua obstinatissimus, & ideo miserrime periit, & damnatus est. Cæteri autem Apostoli, etsi aliquando peccaverint, aliquando etiam resipuerunt; & post resipiscentiam adeo constantes in bonitate fuerunt, ut nullatenus ab ea divelli potuerint, quicunque fuerint Dæmonum conatus, carnis illecebræ, & mundi oblectamenta. Et hæc quidem de iis, qui graviter aliquando peccarunt; de illis vero, qui leviter lapsi sunt, & præcipue ante confirmationem in gratia, quam a Spiritus Sancti effusione acceperunt, quid mirum si ut homines, fragiles, & lutea vasa portantes, aliquando peccarunt? Etiam justus septies in die cadit, & nihilominus observat Gregorius Magnus, quod non per hoc Justi nomen amittit, quia cito per pœnitentiam surgit.

Ad II. Inter primos Christi sequaces non fuerunt soli Apostoli illi, qui rudes erant, pauperes, & piscatores viles, sed etiam alii, qui doctrina, authoritate, opibus, potentia, & nominis celebritate, in Hebraismo florebant. Hi profecto erant, ut diximus, Nathanael, Gamaliel. Nicodemus, Josephus ab Arimathea, Barnabas, Marcus, aliique plures, de quibus suspicio nequit esse, nec ignaviæ, nec paupertatis, nec debilitatis, & miseriæ. At, quod magis est, etsi Apostoli tales fuerint ante Spiritus Sancti susceptionem, post illam vero aliter res se habuit, quia ab alto acquisierunt scientiam, fortitudinem, virtutes, & dona omnia, quæ primitus non habebant. Unde nequit dici, quod more pecudum mortem oppetierint, & potius ex animi impetu, quam ex mentis & rationis ductu.

Ad III. Non per hoc quod tertia Angelorum pars in Cœlo desecerit, & in profundum demersa obstinationis suæ pœnam in æternum patiatur; bene quis inferre poterit, quod Angelorum multitudo in cœlo permanens, non sit innocens, non sit sancta, nun sit laudabilis & adorabilis per omne ævum. Ecclesia enim est Regnum cœlorum, de quo Christus Dominus dixit, quod admixtos retinet bonos & malos; vel est sagena missa in mare, quæ pisces ex omni genere congregat. Igitur vel Christiani perversi fuerunt aliquando a Christianismo extorres, illiusque desertores, & ita cæteros, qui permanserunt in fide, non contaminarunt; vel in Christianismo perseverarunt, & quanvis seipsos deturpaverint ob pravos mores, & malevivendi tenorem, Religionem tamen nunquam contaminare potuerunt, vel in discrimen adducere, præsertim apud illos, qui probe norunt, Christianos, etsi ex Religionis debito bonos ac sanctos fore, nunquam tamen eo perventuros, ut reddantur quoque impeccabiles.

Ad IV. Malorum Christianorum commixtio, & præcipue Ecclesiæ Ministrorum, quales præcipue sunt Episcopi, Religionis sanctitatem non maculant; quia Religionis sanctitas a sanctitate ministrorum non pendet; unde si in ea reperirentur longe plures mali, quam boni, non per hoc ipsa sancta non esset, quanvis sanctitas aliorum ipsius sanctitatem elevet, atque commendet. Et ratio ex Dominico a SS. Trinitate citato loco cap. 17. quia. „ Quod Sancti
„ sint aliqui, id habent ex doctrina & Insti-
„ tutis Ecclesiæ; quod autem alii mali sint,
„ non tantum præter, sed etiam contra
„ leges, mores, & instituta disciplinamque
„ Ecclesiæ sunt ejusmodi, quos proinde
„ graviter detestatur ac reprehendit: eoque
„ ipso, quo mali esse incipiunt, peccatoque
„ mortali perdunt charitatem, vinculum
„ vitale membrorum Christi Ecclesiæ, non
„ tam partes propriæ ejusdem corporis,
„ quam purgamenta quædam & excremen-
„ ta esse videntur, loquendo de Ecclesia ut
„ sancta formaliter, non vero ut sanctifica-
„ tiva est, seu sancta efficienter. Scio enim
„ pessimos posse esse pastores ipsos, qui ta-
„ men, quandiu ab Ecclesia tolerantur, ple-
„ nissimam habent vim & potestatem, tam
„ ordinis, quam jurisditionis, in ordine ad
„ aliorum sanctificationem, ut suo loco di-
„ cetur „.

Ad V. Sanctitas Religionis primario non consistit in sanctitate illorum, qui profitentur eam; hæc enim est extrinseca: sed consistit in sanctitate dogmatum, & regularum morum, quæ est intrinseca ad ipsam. Hæc autem in sola Christiana Religione invenitur, non vero in aliis superstitionibus & sectis, quia sola Christiana Religio, ut visum est supra, & melius infra videbitur, continet dogmata, & regulas morum, quæ a vera sanctitate non solum non aberrant, sed cum ea potius conne-

ctun-

ctuntur, & confirmantur. Cæterum homines Superstitionum & Sectarum professores, sancti neutiquam dici possunt,& quia deficit ipsis sanctitatis initium, quod est fides, & quia habituali gratia sunt destituti, quæ cum peccato mortali, & multo magis cum hæresi formali, vel cum infidelitate, quæ gravissimum peccatum includunt, stare minime potest. Ad summum igitur habere potuerunt,vel habent, apparentem sanctitatem, non veram, solidam, atque perfectam, qualem habere possunt, vel habent, fideles Christianismi professores.

Ad VI. Nos non dicimus, probitatem Christianorum esse constitutivum veritatis Christianismi, sed esse signum, & quidem externum, quod nos manuducit ad judicandum, Religionem illam esse veram, quæ Sanctissimum habuit Authorem,Sanctos Promulgatores, ac Propagatores, & Sanctos quoque, ac doctrina pollentes, illos, qui eam ab initio acceperunt, & sudore, atramento, & sanguine, ad mortem usque defenderunt. Quod quidem signum in Superstitionibus,& Sectis,nullo modo est, ut usquemodo probavimus.

DISSERTATIO CCLVI.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujuscemodi fuerint consonantia summa rerum, sub Christo in ejus Ecclesia gestarum, cum oraculis hinc Prophetarum, hinc Sibyllarum? An victoria in Dæmones, & ex Idolis, & ex Arreptitiis, ejectos? An testimonia, quæ pro Christiana Religione tulerunt etiam apertissimi Christianismi hostes?

Dicimus I.; Summam consonantiam, quæ reperitur inter oracula antecedenter facta de Religione Christiana,& ipsam Christianam Religionem, esse motivum sufficiens & prudentissimum amplectendi illam.

I. Probatur. Sacra Christianæ fidei sive dogmata, sive præcepta, multis ab hinc seculis fuerunt a Deo publicata,antequam actu essent, & prædicta, quod erant futura, & suo tempore publicanda & acceptanda; sed quæ sunt hujusmodi, sufficientissimum exhibent motivum, ut ea credantur ut vera: ergo consonantia summa, quæ reperitur inter oracula de Christiana Religione, & ipsam Religionem Christianam, est sufficiens & prudentissimum motivum amplectendi eam. Probatur minor. Quæ sunt hujusmodi, pro se exhibent & Deum Authorem, & Deum Assertorem; sed illa, quorum Deus est Author & Assertor, non possunt non esse vera: ergo quæ sunt hujusmodi, sufficientissimum exhibent motivum, ut ea credantur ut vera. Major prioris argumenti, si opus est, probatur quoque. De Religione enim Christiana prædictiones plures habemus, ut loquitur P. Magnanus proposit. 14. „Celeberrimis non „ modo Prophetarum, sed & Sybillarum „ libris consignatas, quarum orbis totus te„ stis est; quas non finxere Christiani: sed „ illas quidem divinitus acceptas, nobis „ tradidere Judæi; istas vero Gentiles. At „ in iis nihil evidentius, quam enuncieri, „ affirmari,& suis temporibus vel locis &c. „ assignari singula fere mysteria Christi, „ præsertim quoad divinitatem, nativitatem „ ex Virgine, nativitatem in Bethleem, „ nativitatem post septuaginta hebdomadas „ &c. Item cum defecisset Princeps de stirpa „ Israel: & quoad vitam sanctissimam, do„ ctrinam, miracula, passionem, mortem „ in

„ in cruce, resurrectionem: quoad nomen „ toti mundo inferendum ab Apostolis, & „ recipiendum; quoad salutem in nomine „ ejus: quoad Ecclesiam in fide ejus fundandam, toto orbe propagandam, æternum duraturam &c. Quæ quidem oracula „ sigillatim suis locis commodius proferam „ saltem ex Prophetis. Quæ vero Sybillarum sunt, videri possunt partim apud „ Lactant. lib. 1. cap. 6., lib. de ira Dei „ cap. 22., & alibi, partim apud Eugub. „ de peren. Phil. lib. 1. cap. 25., & enarr. Psalmo 2. ubi Erythrææ refert aliqua „ oracula de Christo; item lib. 2. cap. 19. „ sed fuse ea refert Jacobus Boissard. de „ divinat. ubi de Sibyllis; & Joan. Opsopæus de Sibyllinis oraculis „.

II. Probatur. Institutio Christianismi non fuit a casu, sed a caussa, quam habuit, & quidem a caussa non necessaria, sed libera; quæ scilicet operata est quando voluit, & non est operata quando non voluit; & quæ antequam operaretur dedit signa, quibus dignosci posset opus, quod factura erat tempore suo; atqui per hoc ipsum duo importantur, & quod nimirum Deus Christianismi sit caussa, & quod Deus dederit signa per oracula, quibus cognosceretur Christianismus, quando ipsum erat instituturus: quorum primum jam diximus & probavimus supra; secundum vero continetur præcipue in miraculis, quæ prædicta fuerunt a Prophetis, & quæ facta narrant Evangelistæ. Quapropter Isaias 36. prædicebat: *Tunc saliet sicut Cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*: & ante hæc: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*: Et Christus Matthæi 11. dicebat hæc omnia verificata esse: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt &c.* Et Joan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.*

III. Probatur. Nemo prudenter dubitare potest, quod non sit vera Religio illa, quæ fuit propheticis oraculis approbata, & collaudata, & quæ pariter fuit, ab illis, qui prophetiæ dono pollebant, prævisa, prædicta, & præmonstrata; sed hujusmodi est Christiana Religio: ergo nemo prudenter dubitare potest, quin Christiana Religio sit vera: ergo consensio hæc est sufficiens motivum ac prudentissimum amplectendi Christianam Religionem. Hoc eodem argumento usus est Christus, qui Joannis 5. dicebat: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et post pauca: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*: Et hoc pariter argumento usi sunt Justinus in Apolog. 2. Clemens Alexandrinus lib. 6 stromarum, Lactantius lib. 4. divinar. Institut. cap. 9., Augustinus lib. 17. de Civit. Dei, a cap. 15., & lib. 13. contra Faustum a cap. 8., & lib. de Catechizandis rudibus cap. 26, & præ cæteris Tertullianus in Apologetico cap. 20. cujus verba hæc sunt: *Plus jam offerimus pro ista dilatione, majestatem Scripturarum, si non vetustatem, divinas probamus, si dubitatur antiquitas; nec hoc tardius, aut aliunde discendum; coram sunt quæ docebunt mundus, & seculum, & exitus. Quicquid agitur, prænunciabatur; quicquid videtur, audiebatur. Quod terræ vorant Urbes, quod insulas maria fraudant, quod externa atque interna bella dilaniant, quod regnis regna compulsant, quod fames, & lues, & locales quæque clades, & frequentiæ plerumque mortium vastant; quod humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur; quod justitia rarescit, & iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit; quod etiam officia temporum, & elementorum munia exorbitant, quod & monstris & portentis naturalium forma turbatur, providenter scripta sunt. Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur. Idoneum, opinor, testimonium divinitatis, veritas divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est; jam scilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eædem voces sonant, eædem litteræ notant, eadem spiritus pulsat. Unum tempus est divinationis futura præfanti apud homines, si forte distinguitur dum expungitur, dum ex futuro præsens, dehinc ex præsenti præteritum deputatur. Quid delinquimus (oro vos) futura quoque credentes, qui jam didicimus illis per duos gradus credere?* Quibus accedit, quod, quum prædictio futurorum mere contingentium sit propria solius Dei, & illorum, qui a Deo speciali & supernaturali afflatu illuminantur; unde legimus Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*: Et cap. 46. *Recordamini prioris seculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis ei, annuntians ab exordio novissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt*: Et quum Christus prædictionem pariter futurorum divinitatis suæ argumentum dederit; quapropter Joan. 14. dicebat: *Dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis*: Et cap.

15.

15. *Hæc loquutus sum vobis, ut quum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis*: plane sequitur, Religionem Christianam esse a Deo; tot enim oracula de illa edere non poterat, nisi Deus; tot prophetias Prophetis inspirare nullus alius poterat, quam Deus; & quum hæc omnia plene effectum suum sortita fuerint in Christianismi institutione, ac propagatione, certum quoque redditur, consensionem oraculorum cum ipsa Christiana Religione esse sufficiens, & prudentissimum motivum amplectendi eam.

IV. Probatur. Afferendo in particulari Oracula, de quibus loquimur, & quæ dare voluit Deus, non solum ut Judæos ad Christianismum vocaret, verum quoque ut Gentiles ad eundem amplectendum induceret. Et quidem pro Gentilibus dedit Sybillas, de quarum carminibus, quæ modo exstant, etsi inter Eruditos Criticos non sit certum, an illa sint genuina, an vero supposita; certo tamen certius apud ipsos constat & Sybillas olim in mundo extitisse, & carmina edidisse, in quibus pleraque Christianæ Religionis mysteria continebantur; & ad ea dignoscenda, afferunt Sanctorum Patrum testimonia, qui illa in suis operibus citare, & recitare, non omiserunt. Hujusmodi præcipue fuerunt Author Apostolicar. Constitut. lib. 5. cap. 6., quæ vulgo Clementi Romano tribuuntur, Justinus orat. parænetica ad Gentes, Lactantius lib. Institut. cap. 46. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 46, aliique plures. Unde Natalis Alexander primo seculo cap. 12. art. 15. de libris Sibyllinis loquens, hæc affert:
,, Octo libri Sibyllini, qui extant tom. 8.
,, Bibliothecæ Patrum Parisiensis, ex parte
,, conficti sunt: non vero conficta ideo cen-
,, senda sunt Sibyllarum carmina, quæ a
,, Sanctis Patribus, & Authoribus Eccle-
,, siasticis priorum seculorum sunt laudata,
,, imo genuina omnino existimanda sunt,
,, cum in eis firmissimum posuerint Religio-
,, nis Christianæ adversus Ethnicos præsi-
,, dium, & eos confutarunt, qui ficta a
,, Christianis mentiebantur. Cæterum quo
,, præcise tempore sub nomine Sibyllarum
,, suppositi sint, certo definiri non potest ,,.
Et in eodem seculo dissert. 1., quæ est de libris Sibyllinis, has propositiones ponit; scilicet propositionem 1. ,, Quæ ab anti-
,, quis Patribus, & Authoribus Ecclesiasti-
,, cis, laudantur Sibyllarum Oracula, non
,, sunt figmenta Christianorum ,,: Et deinde propositionem 2. ,, Non sunt prorsus
,, genuina & incorrupta Sibyllarum carmi-
,, na, quæ octo libris continentur in Biblio-
,, theca Patrum ,,.

Dicimus II, esse motivum rationabile amplectendi Christianismum, victoriam, quam reportarunt de Dæmonibus primi illius Propagatores, ejiciendo illos ex Idolis, & quam modo de iisdem Christiani reportant, ejiciendo ex Arreptitiis.

I. Probatur. Hæc victoria, de qua loquimur, ostendit, Christianam Religionem fuisse prædicatam, Deo Authore, & Deo pariter Fautore, fuisse acceptatam; sed hæc plane convincunt, illam fuisse a Deo, & per consequens esse veram: ergo victoria illa, de qua loquimur, est rationabile motivum illam amplectendi. Probatur major. Nulla humana virtus per se unquam potest Spiritus illos nequissimos, vel ex Idolis, vel ex corporibus humanis expellere: ergo sola Dei virtute expelli possunt: ergo si Christianæ Religionis, vel Promulgatores, vel Professores ejecerunt illos non humana, sed divina virtute ejecerunt: ergo hæc victoria, de qua loquimur, omnino ostendit Christianam Religionem, Deo Authore, & Fautore fuisse institutam, promulgatam, prædicatam, ac acceptatam.

II. Probatur. Quum victoria in Dæmones, quæ est in Christiana Religione, modo tantum reperiatur in Catholica Romana Ecclesia, & non in aliis sectis, quæ ab ipsa sunt sejunctæ & separatæ; ex hoc nobis plane constat, quod victoria illa sequatur veritatem Religionis, & stare nullatenus possit cum ejusdem depravatione ac falsitate; quia si illa sequeretur quamcumque Sectam, quæ profitetur Christum, sequeretur etiam illas, quæ jactant se Christum sequi, at deinde a vera Christi doctrina discedunt; at qui ipsimet hæretici fatentur, non esse apud illos eam in Dæmones virtutem, ut possint ipsos ab humanis corporibus ejicere; immo experientia etiam ipsa compertum est, ut nullus ipsorum vel exorcismis ab Ecclesia institutis bene usus fuerit, & ex corporibus aliorum ejecerit, vel aliter imperium in eosdem exercuerit, itaut Dæmonibus imperaverit, & Dæmones ipsi obediverint. Ex hoc igitur clarum redditur, quod sicut inter Sectas, quæ Christi nomine gloriantur, nulla est, quæ privilegio gaudeat, Dæmonibus imperandi, quo sola catholica Ecclesia Romana potitur, & per hoc veram hanc nominamus; ita pariter, quia nulla Superstitio hoc imperium in Dæmo-

nebexercuit; & quidem nec Judæorum post ipsorum a vera fide defectionem, nec Paganorum, nec Turcarum, nec Libertinorum, nec Atheorum, si partes in condenda secta, aliquando fuerunt quod nos suo loco negavimus; & tantum in Christiana Religione, & a sui exordio, & in sui progressu, & ad præsens quoque exercetur; sequitur, ut dicebamus, Christianam tantum Religionem esse veram.

III. Probatur, quia si hæc esset conniventia Dæmonum Christianis, potiori jure debuissent illam Dæmones cum Superstitionum sectatoribus, & cum aliarum Sectarum hominibus, habere. Et ratio in promptu est; quia Superstitionum, & aliarum Sectarum Professores, Dæmonibus non conti nuum parant bellum, non contra illos dimicant, non exercent arma, quibus possint, vel illos terrere, torquere, & in Orci profundum amandare: quando Christiani ex adverso, ex Religionis suæ instituto ac proposito, contra Dæmones semper pugnant; plura & multiplicia adhibent arma, quæ Dæmones timent, & quæ nihilominus Heretici irrident; nulla cum Dæmonibus habent commercia; & si quis, aut alter, retinere comperitur, a Fidei Quæsitoribus acriter mulctatur tantum videatur, scelus non esse Religionis, sed personæ, quæ ut plurimum a Religione deficit, ut cum Dæmonibus commercium retineat. Cur ergo Dæmones conniventiam habebunt cum Christianis, ut eis ad nutum obediant, qui apertissimi sunt ipsorum hostes, & non potius cum Infidelibus & Sectariis, quorum experiuntur patrocinium, ac favorem?

Dicimus III. Motivum esse insuper Christianam Religionem amplectendi, testimonia, quæ de ejusdem veritate proferunt apertissimi Christianismi hostes.

I. Probatur de Judæis. Josephus lib. 18. antiquit. cap. 4. testimonium fert de Christo, quod ipse fuerit plusquam homo, eo quod fuerit mirabilium operum Factor. Sua verba, quæ alibi etiam recitavimus, hæc sunt: *Fuit hoc tempore Jesus vir sapiens: si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus: cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non obstiterunt, qui primum ceperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit: cum divini vates hæc, aliaque quam plurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.* Scimus fuisse, qui hoc Josephi de Christo testimonium in dubium ponere ausi sunt, illudque asseruerunt fuisse a priscis Christianis Josephi historiæ assutum. Tanaquillus Faber peculiari Diatriba anno 1655. edita, audacissime hoc propugnavit; quem deinde sequuti sunt intemperantes Critici aliqui nostrorum temporum, inter quos cum magna quidem nostra admiratione invenimus Serry Exercit. 59. At hi omnes confutantur invicte a Gravesson Dissert. 14. de Mysteriis & annis Christi § 1. his præclaris ac efficacibus monumentis. Primo, quia omnes Codices Josephi, & editi & manuscripti, & Græci & Latini, consentiunt in hoc de Christo testimonio fideliter adducendo & retinendo; quod testatur Bernardus Monfaucon Congregationis S. Mauri cap. 2. Diarii Italici scribens, se invenisse in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi tomum 2. Operum Josephi, qui incipit a libro 11. & est membranaceus, & continet historiam Christi, sicut cæteri alii Codices. Secundo, quia antiqui Scriptores Ecclesiastici hoc testimonium tanquam legitimum & genuinum exhibuerunt; & sunt Eusebius lib. 3. demonstrat. Evangelicæ cap. 7. & lib. 1. histor. Ecclesiast. cap. 11. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 225. Sozomenus lib. 1. hist. Eccles. cap. 1. Nicephorus Callixtus lib. 1. hist. Eccles. cap. 39., alique antiqui Scriptores & Historici; quod fortiter probant Valesius in notis ad Eusebium, Huetius in Demonstrat. Evangel. Tilmontius in nota 40. in ruinam Judæorum tom. 1. Histor. Imperatorum. Tertio, verba sunt Gravesson: „ Ex ipsa serie Historiæ
„ Josephi revincuntur illi critici, nam, cum
„ Josephus in sua Historia mentionem faciat
„ Joannis Baptistæ, & Jacobi, fratris Jesu,
„ non est verosimile, hunc Historicum alto
„ silentio prætermittere voluisse gesta & mi-
„ racula Christi Domini, cujus fama longe
„ lateque percrebuerat, multique in tota
„ Judæa motus exciti sunt occasione ipsius
„ doctrinæ, & cujus etiam vel ipsi memine-
„ runt ejusdem temporis Scriptores Genti-
„ les, Cornelius Tacitus, Svetonius, Plinius,
„ & alii, quos citavi in Differt. 1. Prolusio-
„ ria ad hunc Tractatum, Josepho accedit etiam Philo Judæus, qui in commendationem Christianismi nascentis luculentum

& ho-

& honorabile protulit testimonium, quod memorant Eusebius lib 1. Hist. cap. 16. Epiphanius hæresi 29. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Philone, Sozomenus lib. 1. cap. 15.; Immo ipsimet Centuriatores diffiteri non audent centur. 1. lib. 2. cap. 3.

II. Probatur de Gentilibus. Plinius Secundus lib. 10. epist. ad Trajanum hæc scribit de Christianis: *Solemne est mihi Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam, ideo nescio, quid & quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sit ne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant, detur ne pœnitentiæ venia, an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit. Nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærenti nomini puniantur. Interim iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani, confitenteis iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus, perseveranteis duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset, quod faterentur, pervicaciam certe, & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ, quos, quia Cives Romani erant, adnotavi, in Urbem remittendos, mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt, Propositus est libellus sine authore multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos, aut fuisse, cum præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulachris Numinum afferri, thure ac vino supplicerent, præterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt re vera Christiani, dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, & mox negaverunt, fuisse quidem, sed desisse. Quidam ante triennium; quidam ante plureis annos, non nemo etiam ante viginti, quoque omnes & imaginem tuam, Deorumque simulacra venerati sunt, ii & Christo maledixerunt. Adfirmabant autem hanc fuisse summam, vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria, committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium, quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua, & cæras esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esses veri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam, & immodicam. Ideoque dilata cognitione ad consulendum te decucurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus, etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim Civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros, superstitionis istius contagio supervagata est, quæ videtur sisti, & corrigi posse. Certe satis constat prope jam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solennia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur, ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.* His adduntur Gentiles Imperatores, qui Christum quanvis non adorarent, voluerunt tamen uti Deum populis imperii proponere. *Ita Tiberius annuntiata sibi ex Syria Palestina, quæ veritatem ejus divinitatis revelaverant; detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui*: Verba sunt Tertulliani cap. 5. Apologetici; & quæ confirmantur ab Eusebio lib. 2. Histor. Eccles. cap. 2. & ab Orosio lib. 7. cap. 4. Insuper Hadrianus Imperator voluit Christo Templum condere, quod asserit Ælius Lampridius. Alexander Severus voluit identidem inter Deos recipere Christum, & Templo donare, illiusque effigiem tenebat in Larario suo, quam matutinis horis orabat. Marcus Aurelius pariter Imperator scripsit ad Senatum, ad militum Christianorum preces, quorum ingentem numerum in exercitu habebat, aquam impetrasse, qua siti laborantes Legiones recrearentur. Denique Julianus Apostata fatebatur, *Christum sanasse claudos, & cæcos aliquos, & Dæmone correptos, adhibitis obtestationibus liberasse in vinculis Bethsaidæ, & Bethaniæ*; quod testatur S. Cyrillus lib. 6. Christiani autem, quod in magna fuerint reverentia & honore apud Gentiles, exemplum præbent S. Antonius, S. Hilarion, & S. Martinus, ut in eorum Vitis testantur Athanasius, Hieronymus, & Sulpitius.

III. Probatur de Hæreticis. Primo Mahumetus in Alcorano ponit Christum supremo loco inter Prophetas, & fatetur fuisse illum toti Orbi conspicuum, tam miraculorum gloria, quam sanctitatis præstantia; docetque insuper, Christianos salvari.

Unde

Unde teſtatur Raymundus Martini in ſuo pugione fidei part. 2. cap. 8. quod Mahumetani non ſulum credunt prodigia, quæ Chriſtus Dominus operatus eſt, verum quoque in Alcorano cap. 2., cui titulus: *de Familia Ambram*, multa tribuunt Chriſto miracula, quæ non ex Evangelio. ſed ex Apocriphorum ſomniis deducta ſunt. Secundo Lutherus jam hæreticus factus hæc ſcribebat in lib. contra Anabaptiſtas:
„ Nos fatemur ſub Papatu plurimum eſſe
„ boni Chriſtiani, imo omne bonum Chri-
„ ſtianum, atque etiam illinc ad nos deve-
„ niſſe. Quippe fatemur, in Papatu veram
„ eſſe Scripturam Sacram, verum Baptiſ-
„ mum, verum Sacramentum Altaris, veras
„ claves ad remiſſionem peccatorum, ve-
„ rum prædicandi officium, verum Cathe-
„ chiſmum, ut ſunt oratio Dominica, de-
„ cem præcepta, articuli fidei. Dico inſu-
„ per, ſub Papatu veram Chriſtianitatem,
„ imo verum nucleum Chriſtianitatis eſſe.„

Objiciunt I. Judæi non credunt, adimpleta eſſe oracula Prophetarum in Chriſto. & in Religione, ab eo inſtituta: ergo fruſtra nos adſignamus oracula illa pro motivo Chriſtianiſmum amplectendi. Probatur antecedens. Si Judæi illud crederent, jam Religionem a Chriſto Domino inſtitutam amplecterentur; ſed non amplectuntur: ergo Judæi non credunt adimpleta eſſe oracula Prophetarum in Chriſto Domino, & in Religione ab eo inſtituta. II. Plura ex oraculis illis, & prophetiis, adeo ſunt obſcura, ut a Patribus ingenioſius potius, quam verius, explicentur, & ad ſuum Inſtitutum accommodentur: ergo non ſatis poteſt ex ipſis deduci motivum efficax amplectendi Chriſtianiſmum. III. Prophetiæ illæ vel fuerunt confictæ ab hominibus ex Hæbraiſmo prodeuntibus, ut nationem, & religionem ſuam illuſtriorem in mundo redderent; vel fuerunt publicatæ ſub nomine illorum, qui dicuntur eas effeciſſe, ut aliis gentibus innoteſceret expectatio Judæorum de Rege venturo, qui eos liberaret, adeoque cæteris populis terrori ſimul & admirationi fuiſſent. IV. Non eſt certum, Prophetas, qui oracula illa ediderunt, divino Numine afflatos, prophetaſſe, quia opera etiam Dæmonum poterant illa prædicere. V. Pro veritate carminum Sibyllinorum probanda, affertur Clemens Romanus lib 5. Conſtitut. Apoſtolicarum cap. 6. ſed liber hic eſt apocriphus, & nullius authoritatis: ergo genuinitas carminum Sibyllinorum omnino nutat. VI. Si Joſephus, Judæus vere ſcripſiſſet teſtimonium illud de Chriſto, amplexus Chriſti Religionem fuiſſet; ſed non amplexus fuit: ergo illud non ſcripſit. Probatur major. Joſephus quum eſſet Judæus ſciebat, quæ de Meſſia venturo ſcripſerant Prophetæ; aut ergo compererat illa adimpleta eſſe in Chriſto, & tunc debebat credere, Chriſtum verum eſſe Meſſiam, & debebat pariter Religionem ejus amplecti: vel compererat non eſſe adimpleta, & tunc non debebat Chriſto facere elogium, quo virtutes ejus, & portenta ad ſydera uſque extollebat. Igitur dicere oportet, aut Joſephi teſtimonium de Chriſto non eſſe verum, ſi Joſephus Chriſto non credidit, vel oracula Prophetarum in Chriſto non eſſe adimpleta, quia ſi adimpleta fuiſſent, Joſephus Chriſto utique crediſſet, & Religionem a Chriſto inſtitutam, recepiſſet. VII. Dæmones qui in Arreptitiis ſunt, aliquando videmus ejicere alios Dæmones, qui in aliis Arreptitiis reperiuntur: ergo non eſt argumentum virtutis divinæ ex Arreptitiis Dæmones ejicere. VIII. Non eſt certum apud Hiſtoricos, quod naſcente Domino, oracula ceſſaverint; quod & nos quoque de oraculo præcipue Delphico in Diſſertat. 217. aſſeruimus: ergo non eſt motivum efficax amplectendi Chriſtianiſmum ejectio Dæmonum ex Idolis. Probatur conſequentia; quia tunc ejecti fuiſſent ex Idolis Dæmones, quando Idolorum oracula, ſeu oracula in Idolis, tacuiſſent; ſed non eſt certum, quod tacuerint: ergo non eſt certum. quod per Chriſti præſentiam Dæmones fuerint ex Idolis ejecti. IX. Philo non intendebat Chriſtianos laudare, ſed potius homines de Gente ſua, quos putabat Alexandriæ congregatos ut inibi contemplationi vacarent; Alii dicunt quod loquebatur de Eſſenis, qui Hæbraicæ Gentis portionem conſtituebant: ergo teſtimonium Philonis Chriſtianis non favet. X. Mahumetani multa Religionis noſtræ myſteria derident, & præcipue imagines Sanctorum noſtrorum dilacerant, ſimulachra detruncant, Sanctiſſimam Crucem Domini noſtri Jeſu Chriſti pedibus proterunt, Euchariſtiam beſtiis tradunt, & Chriſtum Deum eſſe mordicus inficiantur: ergo ex Mahumetanis, qui Chriſtum, & Religionem ejus commendant, nequit efficax deſumi motivum Chriſtianam Religionem amplectendi.

Reſpondemus ad I. cum Auguſtino lib. 12. contra Fauſtum cap. 23. docente, Gentem Judaicam hodie nihil aliud eſſe, niſi quæ-

dam

dam feriniaria Christianorum, bajulantem Legem, & Prophetas, ut nos honoremus per Sacramentum, quod nuntiat illa per literam. Et lib. 13. cap. 14. post enumerationem aliquot Prophetiarum, ita concludit apud Dominicum a Sanctissima Trinitate lib. 4. sect. 2. cap. 14. „ Cum ergo Gentilis iste his atque hujusmodi aliis „ testimoniis Prophetarum de persecutione „ Regum, & Populorum, de fide Regum, „ & populorum, de abolitione Idolorum, „ de coecitate Judæorum, de probatione „ Codicum, ab ipsis custoditorum, de amentia Hæreticorum, de excellentia S Eccle- „ siæ, verorum, & germanorum Christianorum ante prædicta, & nunc impleta „ conspiceret; quid inveniret fide dignius, „ quam illos Prophetas, quibus de divinitate Christi eligeret credere? Etenim si antequam ista fierent ingererem Gentili Prophetas Hæbreos, quibus ea futura crederet; quæ facta nondum videret, merito „ fortasse diceret, quid mihi est cum istis „ Prophetis, quos unde veraces probem, „ non mihi ostenditur: cum vero tam magna, & tam multa, quæ prædixerunt, „ jam ad effectum manifestationemque perducta sunt, plane si ille perversus esse „ nollet, nec ista ullo modo contemneret, „ quæ tanto ante, & tanto apparatu prævidendo, & prænunciando commendari „ meruerunt, nec illos, a quibus prævideri, „ & prænunciari potuerunt; nullis enim „ prudentius credimus; vel de præteritis, „ quæ olim facta sunt; vel de futuris, quæ „ nondum facta sunt; quam eis, qui nobis fidem verborum suorum in tam multis, „ tamque magnis, quæ ab eis prædicta jam „ facta sunt, probaverunt. „ Ita ex citato Scriptore Augustinus, qui & eadem repetit lib. 16. contra Faustum cap. 21. & sequentibus, ubi ex eodem Dominico a Sanctissima Trinitate hoc invenitur argumentum: „ Nam eorundem Judæorum „ incredulitas, & dispersio, ab ipsis Prophetis prædicta est, & ea signum evidentissimum est, eas prophetias non esse fabel- „ lam ad libitum compositam a Christianis, „ quo facilius Religionem nostram mundo „ obtruderemus. „

Ad II. Ita prophetias explicaverunt Patres, ut post tot secula a Christi nativitate, nihil fuerit adductum, quod veritati explicationis illorum obstaret; Unde & quod ante tot secula prædixerunt Prophetæ, Patres de Christo intelligerent, ita pariter comprobatur, quod post pleraque secula de Christo teneatur verificatum, & nihil in contrarium reponentibus Judæis, quod vere solidum sit ac firmum, confirmatum quoque omni ex parte profiteamur. Si enim explicationes Patrum ad libitum & pro ingenio factæ fuissent, facile potuisset tanto tempore percurrente illarum detorsio detegi, & tergiversatio manifestari.

Ad III. Non poterant Judæi prophetias illas fingere, quæ postmodum fuerunt omni ex parte verificatæ, & nec jure valebant illas uti genuinas publicare, si non fuissent prius a viris probis, & sanctis, quales erant ipsorum Prophetæ, factæ, ac literis consignatæ. Facillime enim potuisset illorum agnosci impostura, qua præhabita cognitione, despectui potius, quam venerationi, & terrori, apud alias Gentes fuissent. Accedit quod quum prophetiæ de Messia venturo ab ipsis intelligantur modo non humili, & demisso, sed ambitioso, & superbo; hoc ipsum probat, non ad genium ipsorum intellectas fuisse a Christianis, sed pro veritate, quam eventus probavit.

Ad IV. Laudatus Dominicus a Sanctissima Trinitate citato loco hæc reponit: „ Esto „ Dæmones possint interdum aliqua, quæ „ ipsi facient, aut ad quæ impellent ipsos „ homines, ut docet Augustinus, prædicere: „ Attamen non possunt certo, infallibiliter, „ in particulari, & cum omnibus circum- „ stantiis, multo ante prædicere futura „ contingentia, dependentia partim a sola „ divina voluntate, partim a voluntate hu- „ mana, freta, & adjuta auxilio divino, cu- „ jusmodi sunt illa, quæ a Prophetis in ve- „ teri testamento prædicta legimus, ut satis „ patet in mysterio conversionis Gentium, „ & idololatriæ eversione. Unde sequitur „ Prophetas veteris testamenti, qui singula „ mysteria nostræ Religionis longe ante „ prædixerunt, ea absque divino afflatu „ non cognovisse, & prædixisse: ac per „ consequens Religionem nostram non „ aliunde, quam a Deo derivari. „

Ad V. Non negamus, libros Apostolicarum Constitutionum apocryphos esse, & Clementi Romano falso adscriptos; quod & Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Clemente fatetur, ubi asserit: *Sed & in Ecclesia latina nullum fere nomen habent, & ipsi etiam posteriores Græci in Concilio Trullano can. 2. improbant has Constitutiones, ut ab Hæreticis depravatas:* attamen nos non ex solo Clemente Sybillina carmina probavimus, sed ex aliis quoque Patribus, quorum opera absque dubio genuina sunt; ut vide-

videre est in probationibus nostris.

Ad VI. Citato loco respondet Graveson „
„ Josephus licet cognoverit, Christum esse
„ verum Messiam, Prophetarum oraculis
„ prædictum, evanuit tamen in cogitationi-
„ bus suis, & per turpissimam adulationem,
„ oracula per id temporis de Messia totius
„ Orbis moderatore jactata, Imperatori Ve-
„ spasiano accommodavit, ut videre est in
„ lib. 7. de bello Judaico. „

Ad VII. Si qui Dæmones in Arreptitiis existentes, alios Dæmones expellunt, ex Exorcistæ imperio id faciunt, cui vel nolentes, obedire coguntur: Unde ejectio illa potius est tribuenda divinæ virtuti, quam Exorcistæ exercent, quam Dæmonum voluntati, quæ ad præceptum illud aliis Dæmoniis dandum, ut obsessos relinquant, a Ministrò Christi coarctatur.

Ad VIII. Incertitudo, quæ est de uno, aut altero Oraculo, non est de omnibus; & si responsa adducuntur, quæ aliquo tempore dederint post Christi nativitatem, nemo tamen dubitat, quod post fidei Christianæ propagationem Dæmones, in Idolis prius existentes, & ex tripode loquentes, omnino siluerint; quod ex Historicorum narratione non tantum, quantum ex ipsa rei experientia, constat.

Ad IX. De Philone hæc scribit Bellarminus: de Scriptoribus Ecclesiasticis in Philone Hæbreo: *Philo Hebræus, vir omnium consensu doctissimus, floruit sub Cajo Imperatore, ad quem etiam legatione functus est pro Gente sua. Hic ponitur a S. Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos; quia scripsit in laudem Christianorum, qui sub S. Marco Evangelista in Ægypto religiosissime degebant.* Igitur Philo de Christianis loquutus est, non de Judæis; & hoc pacto eum interpretantur, & intelligunt Patres, quos in probationibus adduximus.

Ad X. Si Mahumetani omnia reciperent, admitterent, ac concederent, quæ Christiani fatentur, non essent Mahumetani, sed Christiani. Pro nostro intento probando, sat est, quod ipsorum Legifer Mahumetus Christum laudaverit, & Religionem ab eo institutam dixerit esse talem, ut illam profitentes, salventur. Nostrum autem intentum erat testimonium afferre pro Christianismo illorum, qui Christianismi hostes erant infensissimi.

DISSERTATIO CCLVII.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujuscemodi sit constantia, & fortitudo Martyrum, qui pro Christiana Religione mortem oppetiverunt? An sit pariter infinita prope multitudo illorum, qui Christianam Religionem amplexi sunt? An sit etiam Orbis terræ amplitudo, ad quam Christiana Religio extensa, & dilatata fuit?

Dicimus I. Constantiam, & fortitudinem Martyrum, qui mortem pro Christi nomine oppetiverunt, esse sufficiens motivum amplectendi Christi Religionem.

I. Probatur. Nequit esse falsa Religio illa, quam innumerabiles pene Martyres cujuslibet sexus, ætatis, & conditionis, fortissime, & patientissime, sunt contestati, & sui sanguinis voluntaria profusione, & vitæ suæ generoso dispendio; sed hujuscemodi est Christi Religio: ergo hæc nequit esse falsa, sed omnino est vera. Major probatur; tum quia tot tantique Martyres, inter quos etiam erant Sapientes, & Philosophi, impossibile est, ut decipi potuissent pro vana superstitione perdendo

do vitam; tum etiam quia Deus nunquam permisisset tot homines perdi, & corpore, & anima, propter finem, quem alias credebant bonum, & sanctum, uti est contestari propriam Religionem sanguine proprio, & perdere vitam, ne fides perdatur.

II. Probatur. Motivum hoc, de quo loquimur, esset efficacissimum ad recipiendum Christianismum, si eo Patres usi fuissent; sed de facto Patres illud adhibuerunt, eoque sunt usi: ergo re vera est efficacissimum. Probatur minor. Justinus martyr in apologia 1. testatur, se hoc potissimum argumento ad suscipiendam Christi Religionem fuisse inductum; Tertullianus pariter eodem argumento utitur in lib. de Præscription. Hæreticorum cap. 29. Utitur pariter Lactantius Firmianus lib. 5. Institut. cap. 13. & 14. & post illum Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. & Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 5. Verba Ambrosii sunt: *quomodo eorum fidem possumus denegare, quorum victoriam prædicamus?* Verba Tertulliani sunt: *Quoquo modo sit erratum, tam diu utique regnavit error, quandiu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas, & Valentinianos, liberanda veritas expectabat: interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Aut si nec perperam, nec in vacuum, quale est, ut ante res Dei currerent, quam cujus Dei notum esset? Ante Christiani, quam Christus inventus? Ante hæreses, quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit: postremo similitudo succedit. Cæterum satis ineptum, ut prior doctrina hæresis habeatur, vel quoniam ipsa est, quæ futuras hæreses, & cavendas prænuntiavit. Ad ejus doctrinæ Ecclesiam scriptum est; immo ipsa doctrina ad Ecclesiam suam scribit: Et si Angelus de Cælo aliter evangelizaverit citra quam nos, anathema sit.*

III. Probatur. Si motivum, de quo scribimus, non putatur efficax ad evincendum quod intendimus, ideo est, quod aliqui extra Christi Religionem, nimirum Pagani, Judæi, Mahumetani, & Hæretici, mortem etiam oppetierunt pro suis superstitionibus & erroribus; ut legimus apud Eusebium, qui lib. 5. historiæ cap. 18. narrat, quod Montanistæ de suorum Martyrum numero gloriabantur; apud Epiphanium, qui hoc idem refert hæresi 12. de Messalianis, & hæresi 76. de Arianis; & apud Augustinum, qui asserit hoc ipsum de Donatistis epist. 68. De Gentilibus pariter legitur, quod Lelius, Codrus, Regulus, pro suis Idolis se ipsos devoverunt; atqui hoc argumenti vim non flectit: ergo &c. Probatur minor. Attendi non debet nude & solitarie amissio vitæ & mortis passio, sed multo magis quod mors habeat tales conditiones & circumstantias, quæ verum martyrium constituant; sed hæ in solis Martyribus Christianis & Catholicis, non autem in Infidelibus & Sectariis, verificantur: ergo exemplum illorum vim nostri argumenti non flectit. Probatur minor. Prima circumstantia est multitudo Martyrum, quæ in Christianis adeo verificatur, ut sub solo Maximino Imperatore, mensis unius tantum spatio, septendecim Christianorum millia occisa sint; Insuper die 22. Julii Ecclesia memoriam agit Martyrum uno die occisorum usque ad decem millia; Et nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi viginti & amplius millia Martyrum Nicomediæ combusta sunt. Unde Hieronymus in Epist. ad Heliodorum testatur, ita excrevisse Martyrum numerum, ut singulo quoque die celebrari possint trium millium Martyrum natalitia: Et Gregorius Magnus homil. 17. in Evangelia exclamabat: *Totum mundum, Fratres, aspicite, Martyribus plenus est: jam pene tot, qui videamus non sumus, quot veritatis testes habemus: Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt: quia, quanti sint, a nobis comprehendi non possunt.* Indicent autem, si possunt, Infideles & Sectarii parem Martyrum numerum ex suis. Secunda circumstantia habetur ex parte finis; unde scripsit Augustinus in psalm. 34. *Martyres non facit pœna, sed causa*; Et Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ: *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis, animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.* Pagani autem si aliquando mortui sunt, non pro superstitione sua vitam dederunt, sed vel pro Patria, vel pro amicis, vel pro propria gloria: Unde Concilium Arausicanum II. can. 17. dicebat: *Fortitudinem Gentilium facit humana cupiditas, fortitudinem Christianorum charitas Dei diffusa in cordibus nostris.* Tertia circumstantia est Sanctitas vitæ nostrorum Martyrum, qui non ob aliud scelus ad mortem damnabantur, quam quod Christiani essent, & uti tales se faterentur; non sic

sic autem est de aliis, qui a Christianis sunt alieni, & qui damnabantur ob crimina. Quarta circumstantia comprehendit miracula, quæ operati sunt nostri Martyres inter tormenta, & quæ ab Infidelibus & Sectariis nunquam facta leguntur. Quinta circumstantia est Martyrum nostrorum patientia, quæ ipsosmet Tyrannos aliquando convertit, & reddidit quoque martyres; quam quidem in Infidelibus & Sectariis nemo unquam admiratus est; & si aliquando fuit, non fuit illa, quæ cum charitate est conjuncta, & quam soli Christiani habuerunt; sed illa, quæ cum cupiditate conjungitur, & de qua loquebatur Augustinus lib. de patientia cap. 17. *quemque iniquorum tanto esse ad toleranda mala duriorem, quanto est major mundi cupiditas*.

Dicimus II., infinitam prope multitudinem illorum, qui Christianismum amplexi sunt, esse quoque efficax motivum amplectendi Christi Religionem.

I. Probatur. Hoc argumento usus est Lactantius Firmianus lib. 5. Institutionum cap. 13. usus est pariter Augustinus lib. de utilitate credendi cap 14. & contra Epistolam fundamenti cap. 4., ubi dicit: *Tenet me in Ecclesia consensus Populorum, atque Gentium*: Unde patet, quod motivum hoc non solum fuit efficax ad trahendum ad Religionem Christi homines simplices, mediocres, & idiotas, verum quoque sapientes & doctos, ingenii acumine, & intellectus perspicuitate præstantes, quales erant Lactantius & Augustinus.

II. Probatur. Christiana Religio quum sit aspera & rudis, carni & sanguini contraria, mundo & hominibus exosa, potius debebat a Gentibus in horrore haberi, quam in electione & studio: & nihilominus eam amplexi sunt pene innumeri sive viri, sive mulieres; & quod magis est, quovis seculo inter hos fuerunt homines sapientia præstantes; ut seculo primo Dionysius Areopagita, & Evuleadius Platonicus ab Apollinare, Ravennate Episcopo, conversus; seculo secundo Justinus philosophus & martyr, Athanagoras, Tatianus, Egesippus, Ireneus, &c.; Seculo tertio Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Minutius Felix, Julius Africanus, Ammonius Alexandrinus, Cyprianus, Arnobius; Lactantius Firmianus, Origenes, &c. Unde Origenes ipse respondens Celso Epicureo, qui nobis opponebat, simplices tantum & rudes Christo nomen dare, lib. 3. contra eundem Celsum exscribebat: *Sic igitur quandoquidem elegans & præcipuum aliquid mortalibus visa est Christiana esse Religio: non modo ad Celsi opinionem serviles quidam & imperiti, sed Græcorum plerique eloquentiæ eruditi & peritissimi viri necessario hanc subire, nec tamen per seditionem & contentiosas hæreses, sed quia Philosophi omnes findèrent, ut earum rerum cognitionem assequerentur, quibus Christiana Religio niteretur. Unde & subsequutum est, ut enim omnes divinam hanc esse disciplinam admitterent, hæreses & sectæ oborirentur, quæ ab his & nomen sibi sumerent, qui ejus quidem doctrinæ principium admirati, utcumque postmodum ut ab invicem dissentirent, suasionibus quibusdam inducebantur*.

III. Probatur. Apostoli in omnem terram per prædicationem suam pervenerunt, & in omnes fines terræ Christi cognitionem, & Religionis ejus, induxerunt; nulla autem terræ pars fuit, quæ Christum non reciperet, ubi pluribus, ubi paucioribus conversis, qui Christo nomen dederunt; & quanvis ubique Prædicatores occiderent, ubique tamen Prædicatores ipsi auditores & sequaces nacti sunt; ita ut per totum mundum, & in omnibus ejus Regionibus, Christi nomen personaret, & Religio ab eo instituta sectatores haberet; & licet plurimi ex illis occiderentur a Paganis, attamen quilibet occisus plurimos Christo pariebat; quia, ut scribebat Tertullianus: *Sanguis Martyrum semen erat Christianorum*; sed hæc omnia probant ingentem multitudinem, & prope infinitam illorum, qui Christianismum amplexi sunt: ex alia vero parte incredibile videtur, quod Deus permitteret, tam ingentem hominum multitudinem decipi, & in negocio salutis æternæ decipi, ad quam quilibet homo a Deo dirigitur, disponitur, ac ordinatur: ergo dicendum est, quod si Deus operabatur, quod prope infinita hominum multitudo Christianam Religionem amplecteretur, Christiana Religio esse non poterat, nisi vera, & per consequens, quod tam ingens multitudo illorum, qui Christianam Religionem amplexi sunt, sit efficax motivum Christianismum amplectendi. Quod vero Deus operaretur, ut tot tantique homines Christianismum reciperent, nemo, qui sit rationis compos, inficias ibit; tum quia non poterat illa esse hominum operatio, humanæ enim vires ad tantum se extendere opus non valebant; neque Dæmonum, qui nolebant destruere regnum suum, & quidem destruebant per multitudinem illorum, qui

Chri-

Christi Religionem amplectebantur: ergo Dei erat operatio, qui solus corda hominum movet, & ad finem suum perducit, qui est æterna salus, per veram Religionem, quæ ad illam est medium.

Dicimus III. Orbis terræ amplitudinem, ad quam Christiana Religio extensa & dilatata fuit, esse etiam motivum prudens & efficax amplectendi Christianismum.

I. Probatur. Religio, quæ est universalis omnibus fere hominibus, & in omnibus fere Mundi Regionibus, non potest esse, nisi a Deo; atqui ita est Religio Christiana: ergo est a Deo: ergo Orbis terræ amplitudo, ad quam Christi Religio extensa fuit & dilatata, est motivum efficax, & prudens amplectendi Christianismum. Probatur major. Deus ratione providentiæ suæ homines docuit Religionem; sed providentia ejus est erga omnes homines, & per universa Orbis terræ regna: ergo Religio, quæ est universalis in omnibus fere hominibus, & ad omnes terræ partes extenditur, est a Deo. Eadem major probatur contra Hæreticos, qui Scripturas recipiunt & Patres admittunt, sequentibus Scripturarum oraculis & Patrum testimoniis. Psalm. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ* Psalm. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum & in fines Orbis terræ verba eorum*. Psalm. 22. *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ*. Psalm. 71. *Et dominabitur a mare usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum; omnes gentes servient ei*. Malachiæ 1. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda &c.* Isaiæ 52. *Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*; Et cap. 60. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*. Matth. 24. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo Orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio*. Matthæi 28. *Euntes ergo docete omnes Gentes*. Lucæ 24. *Oportebat prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma*. Ad Romanos 10. *Sed dico: numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*. Ex Patribus vero proferuntur sequentes, quos ex plurimis aliis elegimus. Augustinus lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 6. explicans verba illa; *Benedicentur in nomine tuo omnes gentes*; hæc habet: *Ecce testamentum Dei, aperite aures. Hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, & superordinat: quare vos irritum facitis testamentum Dei, dicendo nec in omnibus gentibus esse completum, & periisse de gentibus, in quibus erat semen Abrahæ? Quare superordinatis dicendo, in multis terris hæredem permanere Christum, nisi ubi potuerit cohæredem habere Donatum ..... Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est; ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedici; date hanc, aut favore deposito, accipite* Et epist. 50. ait: *Innumerabilia sunt testimonia librorum sanctorum, in quibus apparet Christi Ecclesia non in sola Africa, sicut isti impudentissima vanitate delirant, sed toto Orbo terrarum diffusa*. Et ante Augustinum Origenes lib. 1. contra Celsum ab initio; & lib. 2. post initium: *Deum mundi Authorem, & qui universo Orbi Leges dedit, eam vim dictis suis indere, ut omnia, quæ ubique terrarum sunt, vincere ac tenere possent*. Et post Augustinum S. Prosper lib. 2. de vocat. gentium cap. 5. loquens de gratia Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, hæc docet: *Quæ etsi parcior ante, atque occultior fuit, nullis tamen seculis se negavit virtute una, quantitate diversa, consilio incommutabili, opere multiformi*; & cap. 10. *Manifestaverunt divinorum eloquiorum multæ authoritates, & continua omnium seculorum experimenta docuerunt, justam Dei misericordiam, misericordemque justitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis, jucundisque eorum mentibus, defuisse*.

II. Probatur, & hac probatione probatur etiam minor principalis argumenti antecedentis; & quidem Augustinus docet epist. 80. ad Hesichium, quod Religio Christiana desumit suam credibilitatem, non tantum de universalitate temporum, aut dogmatum, sed locorum; & non requiritur, ut sit in omnibus hominibus totius mundi, sed sufficit, ut innotescat omnibus Provinciis, & in omnibus fructificet; unde in omnibus Provinciis sint Christiani. Insuper docet Bellarminus ex Driedone lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 7. quod nec pariter requiritur, ut hoc fiat simul, itaut uno tempore in omnibus Provinciis necessario esse oporteat antiquos fideles, sed sufficit ut successive fiat. Hoc posito, sic argumentamur: Error nequit esse fere in omnibus personis, fere in omnibus locis, fere omnibus temporibus, præcipue quando de Religione agitur; sed Re-

Religio Christiana fuit fere in omnibus personis, in omnibus locis, omnibus temporibus: ergo nequit ipsa esse error, aut falsitas, aut commentum. Probatur Major; quia sic error tribueretur Deo, qui illum non averteret, immo per omnium fidem terribiliorem redderet, quando providentia sua deberet illum detegere, ne tot homines illius ratione perirent.

III. Probatur. Ita Deus Christianæ Religionis cognitionem voluit omnibus notam facere, ut etiam ante Christi ortum per fidem unius Dei & Christi Mediatoris eam spiraverit aliquibus ex Gentibus extra Israeliticum populum: ergo multo magis hoc fecit post Christi nativitatem, quia tunc Christianismus magis magisque dilatabatur, & obligatio illum recipiendi præstior erat, atque strictior hominibus, qui salutem consequi voluissent; sed hoc ipsum est prudens & efficax motivum Christianismum amplectendi: ergo &c. Prima consequentia bene infertur, quia si tempore illo, quo non erat obligatio recipiendi Christianismum, Deus saltem implicite illum docebat aliquot homines, qui erant extra veram Israeliticam Religionem; & sic implicita Christianismi professio ad plura loca extendebatur, ubi scilicet homines illi habitabant; quanto magis post Christianæ Religionis prædicationem, quæ fuerat per totum Orbem diffusa, & ad omnes mundi plagas pervenerat? Majorem vero propositionem docet Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. *Nec ipsos Judæos existimo audere contendere neminem pertinuisse ad Deum præter Israelitas; populus enim re vera, qui populus Dei proprie diceretur, nullus alius fuit, homines autem quosdam non terrena, sed cælesti societate ad veros Israelitas supernæ cives patriæ pertinentes, etiam in aliis gentibus fuisse negare non possunt: quia si negant, facillime convincuntur de Sancto & mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, idest advena populi Israel fuit: divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad spiritualem Jerusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus &c.* Et epist. 49. quæst. 2. *Cum nonnulli commemorentur in Sanctis hebraitis litteris jam ex tempore Abrahæ, nec de Stirpe carnis ejus, nec ex populo Israel, nec ex adventitia societate in populo Israel, qui tamen hujus Sacramenti, scilicet Incarnationis Christi participes fuerant, cur non credamus etiam in cæteris hac atque illac gentibus, alias alios fuisse, quamvis eos commemoratos in eisdem authoritatibus non legamus? Ita salus Religionis hujus, per quam solam veram, salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.*

Opponunt I. Fuerunt plures, qui extra Christianam Religionem pro suis superstitionibus & erroribus mortem oppetiverunt: ergo fortitudo Martyrum non est motivum amplectendi Christianismum. Probatur antecedens. Pagani, Judæi, Mahumetani, & Hæretici non pauci, mortui sunt potius, quam errores proprios detestarentur; & quidem Eusebius lib. 5. histor. cap. 18. testatur, quod Montanistæ de suorum Martyrum numero gloriabantur, & Epiphanius hæresi 12. hoc ipsum asserit de Messalianis, & hæresi 76. de Arianis, & de Donatistis epist. 68. refert Augustinus. II. Tribuenda est simplicitati & ignaviæ illorum, qui Christum secuti sunt, quod illum ita faciliter sequerentur, ut ad unam tantum ejus vocem omnia relinquerent, & post illum abirent: ergo multitudo illorum, qui post Christum abibant, non est motivum amplectendi Christianismum. Quod quidem argumentum contra Christianos faciebant Julianus Augustus, perfidus Christianæ Religionis desertor, & Porphyrius Gentilis, acerrimus Christianorum insectator. III. Etiam Hæretici de amplitudine ipsorum Sectæ gloriabantur, unde & seipsos quoque Catholicos appellabant; ab universalitate scilicet fidei, quam putabant in ipsorum superstitionibus esse: ergo neque etiam amplitudo Orbis terræ, ad quam Christiana Religio extensa, & dilatata fuit, est motivum efficax & rationabile Christianismum amplectendi. IV. Ante Christum minor erat Israeliticus populus tot tantisque nationibus, quæ idola venerabantur; & nihilominus vera Religio in Israelitico populo erat, non autem in Gentibus, quarum magna erat multitudo, & ingens habitationis illarum amplitudo. V. Mahumetani extensi sunt fere ad omnes mundi regiones, ea quidem felicitate progressus, ut majorem Christiani ipsi non habuerint in propriæ Religionis propagatione; & non per hoc tamen ex hoc quis bene inferret, Mahometanam Religionem esse veram, & non esse potius spurcissimam illam superstitionem,

nem, quam omnes sciunt, omnes agnoscunt, ac detestantur. VI. Donatistæ credebant, veram esse ipsorum superstitionem, quia in sola Africa continebatur: ergo amplitudo Orbis non est signum veræ Religionis. VII. Sponsæ lectus, cujus nomine venit Ecclesia, vocatur lectulus, & hoc, quia parvus est, & paucæ quidem extensionis: ergo neque amplitudo regionum est veræ Religionis argumentum. VIII. Hanc amplitudinem Orbis terræ Christiana Religio non occupavit statim, ac in mundo apparuit, sed successu temporis, & quidem pedetentim: hoc posito, quærimus, antequam dilataretur, vel erat vera Ecclesia, vel non erat? Si erat: ergo absque amplitudine illa potuit esse vera Ecclesia: Si non erat: ergo non potuit deinde fieri vera Ecclesia, quæ antecedenter non erat vera.

Respondemus ad I. quod in Martyribus non debet attendi nude & solitarie amissio vitæ & passio mortis, sed potius conditiones & circumstantiæ, quæ in amissione vitæ & in passione mortis interveniunt, & quæ quidem in solis martyribus Christianis inveniuntur, non autem in aliarum Sectarum hominibus, qui furore potius perciti, quam Dei amore ducti, mortem oppetiunt. Quas quidem facile quilibet observabit, si advertere voluerit virtutes, quas in passionibus suis Christiani Martyres exercebant, & a quibus longe aberant aliarum superstitionum homines, qui pro sectis suis moriebantur; ut in præterita Dissert. visum est nuper.

Ad II. Dicimus cum S. Hieronymo lib. 1. commentar. in Matthæum cap. 9. *Arguit hoc loco Porphyrius & Julianus Augustus, vel imperitiam Historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sint Salvatorem; quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti: cum tantæ virtutes, tantaque signa præcesserint, quæ Apostolos antequam crederent, vidisse non dubium est. Certe fulgor ipse, & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide, & succinis hæc esse vis dicitur, ut annulos, & stipulam, & festucas, sibi copulent: quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos vocabat?*

Ad III. Augustinus contra Epistolam Fundamenti cap. 4 aperte ostendit, quam bene conveniat Christianæ Religioni Catholicæ nomen, & quam falso Hæreticorum Sectis tribuatur: *Tenet me in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen: quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Ecclesiam Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Et lib. de vera Religione cap. 7. *Tenenda est nobis Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ catholica est, & Catholica nominatur, non solum a suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolint, ipsi quoque Hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam dicunt: non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quo ab universo Orbe nuncupantur.*

Ad IV. Religio Hebræorum, quia fidem habere debebat in adventu Messiæ, ideo non opus erat, ut per universum Orbem dilataretur; non sic autem Religio Christianorum, quæ permanere debet usque ad consummationem seculi, & ideo semper crevit, & semper crescit in multitudine illorum, qui illam amplectuntur. Et quanvis fuerint, & sint hæretici, non sunt tamen tales, ut Christum omnino abjurent; & quanvis regiones plurimæ sub Barbarorum tyrannide gemant, non ob hoc tamen omnes homines habitantes in illis a Christo defecerunt. Dicitur quoque, quod ante Christi adventum multi Proselyti, qui erant Gentiles, qui Judæorum Religionem amplectebantur, inter Gentes habitabant, & in eis Mosaicam legem profitebantur. Unde ex hoc quoque universalitas Mosaicæ legis constare aliquo modo potest.

Ad V. Quanvis Mahumetani effusi sint per plurimas mundi plagas, non tamen illorum superstitio tantum est extensa, quantum dilatata fuit Christi Religio. Et modo quidem in tribus mundi partibus ultro fatemur, quod Mahumetani inveniuntur, perdurant, ac dominantur; at non in quatuor, in quas Christiani dilatati sunt, & in quibus habent Ecclesias, ubi cultum suum exercent. Denique Mahumeti superstitio armorum terrore expansa est; at Christi Religio humilitate, paupertate, ac patientia, jam pridem extensa fuit, & ad præsens pariter extenditur.

Ad VI. Contra insaniam Donatistarum hæc scribebat Augustinus lib. de unitate Ecclesiæ cap. 6. *Ecce testamentum Dei, aperite aures. Hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, & superordinat: quare vos irritum facitis testamentum Dei, dicendo*

nec

nec in omnibus gentibus eſſe completum, & periiſſe jam de gentibus, in quibus erat ſemen Abrahæ? Quare ſuperordinatis, dicendo: in nullis terris hæredem permanere Chriſtum, niſi ubi potuerit cohæredem habere Donatum? .... Date mihi hanc Eccleſiam, ſi apud vos eſt! oſtendite, vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc ſemine benedici; date hanc, aut furore depoſito, accipite. Et epiſt. 50. *Innumerabilia ſunt teſtimonia librorum Sanctorum, in quibus apparet Chriſti Eccleſia non in ſola Africa, ſicut iſti impudentiſſima vanitate delirant, ſed toto Orbe terrarum diffuſa.*

Ad VII. Nomine lectuli Expoſitores aliquot apud Cornelium a Lapide in cap. 3. Canticorum, intelligunt Synagogam, & alii intelligunt Eccleſiam Chriſti in ejus infantia; & ex horum numero eſt ipſemet Cornelius, qui citato loco exſcribit: „ Verum, quia Canticum hoc eſt Epithalamium, non Synagogæ, & Moyſis, nec ſtatus legis naturæ, & Dei, ſed Chriſti & Eccleſiæ, uti docent S Hieronymus, Caſſiodorus, Beda, Origenes Theodoretus, & cæteri paſſim; hinc de Chriſto, & Eccleſia hæc exponenda ſunt. Jam, quia ut dixi in proæmio, in cantico ortus, progreſſus & perfectio Eccleſiæ deſcribitur, ortus autem, ſive infantia Eccleſiæ deſcripta ſit a cap 1. verſ 1. uſque ad cap. 2. verſ. 8. inde autem uſque ad cap. 3. verſ. 6. deſcribatur Ecelesiæ progreſſus, ſive adoleſcentia, ſequitur pariter hæc, quæ cap 3. verſ. 1. & ſeq. uſque ad verſ 6. continentur ad ejuſdem adoleſcentiam referenda eſſe, hicque eam terminari. Infantia autem Eccleſiæ fuit ab ortu Chriſti uſque ad ejus aſcenſum in Cœlum, & miſſionem Spiritus Sancti, quæ continet geſta Chriſti a nativitate uſque ad mortem, reſurrectionem, aſcenſionem, & Pentecoſten: inde vero incipit adoleſcentia, & propagatio Eccleſiæ, quam prædicando fecerunt Apoſtoli. Quare infantia Eccleſiæ deſcribitur in Evangeliis, adoleſcentia autem in Actis Apoſtolorum. Lectulus ergo hic Sponſæ, ſive Eccleſiæ primitivæ, fuit quies ejuſdem, qua poſt aſcenſum Chriſti in Cœlum, quievit cum B. Virgine, & Apoſtolis in Sion uſque ad Pentecoſten, & adventum Spiritus Sancti, ac poſt eum quievit in Sion, & Judæa per plures annos, quibus ſolis Judæis prædicarunt Apoſtoli (Baronius numerat annos decem, ego vero quatuor dumtaxat, uti oſtendi Actor. 12. 1.) imo putabat ſe ibi perpetuo quieturam cum ſuo Sponſo Chriſto; ſed ibi Chriſtum non invenit, quia pauci e Judæis fidem amplexi ſunt, cæteri cum Scribis, & Pontificibus Chriſtum, & Eccleſiam ſpreverunt, imo perſecuti ſunt. Quocirca Eccleſia, puta S. Petrus, & Apoſtoli edocti a Chriſto, ſuſceperunt laborioſum iter, & onus evangelizandi per omnes gentes, ibique Chriſtum invenerunt in fide, religione, & obedientia, omnium gentium, ut patet ex Actis Apoſtolorum, & ex Hiſtoria Eccleſiaſtica. Concatenatio ergo Cantici, ejuſque expoſitio, petenda eſt ex ſucceſſu Chriſti, & Ecelesiæ, qui in Evangeliis, Actis, & Hiſtoria Eccleſiaſtica, deſcribitur. „

Ad VIII. Certum eſt, quod Chriſtiana Religio in ſui exordio non habuit amplitudinem illam, quam ſucceſſu temporis conſequuta eſt; nemo enim repente fit ſummus; at non per hoc dicendum eſt, quod vera a ſui principio non fuerit. Homo infans etiam eſt verus homo, ſicuti eſt homo adultus & homo ſenex; & quando creſcit, non mutatur eſſentialiter ab eo, quod erat, antequam ereſceret. Sic pariter Chriſtianiſmus in ſui infantia verus erat, quanvis non amplus in actu; in potentia tamen amplus erat, quia amplitudinem illam expectabat, quam deinde per temporis decurſum, & quidem non multi temporis, conſequutus eſt.

DISSERTATIO CCLVIII.

De motivis amplectendi Christianismum. An hujuscemodi fuerit modus, quo primum Christiana Religio fuit propagata? An sit perpetuitas Christianæ Religionis, quæ nulli unquam Sectæ concessa est? An sit constans consensus in doctrina fidei, & morum, quo aberrantes Sectæ omnino destituuntur?

Dicimus I., modum, quo primum Christiana Religio fuit propagata, esse sufficiens, & prudens motivum suscipiendi illam.

I. Probatur. Ex una parte Religio Christiana continebat mysteria, quæ humanæ mentis captum excedebant, & præcepta, quæ superabant naturæ vires; ex altera non proponebat suscipientibus illam bona sensibilia,& temporalia; Denique non fuit propagata armorum strepitu, non Principum imperio, non eloquentiæ vi, sed inter persequutiones gravissimas, supplicia immania, & mortem quoquoversus, & ubique, occurrentem: & nihilominus modus hic, qui humanæ sapientiæ judicio tam improprius, & inefficax videbatur, fuit efficacissimus, ut eam nationum omnium populi amplecterentur, omni mortis timore posthabito, & spretis contumeliarum, paupertatis, & pœnarum minis, intuentes solum, quæ non videbant, sed quæ credebant, sperabant, & exspectabant; atqui hic modus secundum humanæ prudentiæ leges adeo dispar, & improprius, reddi non poterat efficax ad intentum,nisi a solo Deo: ergo modus, quo Christiana Religio fuit propagata, fuit a solo Deo; sed ubi Deus operatur, ibi est veritas: ergo modus, quo Christiana Religio fuit propagata, est motivum efficax ad eredendum,Christianam Religionem fuisse a Deo: ergo est motivum efficax, & prudens amplectendi illam. Hoc eodem argumento ad probandum quod intendimus, usi fuit Justinus martyr in Apolog. 2. Clemens Alexandrinus lib.6. Stromatum in fine, Lactantius Firmianus lib.5. divinarum institutionum cap.13. Chrysostomus homil. 34. in Matthæum, & homil. 4. & 5. in epist. 1. ad Corinth. Augustinus lib.22. de Civit. Dei cap. 5. & lib. de vera Religione cap. 3. & 4. & lib. de utilitate credendi cap. 14.

II. Probatur. Religio Christiana multos habuit, & ferocissimos Persequutores in sui propagatione; & nihilominus nunquam fuit dissipata, nunquam destructa, nunquam exstincta; quin potius inter tormenta magis magisque crescebat; inter persequutiones amplius extendebatur; inter cruces, & mortes amplior, & numerosior evadebat; sed hoc esse non poterat, nisi Deus esset cum illa: ergo &c. Probatur major Fremebant contra Christianismum, hinc Tyranni, qui nolebant in subditis Religionis mutationem, & novitatem; hinc Philosophi, qui adduci non poterant, ut crederent,quæ non intelligebant; inde Judæi, quibus Christus erat invisus, & Religio ab eo instituta odiosa; inde pariter Hæretici, qui eum labefactare conabantur, & a Christianismi Proceribus metuebant pœnas, quas sibi imminentes agnoscebant: & nihilominus inter tot tantasque persequutiones, & in conspectu tot tantorumque immanium Persequutorum, firma & stabilis permansit; & non solum non est destructa, sed potius est conservata, aucta & exaltata; Unde Christiani Tyrannos irridebant, usque cum Tertulliano in fine Apologetici impropebant, dicentes: *Hoc agite, boni Præsides, cruciate, torquete, atterrite, nos plures efficimur, quoties metimur a vobis*; & lib. adversus Scapulam cap. 1. *Nos quidem neque expavescimus, neque pertimescimus ea, quæ*

ab

ab ignorantibus patimur: cum ad hanc Sectam utique susceptа conditione ejus, pacti venerimus, ut etiam animas nostras antorati in has pugnas accedamus, ea, quæ Deus repromittit, consequi optantes, & ea, quæ diversæ vita comminatur, pati timentes. Denique cum omni sævitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes: magisque damnati, quam absoluti gaudemus. Itaque hunc libellum non nobis timentes misimus, sed vobis & omnibus inimicis nostris, nedum amicis. Ita enim disciplina jubemur diligere inimicos quoque, & orare pro eis, qui nos persequuntur: ut hæc sit perfecta, & propria bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum. Qui ergo dolemus de ignorantia vestra, & miseremur erroris humani, & futura prospicimus, signa eorum quotidie intentari videmus, necesse est, vel hoc modo erumpere ad proponenda vobis ea, quæ palam non vultis audire. Sed hæc omnia quis credere potuisset eventura esse, nisi Deus eadem operatus fuisset? Ergo si modus propagandi Christianismum fuit a Deo, est vere motivum efficax, & prudens amplectendi illum.

III. Probatur. Christus non solum non operatus fuit, quæ operati sunt alii, ut sibi socios, asseclas, & sequaces, adsciscerent, verum quoque operatus est opposita; & nihilominus consequutus est finem, quem alii consequi non potuerunt: ergo dicendum est, modum, quem tenuit Christus, non fuisse ab hominibus, sed a Deo: ergo vere fuit modus iste, efficax & prudentissimum motivum amplectendi Religionem, quam Christus instituit, ac propagavit. Probatur antecedens. Alii Legislatores & novorum Rituum Institutores, erant hominibus noti, & ab iisdem pretio habiti; Christus vero fuit novus homo, natus in Galilææ angulo, nulla humana ope commendatus, nullo hominum præsidio præditus, & omni Principum favore destituturus, cæteris exteris erat ignotus, suis autem odiosus: Insuper non sibi homines alliciebat opum largitione, quod fecerat Cyrus; non gloriæ promissis, quod præstiterat Alexander; non victoriæ spe, quod effecerat Cæsar; non voluptatum illecebris, ut operatus est Mahumetus: at potius paupertate, injuriis, infamia, cruce, & morte propositis, vocavit homines ad fidem mysteriorum, quæ naturalem rationem excedebant, & ad praxim virtutum, ad quas naturales vires pertingere non poterant. Denique duodecim elegit homines, qui non sapientiæ laude, non armorum gloria, non prudentiæ vel politicæ præconio, commendabantur; sed qui erant omnino rudes, assueti tantum ad reficienda retia, & ea in mare mittenda, ut pisces caperent, quorum nundinatione vivebant: & nihilominus intra non multos annos, totum fere terrarum Orbem post se adeo traxit, ut neminem puderet crucifixum adorare, ut Deum, & pauperrimos Piscatores, ut Magistros in fide, & in Religione Doctores fateri, ac venerari. Hæc ne fieri poterant, nisi Deus esset in illis? Nonne Dei digitus erat, qui illa omnia operabatur? Si igitur modus iste tam impervius, & oppositus, a Deo erat, bene est efficax & prudentissimum motivum amplectendi Christianismum.

IV. Probatur. Ante Christianismi propagationem, si quis Philosopho cuidam aperuisset, modum, quo Christiana Religio propaganda erat, quid dixisset Philosophus ille? Credidissetne Christianam Religionem habituram felicem illum exitum, quem habuit? Minime gentium. Quin potius irrisisset illum, qui ei talia narrasset paradoxa. Et hoc quidem erat argumentum, quod ad rem nostram adhibebat Augustinus lib. de vera Religione cap. 3. scribens: *Respondisset, credo, ille, non posse hoc ab hominibus fieri, nisi quos ipsa Dei virtus atque sapientia commendasset, ut omnia contemnendo, quæ pravi homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horrescunt, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque authoritate converseretur.* Igitur quum hoc jam factum videamus contra Philosophorum omnium judicium, & contra hujus mundi prudentium vaticinium, fateri omnino debemus, a Deo factum esse, qui aliquando media eligit, & adhibet opposita ad finem, quem intendit, ut magis magisque virtus ejus elucescat in suorum operum mirabilibus.

Pro Secunda Dissertationis parte, nomine perpetuitatis Religionis duplex est intelligentia, & antiquitas nimirum originis, & permanentia durationis. Utranque in Christianismo fuisse, & esse, sequentibus Conclusionibus ostendemus. Proinde

Dicimus II. Antiquitatem Christianæ Religionis, quæ est omnium antiquissima, esse pariter forte motivum illam amplectendi.

I. Probatur. Religio Christi originem ducit a primis hominum Parentibus, Adamo, & Eva, quibus illa revelata est: ergo est omnium antiquissima; sed Religio, quæ antiquior est, est vera: ergo antiquitas Chri-

Christianæ Religionis est signum veritatis illius: ergo est motivum amplectendi illam. Quæ hic sunt probanda, duo sunt; unum scilicet, quod antiquitas sit nota veritatis Religionis; alterum vero, quod hæc nota Christianæ Religioni conveniat. Primum sic probatur. Infideles, ut probarent, Christianam Religionem esse falsam, dicebant eam esse novam; ut legitur apud Origenem lib. 1. contra Celsum, & apud Eusebium lib. 1. de præparat. Evangel. cap. 1. Unde Symmacus hoc argumento utebatur, ut Imperatores induceret ad restituendam Victoriæ aram; ut legitur apud Ambrosium in lib. 5. Epistolarum: *Si longa ætas authoritatem Religionibus faciat, servanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis Parentes, qui sequuti sunt feliciter suos*. Ambrosius autem respondebat epist. 31. *Cæli mysterium doceat me Deus ipse, qui condidit, non homo, qui seipsum ignoravit; cui magis de Deo, quam Deo, credam?* Ratio autem hæc est; quia Religio veritatem suam habet ex authoritate, non ex ratione; ratio est illa, quæ in dies crescit, quia hominum speculationibus, excogitationibus, & inventis, quæ non uno tempore fiunt, in dies suscipit vires, & excrescit; at authoritas semper est una, & eadem, & quæ antiquior est, vera est, & sola vera, quia verum vero non opponitur. Insuper Religio quo magis est vicinior Deo, qui est ejus author, eo est purior, & sincerior; sed quæ est antiquior, est Deo vicinior: ergo est purior, & sincerior. Quod autem Christiana Religio sit antiquissima, & a primis mundi hominibus inceperit, negari non potest, si nomine Christianæ Religionis intelligatur illa, quæ non tantum unum Deum colit, sed etiam, quæ coluit Christum Dominum tanquam Servatorem, Mediatoremque suum; sive crediderit eum venturum, sive credat eum venisse, & modo in Cœlis regnare. Et hoc docet Augustinus lib. 6. de Civit. Dei cap. 2., ubi asserit, Christianam Religionem in Adamo ædificari cœptam; quod pariter confirmat serm. 217. de temp. Ante ipsum autem docuerant Origenes lib. 1. contra Celsum, & homil. 2. in Cantica, ubi hæc habet: *Antequam tempus horum adesset, in multis Angelorum ministerio excolebatur sponsa, qui apparebant tunc hominibus, & loquebantur ea, quæ res poscebat, & tempus. Non enim tu mihi ex adventu Salvatoris in carne Sponsam dici, aut Ecclesiam putes, sed ab initio humani generis, & ab ipsa constitutione mundi*: Et Eusebius lib. 1. Histor. cap. 1. *Omnes, qui ab Abraham sursum versus usque ad primum hominem generationum ordine conscribuntur, etiamsi non nomine, rebus tamen & Religione, Christianos fuisse, si quis dicat, is mihi non videtur errare. Etenim nomen Christiani hoc indicat, quod Christo quis credens per ejus doctrinam, fidem, pietatem, ac justitiam, tenet*.

II. Probatur, Religio Christiana, ab Adamo usque ad præsens immutata, perseverat adeo, ut eadem credamus nos, quæ crediderunt ante Christi adventum, sive explicite, sive implicite, omnes illi, qui Christum præcesserunt; sed hæc antiquitas, & continuatio, & perseverantia Religionis, est invictissimum illius veritatis argumentum: ergo pariter est motivum efficax & prudens recipiendi illam. Probatur major. Præcipua capita Christianæ Religionis sunt mysteria Unitatis, & Trinitatis Dei, Incarnationis Verbi, ac Christi Mediatoris, Redemptoris, & Remuneratoris; sed hæc omnia crediderunt omnes, qui Christum præcesserunt, aliqui quidem explicite, alii vero implicite, ut dictum est in Dissertat. 196. ergo quæcunque nos credimus in Christiana Religione, crediderunt pariter omnes ante Christi adventum; & præcipue crediderunt post Adamum omnes, qui in lege Naturæ Christi Salvatoris cognitionem habuerunt, non solum implicitam, sed etiam explicitam; scilicet Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, & Jacob; in lege autem scripta fuerunt Moyses, Aaron, David, & alii plures, videlicet Prophetæ, & qui in qualibet lege extiterunt, vel summi Sacerdotes, vel Populorum Rectores, vel cæterorum in Spirituali vita Directores. Insuper quæ nos habemus Sacramenta in realitate, & substantia, illi habuerunt in figura: præcepta Decalogi habemus nos, habuerunt quoque illi; Christus enim ea non abrogavit, sed confirmavit; Unde stat semper, quod Christianam Religionem, quam nos profitemur, habuerunt illi omnes, qui in lege Naturæ, & Scripta, præcesserunt Christum, adeoque horum respectu Christiana Religio est antiquissima, & immutata, hucusque perseverans. Quod, ut clarius pateat

Dicimus III., perpetuitatem Christianæ Religionis nulli unquam Religioni fuisse concessam, adeoque esse motivum efficax, ut Christianismum amplectamur.

I. Probatur. Veritas semper durat, & falsitas cito concidit; unde dicebat Theodoretus lib. 5.

lib. 5. de Curat. græc. affect. quod falsitas non modo ipsi veritati, sed sibi quoque ipsi contraria est; veritas autem & sibi constans est, & unam tantummodo falsitatem infestam habet: ergo sicut in Superstitionibus argumentum est falsitatis ipsarum, quod non duraverint, & perierint; ita in Christiana Religione est suæ veritatis argumentum, quod per tot secula conservata fuerit, & etiamnum perseveret, & duret. Probatur consequentia ex Hieronymo in cap. 3. Habacuc, qui superstitiones comparat torrentibus, qui non durant, Religionem vero Christi fluminibus, quæ sunt perennia: eandem comparationem quoque facit Augustinus in psalm. 57. ad illa verba; *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens*. Verba Hieronymi sunt: *Feruntur hæreses prono eloquentiæ cursu, & præcipites, ut quemque obvium, & levem invenerint, secum trahant; sed tanquam torrentes velociter transierunt, quia non erant flumina perennia de Deo, veritatis, & sanctitatis fonte, profluentia*. Verba Augustini sunt; *Non vos terreant, Fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes: decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt, concurrerunt in rivis suis quantum potuerunt; decurrerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerunt*. Quod enim semel est verum, semper est verum, & quod aliquando falsum detegitur, semper fuit falsum.

II. Probatur. Idololatria, quæ ante Christi adventum totum fere Orbem implebat, funditus periit, illa præsertim antiqua, adeout nec illius supersint vestigia. Perierunt Philosophorum Sectæ, & si quæ modo perdurat, in iis tantum consistit, quæ Christianæ Religioni non opponuntur. Perierunt Imperia, & Respublicæ, quas antiqui Legislatores erexerunt, & quibus leges dederunt. Perierunt antiquæ Hæreticorum Sectæ, quæ ab ipso Christianæ Religionis exordio veram Jesu Christi Ecclesiam infestarunt. Superstes nihilominus est post illas omnes deperditas, ac dissipatas, Christiana Religio, sive ejus initium desumatur ab Adamo, sive a Christo, a quo fluxerunt supra decem & septem secula; & quanvis conati sint idololatriæ Professores ac Protectores illam destruere, ac funditus evertere, immo & Hæresiarchæ, & illorum Sectatores, omnem moverint lapidem, ut illam confunderent, ac perturbarent, irritus tamen fuit omnis labor ipsorum, quum videatur Christianismus triumphans supra ruinas illorum, qui illum evertere conabantur. Quod quidem non ob aliud evenisse, velint nolint Religionis nostræ hostes, necesse est ut fateantur, quam quia veritas, quæ Christianæ Religionis est anima, in ævum durat, durabitque semper; & quia Deus, qui est author ipsius, illam digito suo firmat, ne commoveatur. Igitur permanentia, & perpetuitas Christianæ Religionis est ineluctabile argumentum veritatis ipsius, & per consequens efficax, & prudentissimum motivum illam amplectendi.

Dicimus IV. constantem consensum in doctrina fidei & morum, qui est in Christiana Religione, & qui in aliis Sectis non est; esse motivum efficax & prudens amplectendi Christianismum, & cæteras Sectas a Christianismo alienas rejiciendi.

I. Probatur. Per supra decem & septem secula mutata sunt tempora; mutata sunt instituta hominum, moresque ac consuetudines populorum variæ omnino videntur; & nihilominus Christianismus semper est idem, & sibi constans: ergo signum est, quod in eo tantum veritas comprehenditur, & vera Religio continetur. Antecedens negari non potest; quia eadem in doctrina fidei in Christianismo sunt dogmata, eadem in regulis morum vigent præcepta; & si quæ mutatio in Adiaphoris ritibus deprehenditur, Religionis substantiam non tangit. Consequentia autem bene infertur; & hoc patet ex argumentatione Cypriani in lib. de unitate Ecclesiæ cap. 5. *Ecclesia Domini, luce perfusa, per orbem radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur; nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latius expandit; unum tamen caput, & origo una, & una mater, fæcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest Sponsa Christi; incorrupta est, & pudica; unam domum novit; unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit*.

II. Probatur. Statim detegitur vana & falsa doctrina illa, in qua est divisio, & contrarietas: ergo hoc eodem medio probatur, quod sit vera doctrina illa, & divinitus inspirata, quæ semper fuit perfectissime una, semperque & ubique consentiens; & hoc eo magis quando est disseminata inter nationes, & gentes, quæ diversæ

versæ sunt moribus, ingenio, ac politica gubernatione; sed hoc totum verificatur in Christiana Religione: ergo constans consensus, quem habet Christiana Religio in doctrina fidei, & morum, est argumentum veritatis ipsius, & per consequens motivum efficax & prudens recipiendi illam. Minor subsumpta hujus argumenti sic a Tertulliano probatur lib. de præscription. Hæreticorum cap. 20. *Postea in Orbem profecti* (Apostolos intelligit) *eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgarunt, & proinde Ecclesias apud unamquanque Civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant, ac per hoc & ipsæ Ecclesiæ Apostolicæ deputantur, ut soboles. Ecclesiarum omne genus ad originem suam censeatur necesse est .... Constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi & Dei.*

III. Probatur, ex contradictionibus, quæ inveniuntur in Alcorano, quas enumerat Guadagnolus in Apologia pro Christiana Religione sect. 3. cap. 9. ex antilogiis Hæreticorum, & præcipue Marcionitarum, qui ex Epiphanio lib. 1. contra hæreses, divisi sunt in Lucianistas, Apellianos, & Severianos; Montanistarum, qui ex eodem Epiphanio lib 2. dissecti fuerunt in Pepusianos, Artotyritas, Phrygestas, &c., Manichæorum, qui ex Augustino lib. de hæresibus cap. 46. multas habuerunt Sectas; Donatistarum, qui ex eodem Augustino lib. 1. de baptismo cap. 6 diversas, & contrarias pepererunt Soboles; Messalianorum, qui ex Epiphanio hæresi 80. & Theodoreto lib. 4. de Hæreticorum fabulis, dividebantur in Martyrianos, Sathanianos, & Euthusiastas; Arianorum, qui ex Rufino lib. 10. histor. cap. 25. constituerunt Achacianos, Macedonianos, Eunomianos, &c. Immo Hilarius in utroque lib. ad Constantium Imperatorem testatur, Arianos singulis fere annis mutasse fidem; Lutheranorum, quorum triginta quatuor diversas Classes enumerat Staphylus in lib. de concordia Discipulorum Lutheri. Unde scribebat idem Hilarius lib. 7. de Trinit. *Bellum Hæreticorum pax est Ecclesiæ, & triumphus*; & Augustinus explicans verba illa psalm. 30. *Protegat nos Deus in tabernaculo suo a contradictione linguarum*, hæc de Ecclesia scribit: *Illa tabernaculum adhuc dicitur, quia in hac terra adhuc peregrinatur: Tabernaculum enim est habitaculum militum in expeditione positorum. Ergo in hoc Tabernaculo proteges eos a contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ, diversæ hæreses, diversa schismata, diversæ doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei; Ecclesiam Catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, & protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum.* Et in psalm. 74. *Qui volunt unam linguam, veniant ad Ecclesiam, quia & in diversitate linguarum carnis, una est lingua in fide cordis.*

Arguunt I. Christianismus fuit quoque armis propagatus; sed hic non est modus, ex quo inferri possit motivum amplectendi illum; ergo modus, quo fuit Christianismus propagatus, non est prudens & efficax motivum ad implectendum illum. De minore propositione non dubitatur, quia armis quoque Mahumeti superstitio dilatata fuit, & nihilominus nemo dicit, istam esse amplectendam; & ratio est, quia arma cogunt per violentiam ad faciendum aliquid exterius, non vero convincunt mentem, nec alliciunt voluntatem interius, ut eam facere sponte sua moveatur. Major autem probatur cum testimonio Lucii Senecæ dicentis contra Judæos, quorum nomine Christianos intelligebat: *Interim usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit. Victi Victoribus leges dederunt.* Quæ verba Augustinus memorat lib. 6. de Civit. Dei cap. 11., & Humatianus de Christianis sub nomine Judæorum loquens in suo itinerario cecinit:

Latius excisæ gentis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit;

& Dio lib. 37. scribit: *Est etiam apud Romanos genus istud, imminutum quidem sæpe numero, adeo tamen auctum, ut vim legum pervicerit:* ubi autem sunt victoriæ, ibi sunt bella, & ubi bella, ibi sunt arma; Insuper vis legum frangi non potest sine armis: ergo si Christiani vim legum vincebant, armis id præstitisse, dicendum est. II. Neronis tempore Christiani uti Latrones habebantur; & hoc non nisi, quam quia violentias adhibebant, ut Religionem suam propagarent: unde refertur Romæ fuisse lapidem Neroni inscriptum, *ob Provinciam latronibus, & his, qui novam Generi humano superstitionem inculcabant, purgatam:* ergo modus, quo fuit Chri-

stiana Religio propagata, fuit rapinis, cædibus, & mortibus, funestatus. III. Narrat Baronius tom. 2. Annalium, ex Eusebio, Zonara & aliis, quod Diocletianus in Occidente Mediolani & Maximianus ejus in imperio collega, in Oriente Nicomediæ, se se imperio abdicarunt, quod non possent Christianis resistere, eosque non valereut rotmentis & cædibus extirpare: ergo non humilitate & patientia Christiana Religio crevit, & per Orbem est dilatata, sed potius resistentia, inobedientia, ac contentione, quibus Principibus Christiani se upponebant, illorumque leges, & edicta, aspernabantur. IV. S. Augustinus lib. 16 de Civit. Dei cap. 1. fatetur, difficile esse liquido probare ex Scripturis Sanctis, an a Noe usque ad Abraham veri unius Dei cultor quisquam extiterit; & rationem subdens addit; *quia non invenimus usque ad Abraham cujusquam pietatem evidenti eloquio divino prædicatam*: ergo Christiana Religio vel fuit interrupta, si ab Adamo incepit, vel verum non est, quod ab Adamo inceperit. V. Multæ mutationes in Christiana Religione tractu temporis sunt factæ, quæ illam a pristino candore defecisse omnino probant; & quanvis ostendi non possit præcise, quo tempore, quo loco, quo Authore, mutationes istæ factæ fuerint, quia paulatim errores irrepserunt, & non advertentibus, immo dormientibus Pastoribus; attamen mutationes agnoscuntur, & novitates improbantur, quibus Christiana Religio adeo dehonestata est, ut an sit illa, quæ prius erat, agnosci vere non possit. VI. Omnes Hæretici Novatores, & præsertim Calvinus in præfatione Institutionum, jactant, Ecclesiam suam non esse novam, sed antiquissimam, & illam ipsam, quam Christus fundavit, & Apostoli propagarunt: ergo non est proprium Christianæ Religionis decus antiquitas quum eam pariter affectent Superstitiones, & Sectæ. VII. Calvinus & Lutherus pariter opponunt antiquitatem suarum Ecclesiarum, quas dicunt per multa secula fuisse, sed non apparuisse, & illo demum tempore fuisse visam, quo Deus prædixerat ut afferit Jacobus Hadbrunnerus Neoburgensis in suo Acatholico volumine art. 15. cap 9. & 10. VIII. Christiana Religio & vera Ecclesia defecerunt ub Romanorum Pontificum superbiam, qui non Prochristros, sed Antichristos, se ostenderunt, & quando ob Phocæ Imperatoris concessionem Episcopis omnibus præcedere, & dominari, tentarunt, vel quando Pantheon Romæ apetuerunt, quod opponunt Madgeburgenses centuria 7. cap 1., vel quando temporale dominium cum spirituali junxerunt. IX. Negari non potest, quod Judæorum Religio antiquior sit illa Christianorum: ergo si ab antiquitate desumendum est motivum Religionem aliquam amplectendi, potius hoc faciet pro Judæorum, quam pro Christianorum Religione. X. Mahumeti superstitio per tot jam secula duravit & durat: ergo si a perpetuitate durationis deduci valet motivum recipiendi aliquam Religionem, magis hoc valebit pro Mahumeti Superstitione, quam pro Religione Christi.

Respondemus ad I. ex Seneca Christianos, quos Judæos intelligit, fuisse victos; Gentiles vero fuisse victores, & quidem non in prælio, quod nullum inter ipsos fuerat, sed in persequutionibus, quas Gentiles contra Christianos movebant. Et nihilominus quanvis Christiani fuissent victi, quia torquebantur, quia flagellabantur, quia moriebantur, leges tamen Victoribus dabant, quia illos ad ipsorum fidem pertrahebant, & patientia sua adeo in Vincentium animis prævalebant, ut ipsorum Religionem amplecterentur. Vincebant pariter Christiani vim Legum, ut dicebat Dio, quanvis & ipsi victi essent, quia Edicta Principum, quæ contra Christi Religionem promulgabantur, flocci faciebant, quia a Christo edocti plusquam Principes timebant Deum, qui non solum potest occidere corpus, sed etiam corpus & animam potest perdere in gehennam.

Ad II. Verba quæ leguntur in Saxo, quod referr Petrus-Daniel Huetius, Episcopus Abringensis in Demonstrat. Evangel propos. 3. nu. 21. non indicant, Christianos fuisse latrones, sed Neronem delevisse latrones & Christianos, qui per particulam *&* significantur a Latronibus alii & diversi, & non iidem cum ipsis. Legitur enim: *Ob Provinciam latronibus, & his, qui novam Generi humano superstitionem inculcabant, purgatam*. Hi profecto in Scriptoris mente Christiani erant, at non latrones, quia a latronibus per verba illa secernebantur. Cæterum quid mirum si Gentiles in Christianos probra hæc promulgarent, quum deteriora in Christum publicaverint Judæi, & in Christianos ipsos, quos immenso odio prosequebantur?

Ad III. Mens Baronii fuit in illis verbis expri-

primere, quod Christiana doctrina fuerit velut malleus, conterens petras, & eloquium Dei convertens animas; atque etiam fuerit gladius penetrabilior omni gladio ancipiti; quibus Christi fascibus submittebantur, Philosophorum sapientia, Rhetorum eloquentia, Jurisperitorum prudentia, Tyrannorum vis & potentia, Carnificum ferocitas, & Dæmonum cultus & immanitas. Imperatores utique pertæsi fortitudine & patientia Martyrum, a proposito in eosdem insæviendi destiterunt; & desperantes pertrahere illos in suam sententiam, voluerunt potius imperio cedere, quam caussam perdere.

Ad IV. In probationibus adduximus Augustinum dicentem lib. 16. de Civit. Dei cap. 2. ex Scriptura non obscura colligi, semper durasse Ecclesiam Dei, & Christianam Religionem, in Adamo ædificari cœptam; & hoc ipsum pariter scribentem, serm. 217. de tempore. In loco autem in objectione citato, verborum illorum rationem reddens, asserit, quod Moyses in lib. Genesis non intendebat Historiam aut Annales Christianæ Religionis & Ecclesiæ Dei texere, sed solum volebat venire ad Abraham, ex cujus semine Christus oriundus erat secundum carnem, & cætera attingere, quæ per occasionem occurrerent.

Ad V. Non valentes Hæretici Sanctorum Patrum authoritatem effugere, qua nostra dogmata probamus, hæc eadem dogmata in nobis vocant errores, in Patribus vero nævos. Nullam autem ex hoc aperte evincitur in Christiana Religione & in Ecclesia Catholica fuisse novitatem, quia quæ Catholici modo docent, ab initio docuerunt Patres. Proinde velint nolint, necesse est ut fateantur, nullam fuisse in nobis mutationem. Narrat Sozomenus lib. 7. histor. cap. 12. Theodosium Imperatorem hoc argumento Hæreticos sui temporis ad meliorem frugem reduxisse. Interrogavit illos, an magnifacerent antiquos Patres, qui Ecclesiam docuerant, & gubernaverant ante dissidium, quod tunc de Religione vigebat; & respondentibus illis, vere Patres illos fuisse sanctos & Apostolicos, & recte de Religione sensisse; Imperator hoc protulit judicium, Hæreticis dicens: *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta, & si cum illis consenserit, retineatur; sin minus, abjiciatur*. Hoc ipsum nos respondemus cunctis illis, qui nobis opponunt, vel novitatem in Ecclesia Catholica, vel in Christiana Religione immutationem.

Ad VI. Dicitur argumentum esse trasonissimum Hæreticis omnibus communem, & observatum jam a mille & quadringentis annis a Lactantio lib. 4. Institut. divinarum cap. ultimo dicente: *Sola Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic autem est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei: quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exierit, a spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Sed tamen singuli quique Hæreticorum cœtus se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam, putant.*

Ad VII. Hoc idem argumentum fecisse Donatistas contra Catholicos, refert Augustinus lib. de unit. Ecclesiæ cap. 13. quibus Augustinus cap. 15. & 16. & lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 2. respondebat hoc dilemmate: Aut hæc Ecclesia, quæ nunc apparuit, antea perierat, & nunc resurrexit, aut non perierat, sed tantum invisibilis latebat & nunc se manifestavit? Non primum, quia si mater perierat, non poterant ipsi renasci. Si periit, unde ergo Donatus apparuit? De qua terra germinavit? Ex quo mari emersit? De quo cœlo cecidit? Neque secundum, quia vel illa Ecclesia latens & invisibilis profitebatur novam doctrinam, vel non profitebatur. Si profitebatur: ergo non erat latens & invisibilis, sed manifesta: Si non profitebatur: ergo illa non fuit Ecclesia, ac proinde nulla fuit vera Ecclesia in mundo. En quot absurda devorare coguntur.

Ad VIII. Latius respondebitur quando de Romano Pontifice tractabitur. Pro modo dicimus tantum, quod quum veritas dicat Matthæi 24. abreviandos fore dies Regni Antichristi propter Electos; nequit esse Antichristus Romanus Pontifex, qui per tot secula regnavit.

Ad IX. Judæorum Religio jam defecit, & non fuit amplius post Evangelii prædicationem, nec modo est, sed tantum est cadaver illius, quæ antea fuit; nulla enim Judæi modo habent sacrificia, nullum templum, nullos ritus, nec cæremonias sacras; immo nec veram fidem habent, quia etsi Deum credant, credunt tamen illum infecundum, quia non credunt trinum; Unde nec verum Deum adorant. Et quamvis antiquitus non crederent explicite Deum Trinum, credebant tamen implicite; at modo nec explicite, nec implicite credunt; immo negant,

gant, Deum esse Trinum, quod idem est ac non credere Deum unum, qui adeo unus est in natura, ut etiam Trinus sit in personis.

Ad X. Hæc sunt discrimina quoad temporis durationem inter Religionem Christi & Mahumeti Superstitionem, quod Religio Christi duravit a mundi constitutione usque ad præsens; Mahumeti vero superstitio circiter a mille annis; Christi Religio duravit quamvis ærumnis præssa, & in laboribus & persequutionibus constituta, Mahumeti superstitio armis stipata, & libidinibus affluens; Christi Religio dilatata est virtutibus, & exemplis, Mahumeti superstitio sceleribus, voluptatibus, & rapinis; Christi Religio contra Adversarios Philosophos se defendit disputationibus & libris, Mahumeti superstitio omnem respuit concertationem, & nullum admittit literarium de Religione certamen; Christi Religio miracula conservat, Mahumeti superstitio non habet, sed fingit, & quo plus fingit, minus se habere ostendit: Dei.um Christi Religio Apostolorum, & Apostolicorum hominum ore deportatur per prædicationem in exteras plagas, ubi Populi earum amplectuntur illam, si fuerint de illius veritate convicti; At Mahumeti superstitionem deportant Principes Mahumetanorum in terras illas, in quibus dominantur, ibique imperio suo, seu potius tyrannide, extendunt, cæterisque, qui eam non suscipiunt, suscipiendam armis proponunt, itaut illius extensio omnino fiat per vim, per violentiam, atque terrorem.

DISSERTATIO CCLIX.

De obligatione recipiendi Christianismum. An quis eximi possit a debito recipiendi Christianismum sine æternæ vitæ jactura? An cum debito recipiendi Christianismum stet simul debitum omnes alias Religiones respuendi? An satisfieri possit huic debito per solam apparentiam, absque interiori mentis, & cordis, adhæsione?

Dicimus I., neminem posse eximi a debito recipiendi Christianismum sine æternæ vitæ jactura.

I. Probatur. Cuique homini est debitum summum amplectendi ex animo Religionem illam, quam sufficienter cognoverit fuisse a Deo institutam; sed Christiana Religio cuique hominum constare potest, quod fuerit a Deo instituta: ergo cuique hominum inest debitum amplectendi Christianam Religionem. Major constat ex dictis in præcedentibus Dissertationibus, in quibus probavimus, non potuisse homines sine aliqua Religione in mundo esse, tum quia divinæ providentiæ munus erat hominem Religionem docere, per quam suum agnosceret, coleretque, Factorem; tum quoque, ut homines ab animantibus brutis distinguerentur, quæ sine rationis ductu, & sine Religionis debito, vivunt; tum denique, ut per religionem ad suum ducerentur finem, ad quem eos direxit Deus, quando illos creavit. Minor pariter ex præcedentibus Dissertationibus fit certa, in quibus plura adduximus motiva recipiendi Christianismum, quæ omnia eo collimant, ut ostendant Christianismum fuisse a Deo institutum.

II. Probatur. Religio aliqua fuit a Deo instituta, quam docuit hominem, ut per ipsam viveret in terris, & postmodum regnaret in Cœlis; sed hæc non potest esse alia, quam Religio Christi: ergo Religio Christi est omnibus præferenda in Religionis electione, quam faciunt homines. Major pariter constat ex dictis,

quia

quia aliter homines sine Religione essent, quod indignum foret & Deo, qui illos creavit, & hominibus, qui ut Deum Creatorem suum colerent, & amarent, eidemque servirent, creati sunt. Minor quoque ex probatis est innegabilis, nulla enim alia Religio tot habet credibilitatis notas, quot Christianismum habere ostendimus. Consequentia ex vi præmissarum recte infertur.

III. Probatur. Ideo Deus docuit homines Religionem, ut illam homines amplecterentur, & per illius observantiam salvarentur: ergo illam Religionem tenentur homines recipere, & observare, quam Deus instituit, & docuit illos, & quidem tenentur non sine æternæ vitæ jactura; sed Deus, ut probavimus, instituit, & docuit homines Christianam Religionem: ergo homines non sine æternæ vitæ jactura tenentur Christianam Religionem amplecti, & observare. De majori non est dubium; Deus enim ex una parte absque fine non operatur; ex altera vero parte illum habet in operationibus suis finem æque primarium ac ultimum, ut faciat ea, quæ magis conferunt ad gloriam suam, & ad æternam nostram salutem, quæ pariter ad gloriam suam æque dirigitur, ac ordinatur.

Dicimus II., cum debito Christianismum recipiendi stare simul debitum respuendi omnes alias Religiones, quæ sunt a Christianismo alienæ.

I. Probatur. Ex probatis in prima Conclusione quivis homo tenetur recipere Christianismum: ergo tenetur recipere omnia, quæ in Christianismo continentur; sed in Christianismo continetur cujuscunque Religionis rejectio, quæ sit a Christianismo aliena: ergo sub eodem debito tenetur quivis homo & Christianismum recipere, & omnes alias Religiones respuere, quæ sunt a Christianismo alienæ. Minor subsumpta probatur. Nomine receptionis aliarum Religionum vel venit quod recipiantur illæ, retento Christianismo, vel quod recipiantur, Christianismo rejecto; sed quolibet ex his est contrarium iis, quæ in Christianismo continentur: ergo in Christianismo continetur cujuscunque Religionis rejectio, quæ sit a Christianismo aliena. Probatur minor. Nullo modo potest Christianismus continere ac præcipere, ut Christianismus rejiciatur, quia hoc esset pugnare contra seipsum & seipsum destruere; neque potest continere & permittere, ut cum ipso recipiantur aliæ Religiones, quæ sunt ab ipso alienæ, quia quum Christianismus sit institutus a Deo, Deus præciperet quæ essent inter se contraria; nempe Christianismum, & Superstitiones, quæ Christianismo opponuntur. Ulterius Deus præciperet veritatem Christianismi, & Superstitionum falsitatem. Denique Deus eodem tempore ædificaret & destrueret; quatenus per Christianismum ædificaret veram Religionem, & per cæteras Superstitiones, quæ sunt Christianismo oppositæ, illam destrueret; quæ omnia sunt prorsus Deo indigna, & ab homine rationis compote nullo modo possunt cogitari, a fortiori autem asseri.

II. Probatur. Aliæ Religiones, quæ cum Christianismo reciperentur, vel essent institutæ a Deo, sicut institutus est Christianismus, vel non? Si primum: ergo Deus instituisset contraria, & obligasset nosipsos ad contraria recipienda; supponimus enim alias Religiones esse a Christianismo alienas, & Christianismo oppositas: Si secundum: ergo non essent veræ Religiones, sicuti est Christianismus, qui est vera Religio, quia Deo est institutus. Si non essent veræ Religiones, non essent recipiendæ, sed essent potius rejiciendæ: ergo cum debito recipiendi Christianismum staret simul debitum rejiciendi omnes alias Religiones, quæ sunt a Christianismo alienæ.

III. Probatur. Aliæ Religiones, quæ reciperentur simul cum Christianismo, vel reciperentur ex debito, quod imponeret Christianismus ipse, vel ex libera voluntate recipientium; sed neutrum ex his dici potest: ergo nullo modo aliæ Religiones sunt cum Christianismo recipiendæ. Probatur minor. Non potest Christianismus nec præcipere, nec permittere, contrarium illi, quod absolute prohibet; sed absolute prohibet pluritatem Religionum: ergo nec potest præcipere, nec permittere, ut simul cum ipso aliæ Religiones recipiantur, quæ sunt ab ipso alienæ. Et revera Religio Christi hoc peculiare habet, quod nullam admittat, nec admittere possit, sociam; quia, ut habetur ad Ephesios 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*. Quod totum P. Magnanus cap. 1. de Christianismo part. 1. propos. 19. num. 5. verbis hisce æque fortiter ac subtiliter explicat & confirmat: „Cum enim ex dictis propos. 18. Religionem doctrinamque Christianam institutionis esse divinæ, sit evidens moraliter eviden-

„ tia

„ tia in eo genere summa. Pari modo & „ æque evidens moraliter est institutionis „ etiam esse divinæ id, quod illa palam de „ se profitetur, nempe non habere se, nec „ admittere sociam aliquam aliam Religio- „ nem, quæ scilicet pariter ex Deo sit, juxta „ illud in Christianismo vulgatissimum ex „ ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*. Et ratio est, quia cum in Reli- „ gione Christiana sumendi sint quilibet ar- „ ticuli non modo sigillatim & quasi seor- „ sim ab aliis sive omnibus, sive aliquibus, „ sed etiam collective, prout unam efficiunt „ compagem divinæ ædificationis, nempe „ unam Religionem: evidens est eandem „ omnino esse cujuslibet in se sumpti arti- „ culi firmitatem atque certitudinem, quæ „ est cæterorum. Quandoquidem aut stru- „ cturæ totius machinam vitiaret labes „ unius, quicumque is foret; aut (quod „ etiam intolerabilis absurdi est) in probrum „ & dedecus primæ veritatis gauderet, „ quemadmodum communione compagis & „ structuræ simul cum cæteris, ita & com- „ munione infallibilis testimonii divini. Er- „ go cum hæc sint inseparabilia, firmitas „ ædificii totius & singularum ejus partium; „ item divinum de. tota structura testimo- „ nium, ac de singulis ejus partibus: & aliun- „ de ut patet, Religio Christiana intrepide „ & clare profiteatur, ac velut sui funda- „ mentum præcipuum ponat hoc, quod est „ non tantum se, sed & solam se esse ex „ Deo ortam Religionem. Consequens est „ tam esse evidens in suo genere istud se- „ cundum, quam illud primum „.

IV. Probatur. Si vere esset hoc debitum amplectendi simul cum Christiana Religione alias Religiones, quæ sunt a Christianismo alienæ, esset debitum impossibile; sed nefas est excogitare, vel asserere, quod Deus imponat hominibus debitum impossibile: ergo dicendum omnino est, quod Deus non imposuerit dominibus debitum suscipiendi simul cum Christiana Religione alias Religiones, quæ sunt a Christianismo alienæ; sed si non imposuit recipere, imposuit rejicere: ergo sub uno eodemque debito Deus præcepit hominibus & recipere Christianam Religionem, & rejicere cæteras Religiones, quæ sunt a Christiana Religione alienæ. Minor prioris argumenti verbis hisce exponitur ac suadetur a laudato P. Magnano citato loco numero 8. „ Propterea debitum hoc Religionem „ amplectendi Christianam, simulque cæ- „ teras omnes abjiciendi, multo magis in „ particulari agnosci poterit; si quis accura- „ tius ea scrutetur, quæ intrinseca sunt & „ propria cujuslibet alterius in se sumptæ „ religionis; quippe quia deprehendet sta- „ tim earum quamlibet non modo incom- „ possibilem cum Christiana, sed & cum „ seipsa, & cum ratione, pugnantem, ob „ intrinsecos errores fœdissimos suos. Nam, „ ut de præcipuis aliquid dicam, Atheis- „ mum damnat vera naturaliter etiam de- „ monstrata Dei existentia: sicut Politheis- „ mum, atque Idololatriam, ejusdem veri „ Dei unitas æque demonstrata naturaliter. „ Deistas redarguit evidenter, quod juxta „ dicta propos. 4. servitutis Deo debitæ ob- „ sequium is nec vere implet, nec judicio „ sapientum ullatenus implere censetur, qui „ servit ritu suo, quem ipse commentus est, „ qui sibi potissimum suoque genio arrisit; „ non illo, quem a Deo ipso constat fuisse „ institutum. Mahumetanismo adversatur „ clare hic sua ipsius perpetua fabula, hinc „ datum honorare (ut adverti propos. 13. „ num. 4.) de Christo Domino testimonium. „ Denique ut de cæteris taceam, Judaismo „ olim quidem habenti divinam sui origi- „ nem, divinumque testimonium, fidem „ nunc detrahit, quod figuras & umbras va- „ lere jubat præsens veritas. At in Judaismo „ nil, nisi figuratus & promissus Christus; „ ipse ergo nunc datas & præsens Christus „ suæ luce doctrinæ figuras implet, & um- „ bras fugat. Cum itaque Religio Christia- „ na sanctissimas habeat Leges, & in se sit „ per omnia maxime rationabilis; spem „ præbeat maxime rationabilem bonorum „ æternorum, & metum item æque ratio- „ nabilem æterni mali: e contra vero cæte- „ ræ nihil habeant in sui favorem rationa- „ bile; non motiva sectandi, non spem se- „ ctantibus, non metum respuentibus; & „ aliunde intra seipsas fœdos ingerant in re „ atque in moribus errores. Quis non videat „ totum esse debitum amplectendi serio „ Christianam, & alias respuendi æque se- „ rio „.

Dicimus III., debito amplectendi Christianismum, & respuendi omnes alias Religiones, quæ sunt a Christianismo alienæ, non posse homines satisfacere per solam apparentiam, sine interiori mentis & cordis adhæsione.

I. Probatur. Religio apparens exterius, & non existens interius, est affectata & ficta; sed Religio affectata & ficta non sufficit ad verum Dei cultum, & ad æternam salutem assequendam: ergo Religio apparens exterius & non existens interius, non sufficit ad verum Dei cultum, & ad æter-

æternam falutem affequendam. Major conftat ex terminis; quod enim foris ab homine oftenditur & intus ab eodem non retinetur, omnino fingitur, ac fimulatur, & affectatur: ergo fi Religio eft exterius tantum apparens, & intus in homine non exiftens, eft affectata & ficta. Minor probatur. Eft potius irridere Deum, quam colere, fi exterioribus labiis colatur, non autem interiori mentis & cordis affectu; fed hoc non folum Deo non placet, fed potius difplicet, & non folum non eft aptum ad falutem æternam affequendam, fed potius ad eam perdendam tendit: ergo Religio affectata & ficta non folum non fufficit ad Deum colendum, fed potius officit ad falutem æternam in tuto ponendam. Et re vera quis Rex gratum haberet fubditi obfequium, quod fciret effe tantum in ore, & non in corde? Nonne potius ob hoc fupplicium ei daret, quam præmium? Et illum a se averteret, quando ille fperaret a Principe in confortium fe fore recipiendum?

II. Probatur. Virtus, quæ dicitur Religio, conftare debet ex actibus internis, & externis; Internis quidem, quia his Deum colimus & amamus; externis quoque, quia his Deum laudamus ac honoramus; fed per apparentiam Religionis fine mentis & cordis adhæfione foli actus externi exercentur, & nullo modo interni: ergo hæc apparens Religio eft cadaver potius Religionis fine anima & fine vita, quæ in internis actibus confiftunt. Et quidem quanvis per externos actus Religionis homines contenti fiant, qui exteriora vident, & non intuentur corda; non tamen contentus eft Deus, qui corda fcrutatur, & exteriora dedignatur, quando interioribus actibus carent. Nos autem per Religionem non hominibus placere debemus, fed Deo, qui noftræ Religionis eft objectum, & noftrarum virtutum eft remunerator. Si ergo Deus in noftra Religione non invenit quid remunerari habeat, fi interiores actus non intuetur, quibus refpondere debet remuneratio, ad nihilum quidem valet Religio illa apparens, & pene mortua.

III. Probatur. Non effet fufficiens ad colendum Deum, & ad falutem æternam affequendam Religio, quæ tantum haberet internos actus fine actibus exterioribus, qui funt a Religione infeparabiles, & funt, ut ajunt, actus proteftativi ipfiufmet Religionis: ergo pariter non eft fufficiens ad colendum Deum, & ad falutem æternam confequendam Religio, quæ tantum habet exteriores, & apparentes Religionis actus, abfque internis affectibus, qui habentur per mentis, & cordis adhæfionem. De antecedente non eft dubium; quia Ecclefia pro hoc ipfo non femel fe declaravit damnans propofitiones oppofitas; Immo & ratio ipfa convincit, quia quum Religio ipfa focietatem hominum conftituat, qui convenire debent in iifdem ritibus, & cæremoniis, in iifdem facrificiis, ac templis, in iifdem laudibus, ac oblationibus, quæ omnia funt exteriora, omnino oportet homines, qui eandem profitentur Religionem, eofdem habere ritus ac cæremonias, eadem facrificia, ac templa, & uniformem laudandi Deum, & Deo offerendi confuetudinem, & obligationem. Confequentia fequitur, quia fi Religio non eft vera, quando deftituitur iis, quæ ad homines pertinent, & ab ipfis confpiciuntur, qualia funt externa; multo minus erit religio, quando carebit iis, quæ refpicit Deus, & quæ ad Deum diriguntur, qualia funt interna, mentis fcilicet & cordis adhæfio.

Objiciunt I. Joannis 17. legitur: *Hæc eft vita æterna, ut cognofcant te folum Deum verum, & quem mififti, Jefum Chriftum*; fed hoc in qualibet Religione, faltem ex iis, quæ Chriftum agnofcunt, licet a Catholica Romana difcrepent, verificatur: ergo faltem quælibet ex Religionibus, quæ profitentur Chriftianifmum, ad æternam vitam affequendam fufficit. II. Si Religio fit antiqua, & verum Deum colat, licet habeat diverfos ritus, quando ritus funt facri, & honefti, Religio eft amplectenda; fed præter Chriftianam aliæ funt Religiones, quæ unum verum Deum colunt, & licet habeant diverfos ritus, ritus tamen funt facri, & honefti: ergo præter Chriftianam, poffunt etiam aliæ Religiones amplecti. III. Quando Religio eft illa, quam leges patriæ jubent, licite teneri poteft; fed prout funt diverfæ nationes, diverfæ funt etiam Religiones, quas leges patriæ jubent: ergo unaquæque natio tenere poteft Religionem illam, quam a legibus patriis propofitam habet, atque præceptam. IV. Principes funt Dei loco in terra, ac proinde poffunt Dei nomine Religionem fubditis præfcribere, & fubditi in ea viventes Religione, quam ipfis Principes præfcribunt, de vita æterna debent effe fecuri, quia fervant Religionem fibi a Principibus Dei loco propofitam atque præceptam. V. Principes infuper in fuis ditio-

ditionibus varias permittunt Religiones, & liberum earum exercitium illas profitentibus relaxant: ergo signum est, quod præter Christianismum, aliæ etiam Religiones sufficiunt ad salutem. Probatur antecedens. Judæi etiam permittuntur a Principibus Catholicis in Regnis, & Urbibus suis, & præcipuæ Romæ a Romano Pontifice, qui est Catholicæ Ecclesiæ caput; tolerantur quoque Turcæ, Græci Schismatici, Hæretici, quaruncunque hæresum Professores, quod experientia ostendit: ergo &c. VI. Ad Dei providentiam pertinet non irritos reddere ritus, quibus a tot tamisque honoratur, atque laudatur, qui in aliis Religionibus vivunt extra Christianam atque Catholicam. Cur enim Deus gratum non habebit cultum illorum, qui eum confitentur, qui venerantur, qui implorant, & orant? Hoc idem esset, ac illos sine auxilio relinquere, & sine spe remunerationis perdere atque frustrari. VII. Esset quoque contra justitiam divinam suo præmio defraudare tot tantosque homines, qui sunt misericordes, sunt æqui, sunt liberales, sunt justi;& tales quidem, quales Catholici non pauci non sunt; Et hoc quia Religionem non habent illam, quam a majoribus suis non acceperunt, & in patriis suis nunquam annuntiatam audiverunt. VIII. Major pars mundi est extra gremium Catholicæ Religionis, minor vero quæ est intra illam; non est autem credibile, quod Deus permittat, majorem mundi partem damnari,eo quod non faciat, quod facit Mundi pars minor; quum aliunde a majore mundi parte colatur etiam Deus, invocetur, oretur; & quanvis non illo, quo facit modo minor mundi pars, eo tamen modo, qui sufficiens videtur, ut eum Deus acceptet, ac gratum habeat. IX. Religio respicit externum cultum, qui ab hominum societate exhibetur Deo, tanquam Authori suo; sed hic cultus externus stare potest absque interiori mentis, & cordis adhæsione: ergo non est nobis debitum amplectendi Christianismum cum interiori mentis, & corporis adhæsione, sed sufficit, ut per ritus externos exerceatur. X. Circumcisio constituebat Mosaicam Religionem, & Baptismus constituit Christianam; sed circumcisio & Baptismus sunt ritus externi: ergo ritus externi sufficiunt ad profitendam veram Religionem, quanvis profitenti desit interior mentis, & cordis adhæsio.

Respondemus ad I., quod si essent verba illa accipienda ut sonant, argumentum nimis probaret, adeoque nihil probaret; probaret enim primo, quod non deberemus credere Spiritum Sanctum, quia in illis verbis nulla Spiritus Sancti fit mentio; probaret secundo, quod non deberemus credere Patrem, quia illa verba enunciant Deum, sed non Patrem; probaret tertio, quod filius missus sit a Deo, & non a Patre. Igitur quum hæc omnia aliaque plura, in verbis illis comprehendantur, dicimus, comprehendi quoque cætera omnia, quæ in Christiana Religione præscribuntur. Et quidem comprehenduntur, quæ est responsio directa,per verbum illud *Jesum Christum*; hic enim, quum Christianæ Religionis sit author, continet in seipso summatim, & implicite ea omnia, quæ Christiana Religio sub nomine Authoris ipsius docet,& præcipit.

Ad II. Dicimus, quod argumentum probat, aliquam Religionem nec esse veram, neo fieri probabilem, ex eo præcise, quod sit antiqua & a Majoribus accepta, si vera non est ratione objecti, quod colitur, qui est unus solus verus Deus, & ratione sacrorum rituum, quibus colitur. Sed ex hoc non sequitur posse aliquem quancunque sequi Religionem sub eo prætextu, quod sit antiqua; at sequitur potius unumquenque teneri, quam Religionem veram esse cognoverit, amplecti, quanvis tunc primum fiat sibi nota, & sit omnimode peregrina; & postquam eam amplexus fuerit,retinere constanter, & quacunque ex caussa illam nec amittere nec ejurare. Quod S. Ambrosius Symmacho respondens verbis hisce exponebat: *Non erubesco cum toto Orbe longævo converti. Verum certe est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morum. Nullus pudor est ad meliora transire*,

Ad III. Si hoc principium valeret, nulla facta fuisset per Apostolos gentium conversio ad Christum;siquidem omnes Gentes dicere potuissent, se nolle leges patrias derelinquere, ut novam Religionem sectentur. Et re vera hoc erat commune Idololatrarum effugium, velle scilicet Religiones patrias observare. At hoc non obstante, innumeræ Gentium nationes per Apostolos conversæ sunt ad Christum, quæ posthabitis patriis legibus, novam, ut ipsis videbatur, Christi Religionem amplectentes, Christo nomen dederunt. Quemadmodum igitur idololatriæ non pro-

profuit patriis legibus apud Gentes stipari; ita nec unquam prodesse poterit falsis aliis Religionibus, ut illæ indifferenter admittantur ac recipiantur, quia a patriis legibus sustinentur ac defenduntur.

Ad IV. Ad Principes spectat de rebus politicis decernere, non de Sacris; non enim a Deo Religionis arbitri constituti sunt. Et quod loco Dei sint, hoc tantum de humanis verificatur, non de divinis; quia pro his Deus Principes Sacrorum instituit, qui de Religione judicarent. Quod autem in Religionis negotio Principes nullum jus habeant, plura suadent; & quidem primum; quia Religio debet esse omnibus hominibus communis, nullus autem est Princeps, qui omnibus hominibus dominetur; Secundum, quia judicium de Religione debet esse certum, & irrefragabile, hominum autem judicium est incertum, & fallibile; Tertium, quia Religio continet actus internos, supra quos Principes nullum habent imperium; Quartum, quia quum Principum sint oppositæ voluntates, ita etiam essent contraria judicia; unde facile inter ipsos bellum de Religione nasceretur, quod esset prorsus inextinguibile.

Ad V. Aliud est permittere, quod profitentes exteras Sectas commorentur in Principum ditionibus, aliud est præcipere, quod manentes sub Principum regnis quascunque sectas profiteantur. Primum fit ob bonum publicum subditorum, qui per commercium cum exteris Populis lucra non vulgaria sibi acquirunt. Et tantum abest, ut ex illorum conversatione periculum fidei amittendæ subditis immineat, quod potius ex subditorum Catholicorum colloquiis, & exemplis, infidelium nationum homines ad verum Deum agnoscendum trahuntur, & ad errores suos detestandos perducuntur. Judæi autem inter Christianos vivunt, & degunt, ut sua miseria Christianæ fidei testimonium exhibeant, & Sacrorum librorum, quos servant, authoritate, Religionem nostram corroborent atque confirment.

Ad VI. Sine vera fide nullum obsequium, nullus cultus, nulla invocatio, Deo placet. Profitentes autem falsas Religiones, veram fidem non habent, & quidem sua culpa non habent, vel quia per rectam vitam ad illam non disponuntur; vel quia Prædicatores illam annunciantes, non audiunt, vel quia propriæ conscientiæ voces nolunt intelligere, ut bene agant. Majus igitur est peccatum infidelium, qui veram Religionem non amplectuntur, quam sint bona obsequia omnia, quæ Deo exhibent per exteriorem cultum omnino imperfectum ac vitiatum, unde nequit quis jure Dei providentiam accusare, quod negligat cultum illorum, qui quum male credant, Deum bene colere non possunt.

Ad VII. Nullum habent meritum ad æternam vitam assequendam malecredentium virtutes, quæ veræ virtutes non sunt, sed virtutum imagines, &, ut sic dicamus, cadavera virtutum. Principium enim meriti est a fide, qua si quis destituitur, omni merito æternæ vitæ privatur. Quapropter nec jure etiam potest divina justitia accusari; immo potius commendabilis est, quia aliquando per temporalia bona virtutes hasce, quæcunque sint, remuneratur; ut dicebat Augustinus de virtutibus Romanorum Gentilium, quas Deus per victorias, per Imperia, per prosperitates mundi, remunerabatur.

Ad VIII. Si quod facit minor mundi pars, a vera provenit Religione, profecto sequitur, quod facit major mundi pars, a falsa superstitione provenire. Quonam igitur pacto poterit Deus promovere falsitatem, illamque habere acceptam, & præmiis suis cumulare? Nec mirum, quod bene colentium pars sit minor, quia genus humanum adeo depravatum est, ut non sit qui faciat bonum, & non sit usque ad unum. Et quod maleviventium major sit pars, neque mirum videri debet, quia plures sunt, qui libertate sua abutuntur, quam qui bene utantur, & majores, qui Dei gratiæ non cooperantur, quam qui respondent.

Ad IX. Verum est, quod Religio consistit in actibus externis ratione societatis profitentium illam; sed in actibus externis rationabilibus, & humanis, non autem histrionicis, & fictis, quia hoc esset Religionem fingere, non habere. Actus autem externi rationabiles, & morales, sunt illi, quos comitantur interni; qui vero sunt soli, & sine internis, sunt histrionici, & ficti, quorum hypocrisim abominatur Deus & odio habet eo prorsus modo, quo odio habet, & abominatur falsitatem, quæ est contra seipsum, qui est via, veritas, & vita.

Ad X. Nec Circumcisio constituebat Mosaicam legem, quia illius tantum erat signum; signum autem supponit significatum, quod exprimitur per signum, quod est exterius, unde illud interius esse omnino debet. Magis autem in Baptismo, qui in adultis pror-

prorsus requirit internam animi motionem; Unde per fictionem recipi, piaculum est. Et quavis infantes mentis, & cordis adhæsionem habere non possint pro illa infantili ætate, in qua Baptismum recipiunt, tenentur tamen habere statim ac ad rationis usum pervenerint, & pro illa ætate, in qua habere non possunt, supplet Ecclesia modo, quo illi aptior visus est.

DISSERTATIO CCLX.

De obligatione retinendi Christianismum. An quilibet homo, vel etiam Christianus, in sua Religione, vel Secta, salvari possit? An admittenda sit divisio in Christiana Religione articulorum Fidei essentialium, & accidentalium, vel fundamentalium, & non fundamentalium? An extra Christianam, & Catholicam Religionem detur salus?

Duplicis generis hostes hac in Dissertatione habemus, & illos nimirum, quos memoravimus in Differt. 251., & qui dicuntur Indifferentes, quia asserunt, quod Religiones omnes ita sunt indifferentes, ut quilibet possit in qualibet salvari, & hi Christiani non sunt, quia Christianismum non amplectuntur; sunt enim Indifferentes ad Judaismum, ad Paganismum, ad Mahumetanismum, ad Christianismum &c. Alii vero sunt ex Christianis qui sunt Indifferentes ad quamlibet Sectam, quæ Christum agnoscit, & in Christianismo comprehenditur; puta ad Arianismum, ad Pelagianismum ad Lutheranismum, ad Calvinismum, ad Catholichismum &c. Ponuntur pro hujusmodi parodoxorum Authoribus.

Primo Pelagius, qui admittebat tertium statum medium inter Inferni damnationem, & Cœlestis regni beatitudinem supernaturalem, quem vocabat vitam æternam, & in eo collocabat infantes, qui sine Christi baptismo, adeoque extra veram Religionem, moriuntur; inde est, quod dicere etiam consequenter tenebatur, quod extra veram Religionem daretur salus. Et licet Pelagii Sectatores hanc vitam æternam, & secundam felicitatem, non concesserint Infidelibus adultis, quamvis bonis, & virtute civili, seu philosophica præditis, sunt tamen qui asserunt, Pelagium concessisse.

Secundo Politici, de quibus loquuti fuimus in citata Differt. 251., admittentes Religionis indifferentiam, tenentur etiam asserere, quemlibet hominem in sua Religione salvari posse, adeoque extra veram Religionem dari salutem, & hi omnes Macchiavellum sequuntur Ducem, qui non Religionem, sed Religionis larvam vel simulationem Principibus inculcat, ut Populos in obedientia contineant; ut asserit in lib. 1. de Republica cap. 12.

Tertio Serranus indifferentiam in Religione ponebat, quem plures in Hollandia & in Germania sequebantur, & cui pariter adhæsit Thomas Hobesius in elementis philosophicis de quo pariter in præfata Differt. 251. loquuti fuimus.

Quarto Zuinglius in exposit. Fidei Christianæ tom. 2. art. 12. ut ostenderet, quemlibet in sua Religione salvari posse, asseruit, Gentiles quoque, ut Herculem, Theseum, Numam Pompilium, salutem æternam consequutos esse, ac in Cœlis cum Christo esse.

Quinto Adolphus Venator, Minister Alcmarianus, sequutus est hunc Zuinglii errorem in sua declaratione, & Zuinglii testimonium adducere in suæ insaniæ probationem non erubuit, quemadmodum etiam adducere conatus est Erasmi Roterodani patrocinium.

Sexto Franciscus Putius in lib. de Christi salvatio-

vationis efficacitate, eundem docuit errorem, quem acriter reprehendit Isaac Casaubonus exercit. 1. num. 1. ad Apparatum Annalium Baronii, scribens: *Verissimum est, quod initio Apparatus sui scribit Illustrissimus Cardinalis Cæsar Baronius, ex omnibus mortalibus, qui inde ab exordio mundi fuerunt, neminem æternam salutem esse consequutum, nisi a Christo, & per Christum*: Et adducit testimonia Augustini par. 3. *Credendum sane etiam ante natum a B. Virgine Dominum, alios quoque salutis factos esse participes, paucos, qui vel apparent in Scripturis, vel in genere humano latent, ut ait B. Augustinus in epist. 99. ad Evodium Episcopum, sed illud quoque simul credendum, neminem ulla unquam ætate ad Spiritualem Jerusalem pertinuisse, nisi cui divinitus revelatus fuerit, unus Mediator Dei, & hominum homo Jesus Christus, qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum venisse nuntiatus est; ait idem Augustinus de Civit. Dei lib. 8. cap. 47. & in epist. 28. ad Hieronymum; verba illius sunt: Certus sum non esse animam ullam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem Mediator Dei, & hominum homo Jesus Christus.*

Dicimus I. non posse hominem infidelem salvari in qualibet Religione, quam in Christiana; & non posse hominem Christianum hæreticum salvari in qualibet secta, sed tantum in Catholica Religione.

I. Probatur contra Infideles. Si salvari posset non habens veram Religionem, ideo esset, quia sufficeret ad salutem falsa Religio, probabiliter existimata vera; sed falsa Religio probabiliter existimata vera, non est sufficiens ad salutem: ergo non habens veram Religionem salvari minime potest. Major ab Adversariis negari non potest, quia illud ipsum est fundamentum ipsorum. Minor probatur. Virtus ad beatitudinem est via, & ideo tanta est connexio inter virtutem veram, & beatitudinem, ut qui virtutem veram non habet, ad beatitudinem nullum jus habere possit. Hoc posito, quod Philosophi omnes solo naturali lumine negare non audent, sic argumentamur: Quia Beatitudo est vera, virtus, quæ ad ipsam est via, debet etiam esse vera; sed inter virtutes morales principalior est Religio: ergo Religio debet esse vera, ut ad beatitudinem sit via: ergo non sufficit falsa Religio, quantumvis probabiliter putata vera.

II. Probatur. Negligens veram Religionem, & exercens falsam, quam probabiliter putat esse veram; non solum est salute æterna indignus, sed etiam est dignus æterna damnatione; sed qui scienter non habet veram Religionem, & est solum contentus falsa, quam sibi probabiliter persuadet esse veram, negligit veram Religionem: ergo extra illam salvari nullo modo potest. De majori non est dubium, quia injuriam facit Deo, qui negligit præceptum ejus in re gravi, & quam Deus nobis summopere commendavit; ac proinde iste talis salutem æternam demeretur, & ex opposito meretur æternam damnationem. Minor probatur. Tunc quis rem aliquam negligit, quando illam in minori pretio habet, quam aliquid aliud, pro quo totum applicat studium suum, non curans de illa, quam non quærit, unde ea postmodum caret; sed non habens scienter veram Religionem, & sciens, illam dari, & esse certo invenibilem, & contentus est falsa, quam solum probabiliter putat esse veram, is aut nihili facit veram Religionem, aut in minori habet illam pretio, quam probabiliter putat esse veram: ergo negligit veram Religionem.

III. Probatur contra Hæreticos, qui Sacras Scripturas admittunt. Ad Ephesios 4. *Unus Dominus, una Fides, unum baptisma*. Ad Hebræos 13. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*. Ex quibus verbis hoc efformatur argumentum; In Ecclesia Dei sicut unus est Deus, ita una est Fides; sed quia unus est Deus, non possumus alium Deum colere: ergo etiam, quia una est fides nun possumus aliam fidem amplecti. Insuper: quia una est fides, prohibemur ab aliis doctrinis, quæ sunt contra hanc fidem, abduci; sed sectæ omnes, sunt falsæ doctrinæ contra hanc fidem: ergo prohibemur ab illis abduci: ergo non possumus illas sequi. Ulterius: Deus non esset Deus, si non esset unus: ergo neque fides nostra esset vera fides, si non esset una: ergo sicut Deus, quia unus, & verus est Deus, Deos alienos in sui consortium, & societatem, non admittit; ita pariter fides quia una est, & vera fides, nec debet, nec potest, alienas fides in sui consortium, & societatem admittere.

IV. Probatur contra eosdem Hæreticos. Si possent Christiani in quacunque alia secta salvari, Ecclesia frustra damnasset Hæreticos priorum seculorum, qui Christum agnoscebant, & colebant, sed veram ejus Religionem non ex omni parte admittebant; sed hoc est temerarium, & impium dicere: ergo & illud unde sequitur. Minor patet, quia esset arguere falsitatis, & accu-

accusare imprudentiæ Ecclesiam, quæ primævos illos Hæreticos damnavit. Major probatur. Nestoriani agnoscebant, & colebant Christum, uti Deum, & hominem, non admittebant tamen in eo unam personam, sed duas & ideo damnati sunt ab Ecclesia: Eutychiani agnoscebant, & adorabant Christum, uti Deum, & hominem, non admittebant tamen in eo duas naturas, sed unam ex duabus permixtam, & confusam; & ideo ab Ecclesia sunt reprobati: Pelagiani confitebantur, & venerabantur Christum, uti Deum & hominem, sed negabant peccatum originale, & internæ gratiæ necessitatem, & ideo damnavit eos Ecclesia: Macedoniani in Christum per omnia credebant, sed Spiritum Sanctum asserebant Christo minorem, & iccirco reprobavit illos Ecclesia: Novatiani denique, ut de cæteris sileamus, de Christo recte sentiebant, at tamen negabant, lapsos admittendos esse ad pœnitentiam, & ideo contra illos Ecclesia excommunicationis fulmen vibravit. Si autem hi omnes potuissent in propria secta salvari, cur eos Ecclesia anathemate percussit? Et si anathemate percussit, quod Adversarii negare nullo modo possunt, cur dicitur, quod potuerint in propria secta salvari?

V. Probatur contra eosdem Sectarios. Si quilibet potest in propria secta salvari, cur ergo Sectarii tam acre, & immane bellum in materia Religionis inter se gerunt, ut alii alios ad necem usque persequantur? Scimus in Anglia Puritanos damnare Protestantes, Protestantes invadere Independentes. Scimus quoque a Calvinianis mortis supplicio fuisse affectos novos Arianos. Scimus pariter Zuinglianos cruenta iniisse certamina contra Lutheranos. Aliosque Hæreticos pariter scimus contra homines aliarum Sectarum nec destitisse, nec desistere, continuare bellum ferale, & atrocissimum.. Sed si omnes Sectarii suas peculiares habent Sectas, & omnes, & quilibet, possunt in propriis sectis salvari, ad quid ergo contra illos insurgere, qui Christum colunt, & in damnationis statu non sunt, sed potius in via ad salutem æternam? Signum igitur est evidens, quod ipsimet Sectarii agnoscunt, non posse quemlibet in sua secta salvari, & ideo contra illos movent bellum, qui alias sequuntur Sectas, præter illas, quas ipsi retinent ac propugnant.

VI. Probatur. Supponamus aliquem ex Christianis Catholicis modo asserere vel non dari Purgatorium, vel non dari Infernum, vel Dæmones non esse, vel non esse Angelos; & nihilominus, quod iste talis alia omnia, quæ fides catholica docet, credat, & profiteatur. In hac hypothesi quærimus, hic Christianus homo Catholicus vel esset in statu salutis, vel in statu damnationis? Non in statu salutis, quia Catholici omnes horrerent blasphemias, quas evomeret, & Ecclesia illico illum anathematis mucrone feriret: Neque in statu perditionis per Adversarios, quia si alii possent in propria Secta salvari, cur iste talis non posset? Si autem posset salvari, damnari omnino non posset. Non dicent autem Sectarii, si sunt Christiani, hunc talem posse salvari, quia si credunt principalia Christianæ Religionis capita, quæ ad morum regulam pertinent, scire utique debent, quam immane sit piaculum in Christiana Religione negare Angelos, negare Dæmones, negare Paradisum, negare Infernum, pro quorum existentia Scripturæ perpetuo clamant, Patres unanimiter asserunt, Concilia alternis vicibus definiunt, atque decernunt.

Pro Secunda Dissertationis parte, de divisione scilicet articulorum fidei in fundamentales, & non fundamentales, vel in essentiales. & accidentales, sciendum est, quod Sectarii, præcipue Protestantes, non valentes defendere, quemlibet Christianum posse in sua Secta salvari, invenerunt hoc novum discrimen inter articulos fide divina credendos, ut alii sint substantiales seu fundamentales, qui scilicet fidei substantiam constituant, alii vero sint accidentales, & non fundamentales, quos liberum sit admittere, vel respuere, salva fidei integritate. Et distinctionem hanc confixerunt, ut ostenderent, inter novas sectas nullum esse dissidium circa fidei essentiam, quia eadem est in omnibus, & tantum esse in accidentalibus, per quæ substantia fidei non variatur; & quia ad salutem sufficiunt fidei fundamenta, hinc est, quod ex hoc inferunt, quod si fidei fundamenta non sunt diversa in singulis sectis. quilibet in sua secta consistens, possit assequi salutem æternam. Marcus Antonius de Dominis, Apostata Spalatrensis, insulsum hoc inventum primus omnium in medium adduxit lib. 7. de Republica Christiana cap. 9., & 10. quem deinde sequuti sunt in Gallia Bramhallus, & Stillincfletus, in Hollandia vero passim Novatores recentes amplectuntur.

Dicimus II., distinctionem articulorum fidei in fundamentales, & non fundamentales, seu

seu in essentiales, & accidentales, esse prorsus vanam, ineptam, & falsam.

I. Probatur. Omnes Fidei nostræ articuli sive fundamentales, sive non fundamentales, sive essentiales, sive accidentales, æqualiter sunt a Deo revelati: ergo æqualiter sunt veri: ergo vana est distinctio illa articulorum in fundamentales, & non fundamentales, in essentiales, & accidentales, estque etiam inepta, & falsa. Consequentia bene infertur, quia veritas articulorum fidei nititur authoritati, & veracitati Dei revelantis. Antecedens autem videtur omnino certum; quia articuli non fundamentales, & accidentales, vel sunt revelati a Deo, vel non? Si non: ergo non sunt articuli fidei: si sunt revelati a Deo: ergo eadem veritate gaudent, qua gaudent articuli fundamentales, & essentiales; æqualis enim est revelatio, eadem in Deo authoritas: ergo eadem omnino veritas, quæ ut consistens in indivisibili, nequit suscipere magis, & minus.

II. Probatur. Ideo nos non teneremur credere articulos fidei non fundamentales seu accidentales, quia Deus a credendis illis nos dispensaret; sed hoc est prorsus falsum: ergo &c. Major est doctrina Adversariorum, immo ex connexione principiorum sequitur. Minor probatur. Deus non potest facere, quod non sit revelatum ab ipso, quod ipse revelat; sed neque potest facere quod non sit credendum, quod ipse revelat: ergo non potest dispensare, quod non credatur, quod ab ipso est revelatum. Probatur minor. Deus non potest facere, quod non sit verum, quod est ab eo revelatum; sed neque potest facere, quod non credatur, quod in seipso est verum: ergo non potest omnino facere, quod non credatur, quod est ab eo revelatum.

III. Probatur. Data & non concessa distinctione illa articulorum, quam Adversarii fingunt, adhuc illa esset impossibilis, ut ad actum reduceretur: ergo semper esset vana, inepta, & falsa. Probatur antecedens. Tunc non posset reduci ad actum distinctio illa, quando cognosci penitus a Sectario non possent, quinam articuli sint fundamentales, & essentiales, & qui non fundamentales, & accidentales; sed re vera quilibet Sectarius nullatenus posset cognoscere, quinam sint articuli fundamentales, & essentiales, & qui non fundamentales, & accidentales: ergo &c. Probatur minor. Supponimus, quod Sectarius crederet omnia, quæ essent a Deo revelata. Hoc posito sic argumentamur: Vel Sectarius crederet, esse a Deo revelatos articulos non fundamentales, & accidentales, vel crederet, non esse a Deo revelatos? Si crederet, non esse a Deo revelatos: ergo non essent articuli fidei: ergo ad credendum illos non teneretur. Si crederet, esse a Deo revelatos: ergo jam teneretur credere illos eadem fide, qua teneretur credere articulos fundamentales, & essentiales; quia eadem in utrisque est revelatio, eadem authoritas Dei dicentis, eadem prima veritas revelans: ergo non esset unde desumi posset distinctio illa, quam Adversarii comminiscuntur.

Dicimus III. extra Catholicam Religionem non dari salutem.

I. Probatur. In idem concidunt, & negare Religionem omnem, & omnes recipere Religiones, tanquam potentes ad salutem dandam iis, qui illas profitentur; sed Adversarii Religionem non negant, ut supponimus: ergo neque possunt admittere Religiones omnes sufficientes ad dandam salutem iis, qui illas profitentur. Probatur major. Religiones sunt inter se contrariæ, immo sunt contradictoriæ, & inter se directe opponuntur in iis, quæ una credit, & altera non credit, una confitetur, & altera inficiatur, una operatur, & altera operari detrectat. Et de hoc nemo dubitare potest, tum quia Religionum oppositiones ipsarum indicant Authores; tum etiam, quia ipsarum ostendunt articuli; tum denique, quia si non opponerentur, una esset Religio, quia verum vero non opponitur: Igitur si Religiones inter se opponuntur, nequit Deus illas omnes acceptare, nequit illas omnes gratas habere, nequit illas omnes remunerari; sed si hoc est, nequit etiam Deus omnibus & singulis profitentibus illas æternam dare salutem: ergo dat tantum illis, qui profitentur unam, quæ est vera; sed hæc, ex probatis & probandis, est sola Catholica Romana: ergo &c.

II. Probatur. Religiones omnes, vel omnes sunt veræ, vel omnes sunt falsæ, vel aliquæ veræ, vel aliquæ falsæ, & una vera. Non omnes falsæ, quia jam probavimus, dari veram Religionem; Neque omnes veræ, quia quum inter se opponantur, & verum non opponatur vero, nequeunt Religiones omnes inter se esse oppositæ, & esse veræ. Si una vera, & reliquæ falsæ, vera non potest esse nisi catholica Romana, & reliquæ omnes sunt falsæ; atqui in sola vera Religione invenitur æterna salus,

lus, & non in falsis Religionibus, seu superstitionibus vel sectis, quæ omnes sunt falsæ: ergo extra catholicam Romanam Religionem non datur salus. Et quidem quod sola catholica Romana sit vera Religio, negare non potest quilibet bene disciplinatus intellectus, qui docili, & moderato animo consideraverit soli Catholicæ Romanæ Religioni convenire ea omnia, quæ probavimus esse in Christiana Religione respectu superstitionum Infidelium, videlicet Judæorum, Paganorum, Mahumetanorum, &c. ergo sicut sola Christiana Religio est vera respectu hujusmodi Infidelium, ita ob eadem motiva, sola Catholica Romana est vera respectu Sectarum Hæreticorum, scilicet Lutheranorum, Calvinianorum, novorum Arianorum, & aliorum, quicunque sint, qui a Catholica Romana aberrant, & Satanæ Synagogas sectantur, in quibus nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat, ob dissentiones, quæ inter ipsos sunt inextinguibiles, & per consequens nulla salus.

III. Probatur. Ipsimet Hæretici fatentur, in quavis Religione dari salutem, & per consequens non negant dari etiam in Catholica Romana. Hoc posito, sic argumentamur: Per vos, Hæretici, in Catholica Romana Religione datur salus: ergo in sola Catholica Romana Religione datur salus, & non in aliis. Probatur consequentia. Catholica Romana Religio reprobat omnes Sectas tanquam falsas: ergo si Catholica Romana Religio est vera, cæteræ Sectæ sunt falsæ. Probatur consequentia. Vel Catholica Romana Religio bene & vere respuit alias Sectas, vel male & falso? Si male & falso: ergo ipsa non est vera contra Adversariorum confessionem: Si bene & vere: ergo cæteræ omnes sectæ sunt falsæ, quia reprobatæ a Catholica Romana, quæ est vera.

Objiciunt I. Quum in Christiana Religione illam non habeamus evidentiam, quæ omne prorsus dubium excludat, & omnem dissipet obscuritatem, necesse est, ut illius etiam Professores aliquando formident, an in sua Religione de æterna salute sint certi ac tuti. Quia autem Religiones alias profitentes dubitant pariter de earundem veritate; hinc est, quod divinæ Providentiæ æquitati, ac justitiæ pariter, convenientissimum sit dicendum, Deum velle, ut quisque in sua Religione salvetur, & quemadmodum Christianus ob dubia, quæ patitur, non tenetur Religionem mutare, ita infidelis nec teneatur aliam inquirere Religionem ob formidinem salutis, a qua angitur in sua. II. Quanvis Sectarii timeant de falsitate Sectarum, quas vel receperunt a Majoribus suis, vel ipsimet sequi inceperunt; quando tamen inveniunt argumenta, quibus timorem illum vincant, non tenentur suas Sectas relinquere, ut alias amplectantur; sed hoc non aliunde provenit, nisi quia in quacunque Secta potest esse vera salutis spes, atque fiducia: ergo vere quisque potest in sua Secta salvari, absque eo quod aliam inquirat, ut æternam salutem assequatur. Major est concessio Lutheri, quam fecit in præfatione libri de abroganda missa privata ad Fratres sui Ordinis in Cænobio Vvittembergensi: „ Quoties mi-
„ hi palpitavit tremulum cor, & reprehen-
„ dens objecit fortissimum illud argumen-
„ tum: Tu solus sapis? Tot ne errant uni-
„ versi? Tanta secula ignoraverunt? Quid
„ si tu erres, & tot tecum in errorem tra-
„ has, damnandos æternaliter „? Adquæ ipsemet respondebat, ut in citato loco legitur: „ Tandem confirmavit me verbis
„ suis Christus, ut jam nec tremat, nec pal-
„ pitet, sed insultet cor meum his papisticis
„ argumentis „. III. Honor est Principis, & gloria excelsior, multis dominari Nationibus, quæ diversa habeant instituta, legesque colant, quam uni soli Nationi, in qua totum suum imperium restringatur: ergo pariter majorem Deo affert gloriam, quod ipse adoretur, & agnoscatur a profitentibus Religiones varias, quam a profitentibus unam; sed si Deo placent varias profitentes Religiones, hoc ipso etiam evincitur, quod ii omnes Deo placentes sint in securitate salutis æternæ: ergo quilibet, qui Religionem aliquam habet, de sua æterna salute est securus. IV. Potest dari casus, in quo quis natus in falsa Religione, hæc illi certior appareat, quam quælibet alia, in qua non sit natus. Sed ex S. Augustino lib. 1. de baptis. cap. 3. in caussa salutis hoc ipso quis peccat, quod certis incerta proponat; ergo iste talis, certus de sua Religione, non debet ipsam cum alia permutare; sed deberet permutare, si certus de sua æterna salute non esset: ergo jam in sua Religione certus est de salute sua. V. Si Christiana Religio non contineret plura, quæ ad integritatem ejus accidentalia videntur, jam ipsa esset integra, & ad salutem sufficiens: ergo pariter si Christiana Religio crederetur tota, præterquam quædam accidentalia, quæ ad illius integritatem non spectant, esset pari-

pariter ad salutem sufficiens; sed multa, quæ creduntur a Catholicis, & negantur a Sectariis, sunt accidentalia ad integritatem Christianæ Religionis: ergo potest quilibet æque esse certus de sua salute, sive Catholicus sit, sive Sectarius, si essentialia Christianæ Religionis credat, quamvis aut credat, aut non credat, accidentalia.

VI. Multa sunt, quæ tractu temporis in Religione Catholico-romana credita sunt, quæ prius non credebantur: ergo quemadmodum tunc Christiana Religio erat integra & perfecta in illis, qui ea non credebant; ita pariter modo est integra & perfecta in iis, qui eadem non credunt. Probatur antecedens; quia tractu temporis multa sunt definita vel a Conciliis, vel a Romanis Pontificibus, quæ prius definita non erant: hæc igitur vel non credebantur, & nihilominus integra erat fides Christianorum sine fide illorum: vel credebantur; & ad quid ergo Conciliorum, vel Pontificum, definitiones?

Respondemus ad I.; Vera fides nullum admittit dubium, nec cum formidine partis oppositæ componi unquam potest; hoc enim est discrimen inter opinionem, & fidem, quod opinio includit formidinem partis oppositæ; fides vero omnino eam excludit, & hoc provenit ex certitudine, quam vera fides importat, quæ quidem certitudo omne rejicit dubium, omnem respuit formidinem. Quod autem non sit evidens, non facit, quod non sit certa, sed facit tantum, quod sit obscura; obscuritas vero certitudini non opponitur, immo cum ea compatitur. Unde veram fidem constituimus ex certitudine & ex obscuritate; quia certa, opponitur opinioni, quæ est incerta & formidolosa; quia obscura, opponitur scientiæ, quæ est evidens & clara. Nullam autem Sectarii de iis, quæ credunt, habere possunt certitudinem; tum quia nullam credunt revelationem a Deo factam; tum etiam, quia, quum Authores Sectarum fuerint impostores, nullam Sectis, quas instituerunt, dare poterant certitudinem; tum denique, quia propter alia, quæ non credunt, fides ipsorum deficit, quia non est integra, & per consequens non est vera fides; hæc enim est differentia inter veram fidem & falsam.

Ad II. Quod confirmavit Lutherus in palpitationibus suis non fuit donum a Deo ipsi datum, quo firmaretur in illorum fide, quæ credebat, & proponebat credenda; non fuit illustratio Spiritus Sancti, quæ mentis suæ tenebras dissipabat, itaut ipse in sua credulitate absque formidine permaneret; non fuit suarum virtutum meritum, per quas ad recipiendam firmitatem illam disponeretur; sed fuit omnino odium implacabile, quod cum Catholicis Romanis, quos Papistas vocabat, in corde suo fovebat; ut ipsemet fatebatur. Judicent modo Legentes, si vitium poterat in eo generare virtutem, & si inextinguibilis odii meritum esse poterat firmitas fidei suæ. Omnes quidem fas est, ut dicant, quod sicut in prioribus Hæresiarchis superbia ut plurimum & ambitio, aliquando etiam indignatio & luxuria, quandoque pariter cupiditas & æmulatio, dederunt antiquis hæresibus ortum; ita quoque in Luthero odium erga Papam, indignatio in Ecclesiam, & æmulatio cum Religiosis Ordinibus, Sectæ suæ initium pararunt; atque de matre tam perversa expectari poterat bona proles?

Ad III. Hæc est differentia inter Principem, qui multis, ac variis Gentibus & Nationibus dominatur, quamvis istæ diversas habeant Leges, contrariasque Sectas sequantur, & inter Deum; quod illæ, quamvis inter se discrepent in Religione, conveniunt tamen in fidelitate, & obedientia, quas Principi profitentur; At diversas Sectas sequentes non possunt placere Deo, quia sunt illi inobedientes, refractarii, & rebelles. Deus enim unicam instituit Religionem, & hanc unicam voluit esse veram, & hanc veram omnibus & singulis amplectendam proposuit. Illi igitur, qui hanc non amplectuntur, qui hanc non sequuntur, Deo placere nequaquam possunt; hoc ipso enim sunt Deo inobedientes & rebelles. Non est autem gloria Principi subditos habere multos, sed refractarios, & qui ei obedientiam in re tam gravi denegent.

Ad IV. Augustini verba potius nobis favent, quam obstent; Omnes enim Acatholici, velint, nolint, fatentur in Catholico-romana Religione esse salutem, quamvis etiam dicant esse in illis Sectis, quas ipsi sequuntur. Nos vero ex adverso dicimus, in sola Catholico romana Religione esse salutem, & non in alia, quæcunque sit, sive superstitione, sive Secta. Hoc posito, petimus ab ipsis Adversariis, ex his duobus quodnam sit certius? Illud scilicet, quod nos asserimus, & illi fatentur, an vero illud, quod ipsi afferunt, & nos negamus? Si certius est primum, illud igitur ex Augustino amplectendum est, illud est

est omnino tenendum. Cæterum quilibet infidelis, si se vere disponat ad recipiendam veram fidem per vitam innocentem, & inculpabiles mores, a Deo edocetur, vel per internas illustrationes, vel per Prædicantium voces, ut illam agnoscat & amplectatur; ita ut non remaneat adeo in sua falsitate certus, ut de ea nullo modo dubitet, & de vera invenienda Religione desperet.

Ad V. dicitur, quod ratiocinium illud nullo modo est admittendum, quia ducitur a possibili ad existens; & eo prorsus modo probat, quo si quis diceret: Si Deus non dedisset lumen Soli, Sol non esset lucidus: ergo sol modo non est lucidus: Vel si Deus non creasset Mundum, homines non existerent: ergo homines non existunt: Vel si Deus homines non salvasset, homines salutem non consequerentur: ergo modo homines salutem non consequuntur. Ineptus quidem argumentandi modus, ab eo scilicet, quod Deus potuisset facere, ad id, quod fecit. At nos ex eodem principio deducimus oppositum illi, quod inferunt Adversarii & Conclusionem nostram fortius firmamus, dicentes nimirum: Si Deus non revelasset hæc accidentalia, non teneremur illa credere: ergo quia revelavit, tenemur illa credere. Et quidem si non revelasset, non spectarent ad integritatem fidei, quemadmodum modo spectant, quia revelavit. Cæterum in Lege veteri multa erant, quæ Fideles credere non tenebantur, quia Deus illa expresse nun revelaverat. Et quia modo illa expresse revelavit, inde est, quod modo illa omnes expresse tenemur credere; quod quidem ipsimet Adversarii inficiari non audent.

Ad VI. Primitus non credebantur multa explicite & expresse, quia explicite & expresse revelata non erant, nec ab Ecclesia proposita. Revelata autem erant implicite, & implicite etiam proposita; & ideo credebantur implicite. Ecclesia autem vel per Concilia, vel per solum Romanum Pontificem, qui est ipsius visibile caput, ideo definit, & expresse proponit, ut expresse etiam credantur. Ac quum prius nec concederentur, nec negarentur, adveniunt deinde Perturbatores fidei, & Religionis, & eadem pertinaciter & obstinate negant; & tunc Ecclesia, ut illis se opponat, & veram doctrinam a falsa secernat, eadem definit, ac fidelibus expresse credenda proponit. Sed de hoc fusius alibi.

DISSERTATIO CCLXI.

De necessitate divinæ fidei in vera Religione. An divina fides sit possibilis? An in vera Religione sit admittenda? Et an in Christianismo reperiatur?

Primo Philosophi illi, de quibus loquuti fuimus Dissert. 251. totum naturali rationi dabant, & nihil fidei; adeoque illa tantum admittenda esse, dicebant, quæ naturalis ratio assequeretur; illa vero, quæ per mentis captum assequi non possumus, esse omnino neganda. Et hi fuerunt Philosophi illi Ethnici, quorum meminit Apostolus 1. ad Corinth. c. 2. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, Spiritualibus Spiritualia comparantes: Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur. Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.*

Secundo alii Philosophi, suam nimium exaltantes philosophiam, non alia admittebant, quam quæ per ipsa comperta habebant, & ab ipsa pariter docebantur. Unde Moysem irridebant, ut ille, qui multa diceret, & nihil probaret, & Christianos sibilabant, quia incredibilia crederent, & impossibilia narrarent. Et hoc pacto Julianus Apostata apud Nazianzenum orat. 2., quæ est adversus eundem Julianum, hæc

hæc Christianis exprobrabat: *Nostri sunt sermones, & nostrum gracari, utpote quorum etiam sit Deos venerari; vestra autem est infantia, & rusticitas, nec aliud quidquam, crede, sapientiæ vestræ est.*

Antequam autem ad Conclusiones deveniamus, aliqua sunt hic præscienda; quorum primum est, fidem multipliciter accipi in scripturis; videlicet pro bona conscientia, ad Romanos 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*; secundo, pro fidelitate in servandis promissis; psalm. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*; tertio, pro fideli dispensatione bonorum; 1. ad Corinthios 4. *Quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*; quarto, pro fiducia, per quam sperans de aliquo, ejus voluntati acquiescit; Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Marci 11. *Habete fidem Dei... quicunque dixerit huic monti: Tollere & mittere ... quodcunque dixerit, fiat, fiet & se jactabit*; quinto, pro veracitate & virtute, quæ ad dicendum verum inclinat; Unde quis dicitur veridicus & fidelis; sexto, pro doctrina, quam continet & docet ipsa fides; unde dicitur in Symbolo, quod Athanasio tribuitur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*; septimo, pro cognitione obscura alicujus rei, quæ innitatur testimonio dicentis, qui si sit homo, dicitur fides humana, si vero sit Deus, dicitur fides divina. Et de hac ultima sermo est in hoc loco.

Dicimus I. Fidem divinam non solum esse possibilem, hoc est non repugnare, sed etiam de facto dari.

I. Probatur. Quod scriptura nobis asserit necessarium, non solum non repugnat, sed etiam de facto dari, dicendum est; sed Scriptura docet, necessariam esse fidem divinam illi, qui vult ad Deum accedere: ergo fides divina non solum non repugnat, sed etiam de facto datur. Major est certa; non enim scriptura posset asserere, esse necessarium aliquid, quod impossibile judicaret, vel repugnans, vel non existens; hoc idem esset, ac nos ad impossibilia obligare, quod non est dicendum. Minor vero probatur ex illo Apostoli ad Hebræos 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*; quibus verbis Apostolus docet, necessarium nobis esse credere, seu, quod idem est, necessariam esse nobis fidem divinam, si volumus ad Deum accedere.

II. Probatur. In qualibet arte, scientia, professione, quam rudes primum discipuli acquirere pertentant, necessaria est illis fides, quam erga præceptores suos habere debent: ergo pariter necessaria est fides divina volentibus divinam Religionem, quæ est divina Sapientia, comparare. Antecedens est doctrina Aristotelis dicentis: *Discentem credere primum oportet*; quam confirmat Theodoretus lib. 1. de curatione græcanarum affectionum, ubi hæc scribit: *Nemo unquam sine fide aliquid potuit addiscere, nam quod talis sint nomina caracterum, & litterarum A. B. C. demonstrari aut sciri non potest, sed fide tantum creditur, & tamen illis velut fundamentis catera omnia, qua sunt addiscenda, nituntur.* Immo adeo necessariam hominum commercio humanam fidem Origenes prædicat, ut & ipsi, qui sine fide vivunt, etiam cum fide, & propter fidem cogitent, loquantur, operentur. Hæc sunt Origenis verba lib. 1. contra Celsum: *Sine fide nec infidelis vivit, nam si infidelem percunctari velis, quem patrem, aut quam matrem habuerit, protinus respondet illum, atque illam; si statim requiras, utrum noverit quando conceptus sit, & quando natus, nihil horum se nosse fatebitur, & tamen quod non videt credit: habent etenim infideles fidem, sed utinam in Deum, nam si haberent, infideles non essent.* Quæ verba pariter usurpare videtur Rupertus in cap. 5. Joannis.

III. Probatur ex S. Thoma 2. 2. qu. 2. art. 3. & 4. ubi quærens, an credere aliquid supra naturalem rationem, sit necessarium ad salutem? & iterum quærens, an credere ea possimus, ad quæ ratio naturalis pervenire potest? affirmative respondet ad utrumque, & posterius probat verbis hisce: *Dicendum, quod necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea, qua sunt supra rationem, sed etiam ea, qua per rationem cognosci possunt, & hoc propter tria. Primo quidem, ut citius homo ad veritatis divina cognitionem perveniat; scientia enim, ad quam pertinet probare Deum esse, & alia hujusmodi de Deo, ultima hominibus addiscenda proponitur, præsuppositis multis aliis scientiis, & sic non nisi post multum tempus vita sua homo ad Dei cognitionem perveniret. Secundo, ut cognitio Dei sit communior: multi enim in studio scientia proficere non possunt, vel propter habetudinem ingenii, vel propter alias occupationes, & necessitates temporales vita, vel propter torporem addiscendi, qui omnino a Dei cognitione defraudarentur, nisi eis proponerentur divina per modum fidei. Tertio modo propter certitudinem, ratio enim humana in*

rebus divinis est multum deficiens.

IV. Probatur; tum quia credere per fidem est facilius, adeoque communius, quam cognoscere per scientiam; sed Deus tradens nobis veram Religionem, conveniens fuit, ut nos doceret, quæ sunt faciliora, & communiora: ergo conveniens fuit, ut nos per fidem instrueret, ac manuduceret. Major patet, quia omnes possunt credere, non autem omnes possunt scire; quum ad scientiam requiratur certa & evidens cognitio terminorum, præmissarum, conclusionis, & cætera, quæ non requiruntur ad fidem, quæ in unico actu consistit, isque facilis est, & tam a rudibus, quam a doctis, sine labore ac studio elici potest. Minorem probamus verbis Angelici Doctoris loco nuper citato: *Multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes, & necessitates temporales vitæ, vel propter torporem addiscendi, qui omnino a Dei cognitione defraudarentur, nisi eis proponerentur divina per modum fidei.* Quibus robur addunt verba Origenis lib. 1. contra Celsum, circa initium: *Quod si fieri non potest, ut omnes mortales, cæterarum rerum cura omissa, ad philosophandum se conferant, cum ob vitæ necessitatem, tum quia & fragiles sunt, & perpauci admodum philosophiam attigerunt; quod aliud iter poterit, vel brevius, vel rectius, inveniri, ut prodesse multis possimus, quam illud est, quod Jesus Gentilibus & tradidit, & demonstravit?*

Dicimus II. in vera Religione admittendam esse fidem divinam.

I. Probatur. Vera Religio necessario importat subjectionem mentis ad Deum; sed per fidem divinam mens ipsa, seu intellectus, Deo subjicitur: ergo in vera Religione necessario admittenda est fides divina. Major est certa; quia per Religionem importatur cultus Deo debitus, ut pluries dictum est; Verus autem Dei cultor debet habere mentem suam bene instructam, & intellectum suum bene formatum, ut Deo subjiciatur, & obediat; quod non aliter, quam per fidem divinam assequi valet. Minor patet pariter, quia nullum majus obsequium Deo exhibemus, quam illi credendo, & credendo in iis, quæ nostræ mentis superant captum. Quod hoc claro ac practico discursu manifestum reddit Dominicus a Ss. Trinitate in Bibliotheca theologica tom. 5. part. 1. lib 4. sect. 5. cap. 8. ,, Major hujus argumenti patet ex toties dictis, quod religio est justitia hominis erga Deum, directe, ac per se primo respiciens voluntatem, qua ut ipsa primum illi subjicitur perfectissimæ servitutis affectu, quam latriam vocamus, ita quoque subordinatas sibi reliquas potentias debet eidem subjicere, & hoc pacto religiosas, Deoque consecratas illas efficere; alioqui religio non esset servitus maxima, nec voluntas religiosa esset serva, seu Deo totaliter mancipata. Quare cum intellectus sit potentia, in quibusdam actibus suis voluntati subordinata, quicunque veram habet religionem, is quoque mentem ipsam, seu intellectum virtute religionis formatum, ac per eam Deo subjectum, habere debet. Quod autem intellectus non aliter religiosus, seu per voluntatem religiosam Deo subditus, quam per fidem divinam, fieri possit, quæ est minor propositio probanda, colligitur ex ejus differentia a cæteris cognitionibus, in hoc quod sit ex sua essentia voluntaria; quæ enim opinamur, quæ experimur calidum ignem, & quæcunque intelligentiæ, & rationis vi, assequimur evidenter, scire dicimur, quia libere volumus, sicut credimus libere, & quia volumus; attento siquidem tali discrimine, manifeste sequitur, solam fidem esse mentis ejus, qui credit, subjectionem, sive intellectum respectu fidei divinæ longe aliter subordinari voluntati religiosæ, quam respectu aliarum cognitionum, quatenus nimirum, ut per voluntatem imperantem Deo serviat, tenetur Deo revelanti credere, & fidei divinæ obsequium est captivatio intellectus, seu servitutis, quam ex religionis justitia homo Deo veraci debet ,,.

II. Probatur. Ideo doctiores Philosophi in rebus plurimis errarunt, & præcipue circa veram beatitudinis ideam, quia sine fide divina cæcutientes ambulabant, & ad propositum terminum pervenire nunquam valebant; sed ideo sine fide divina ambulabant, quia veram religionem non habebant: ergo vera religio nequit esse sine fide divina. De minori non est dubium; quia Gentiles Philosophi, idolorum cultores, veram religionem non habebant, ac proinde neque poterant supernaturalem fidem habere. Pro majori autem propositione Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 1. tractans de hominis beatitudine, ideo circa illam docet fuisse tot, tantasque Philosophorum opiniones: *Quia videlicet nihil agit, & frustra, aut quo, vel qua, ut ad beatitudinem perveniatur, humana se porrigit infelicitas, si divina non ducit authori-*

thoritas. Hoc ipſum confirmat S. Proſper lib. contra Collatorem cap 26. *Neque ignotum eſt, quantum Græciæ Scholæ, quantum Romana eloquentia, & totius mundi inquiſitio, circa ſummum bonum, acerrimis ſtudiis, excellentiſſimis ingeniis, laborando, nihil egerint, niſi ut evaneſcerent in cogitationibus ſuis, & obſcuraretur cor inſipiens eorum, qui ad noſcendam veritatem, ſemetipſis ducibus utebantur*. Eadem habet Theodoretus lib. 5. de curatione græcan. affectionum.

III. Probatur. Quæcunque ſit fides, in univerſum abſtrahendo ſcilicet a divina, ſeu theologica, eſt ad humanum commercium, & ad ſociale conſortium, neceſſaria; quod & Infideles ipſi tenentur concedere, præcipue in multis, quæ ad humanam ſocietatem pertinent; unde aſſentiuntur objectis, quæ non clare, ſed obſcure cognoſcuntur ab ipſis: ergo nullo pacto irridendi ſunt veram religionem ſectantes, ſi per fidem divinam manuducuntur. Hoc argumentum feliciter tractarunt Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum, Theodoretus lib. 1. de curat. græc affectionum, Auguſtinus lib. de utilitate credendi cap. 1. &c. Cujus hæc ſunt verba, quæ maxime ad rem noſtram faciunt: *Si tollis hanc fidem, tollis omnem magiſterii, diſciplinæque, rationem*.

Dicimus III. Fidem divinam in Chriſtianiſmo reperiri.

I. Probatur ex myſteriis, quæ nobis Eccleſia credenda proponit; & quidem credenda non fide humana, quia hæc nec firmum poſſet habere aſſenſum, nec virtute formatum, nec æterno præmio dignum: igitur fide divina proponit illa nobis credenda: & nos non ob aliam rationem illa credimus, quam quia Deus, qui poteſt facere illa, quæ nos percipere non valemus, & cognoſcit illa, ad quæ nos attingere non poſſumus, nobis eadem revelavit. Unde ſatius putamus credere Deo dicenti, ſic, vel ſic, illa eſſe, quam noſtris humanis judiciis, quæ aliter, vel aliter, nobis credenda proponunt: quapropter Apoſtolus 2. ad Timoth. c. 1. dicebat: *Scio cui credidi*; ad quæ verba reſpiciens fortaſſis Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, ſcribebat: *Si ergo quærendi cauſa omnibus modis de medio tollatur, fides firmatur, ac ſtabilitur. Eis ergo (ideſt infidelibus) illud præponimus, contra quod dici non poteſt. Quod Deus eſt, qui dicit, & de unoquoque eorum, de quibus quæro, traditum adducit in ſcriptis. Quis eſt ergo adeo impius, & a Deo alienus, ut Deo non credat, & probationes a Deo poſtulet, tanquam ab hominibus?* Gregorius etiam Nazianzenus orat. 3. contra Julianum, introducit Apoſtatam ſic loquentem: *Noſtri ſunt ſermones. & noſtrum græcari, utpote quorum ſit etiam Deos colere: veſtra autem eſt infantia, & ruſticitas, nec quicquam aliud, quam, crede, Sapientia veſtra eſt*. Cui ipſe reſpondet: *Atqui hoc, ut opinor, non irriſerint, qui apud nos Pythagoræ Philoſophiam colunt, quibus illud, ipſe dixit, dogmatum omnium primum eſt, & maximum, &c. Eodem autem recidit illud, ipſe dixit, quo noſtrum crede*.

II. Probatur. Quia fides non ſolum eſt utilis ad cognoſcendum Deum, ſed etiam ad penetranda naturalia non eſt inutilis; & hoc propter tria, ut ait P. Boucat tom. 3. Theologiæ Patrum diſſert. 1. art. 1. ſua ſunt verba: „ Primo, quia per eam homo „ venit ad multorum cognitionem, ad quam „ acquirendam tempus vitæ ſæpius non ſuf„ ficeret. Secundo, per eandem cognitio re„ rum naturalium fit communis ſimplicibus, „ & implicatis in negotiis ſeculi. Tertio, „ homo per eam fit certior de rebus natura„ libus, quæ ſunt præ oculis ſuis. „

III. Probatur. Auguſtinus comparationem inſtituens inter Gentilem Philoſophum, & Chriſtianum ruſticum, & imperitum, hunc illi præfert, quia neſcit, quod ille ſcire præſumit, & quia credit, quod ille credere detrectat. Hæc ſunt ſua verba in ſerm. 187. de tempore: *O Chriſtiane, qui tibi videris nihil ſcire, ſi ſcias hoc ipſum, quod neſcias, nonne plus magis a cæteris videris ſcire? Gentilis homo videt lapidem, & Deum putat: Philoſophi vident Cælum, & putant Deum, &c. Tu vero conſidera quantam ſuper iſtos habeas ſcientiam*. Inſuper explicans illud Iſaiæ cap. 7. *Niſi credideritis, non intelligetis*; & illud pſalmi 115. *Credidi propter quod loquutus ſum*, docet epiſt. 28., quod intelligentia rerum fidei ſit præmium, & merces, fidei antea præſtitæ, & quod etiam in hac vita primo credere debeamus, & deinde intelligere. Denique idem Sanctus Doctor lib. contra Felicianum cap. 2. reſpondet huic Hæretico, qui Chriſtianos redarguebat, & quod traderent præcepta fidei rudibus, & eos teſtimoniis, non rationibus, ſuaderent; unde dicebat: *Et ideo melior mihi ad docendum videtur hæc via, qua primum fidei ratio ſine teſtimoniis redditur, poſt rationem convicto idem illud ſcripturis reſpondentibus exponitur*. Auguſtinus autem reſpondens, inculcabat: *Non præſumam in ſapientia verbi, ne eva-*

cue-

cuetur Crux Christi, sed Scripturarum Sanctarum authoritate contentus, simplicitati potius obedire studebo, quam tumori. Et post hæc subdit idem Augustinus Virginis partum, mortuorum resurrectionem, aliorumque mirabilium perpetrationem; illorumque omnium dicit esse incomprehensibilem rationem, veritatem vero testimoniorum in promptu esse. Quæ omnia Christianam Religionem respiciunt, in qua divina fides absque dubio retinetur.

Objiciunt I. Rationibus a nobis adductis probatur, fidem esse necessariam ad Religionem, non quidem simpliciter, sed ad melius esse; scilicet ut citius, communius, & certius, religionis cognitio ad homines deveniat: ergo non efficaciter probant, fidem divinam esse in vera religione, adeoque in Christiana, necessariam. II. Naturalis ratio est insufficiens ad veram religionem; sed nos per naturalem rationem probamus divinæ fidei necessitatem, quod est aliquid supernaturale, & per consequens superans vires omnes naturalis rationis: ergo nobis ipsis contradicimus. III. Nostris rationibus probavimus, Deum posse aliquid hominibus revelare; sed ex hoc non infertur, quod Deus de facto aliqua hominibus revelaverit: ergo parum, vel nihil, ad intentum nostrum probavimus. Probatur consequentia; multa enim sunt, quæ potest Deus utique facere, sed quæ tamen nec fecit, nec faciet: ergo quamvis a nobis probetur possibilitas divinæ revelationis, non probatur tamen ejus existentia. IV. Fides nec dare potest evidentiam credibilitatis, nec evidentiam veritatis: ergo nihil confert ad certitudinem religionis. Probatur antecedens; tum quia fides, quum sit obscura, omnem excludit evidentiam; tum etiam, quia evidentia credibilitatis est extrinseca fidei; unde non potest ab ipsa importari atque produci; tum denique, quia evidentia veritatis pugnat quam maxime cum obscuritate fidei; unde nequit absolute cum ipsa componi. V. Multa sunt etiam in superstitionibus Gentilium, Mahumetanorum, &c. quæ creduntur, & quæ naturalis rationis superant captum; & tamen istæ non sunt veræ religiones, sed falsæ, quum sint potius superstitiones, ut pluries dictum est, quam religiones: ergo non est verum, quod in vera religione debeat esse fides, & quod hæc veritatis illius sit argumentum. VI. Vera religio deberet potius intellectum illorum, qui eam suscipiunt, certum reddere de iis, quæ cognoscenda proponuntur, ut sic facilius illam amplecterentur; sed per fidem intellectus non redditur certus illorum, quæ credit, quin potius semper remanet anceps, & dubius, veritatis illorum, & quasi semper stat cum formidine partis oppositæ: ergo fides non est medium efficax, & sufficiens, per quod homines veram Religionem amplectantur. VII. Multa sunt in vera religione, quæ non creduntur, sed sciuntur, naturalibus enim rationibus demonstrantur; sed si fides theologica esset necessaria ad veram religionem, deberet esse necessaria pro unoquoque capite illius: ergo &c. Major est certa; quia existentiam Dei per naturales rationes demonstramus, ita pariter multa ejus attributa; & nihilominus hæc sunt capita veræ & Christianæ religionis: ergo quemadmodum hæc sciuntur absque fide, ita & poterunt alia: ergo fides non est necessaria pro vera, & Christiana religione. VIII. Ob difficultatem credendi, plures veram & Christianam religionem, vel non amplectuntur, vel deserunt: ergo fides est potius obstaculum, quam adjumentum, pro vera & Christiana religione.

Respondemus ad I. antecedens esse absolute falsum, si accipiatur religio adæquate, totaliter & complete; quia in ea hoc pacto considerata plures sunt veritates necessariæ, quæ, utpote supernaturales non aliter cognosci possunt, quam per revelationem; Unde earum revelatio, quæ supponitur per fidem, non est tantum necessaria ad melius esse, sed absolute & simpliciter. Ulterius dicitur, quod etiam divina fides est simpliciter necessaria respectu illarum veritatum, quæ licet cadere possint sub intelligentiam nostram naturalem, quia tamen hæc propter naturam lapsam multum facta est debilis, & ad errorem inclinata; hinc est, quod quamvis ad hujusmodi veritates utcunque attingendas non requiratur absolute, & simpliciter doctrina superior, ut ad supernaturales, sed sufficiat humana; attamen exigitur, ut cognoscantur religiose, eo scilicet modo, quo postulat vera Religio.

Ad II. dicitur, nullam esse contradictionem in iis, quæ nos asserimus; quia, ut ait Dominicus a SS. Trinitate loco nuper citato:
„ Licet ratio naturalis ad hoc pervenire non
„ valeat, ut demonstrare possit divinæ fidei
„ in religione necessitatem, quatenus est su-
„ pernaturalis præcise, sive per eam nobis
„ revelantur plura objecta supernaturalia
„ in particulari, id enim non ejus infirmita-
„ tem, sed summam potius argueret activi-
„ ta-

„ tatem; nihilominus si consideretur eadem „ fides divina, quatenus est naturalis, saltem „ objective, eo quod doctrina per illam tra- „ dita potest utcumque, sive in communi, & „ confuse, cognosci per rationem naturalem, „ nullum est inconveniens, quod asseratur, „ imo debet asseri per eandem probari pos- „ se fidei divinæ ita consideratæ necessita- „ tem in negotio religionis, cum talis proba- „ tio in alio non fundetur, quam in ipsamet „ rationis naturalis ad divina exploranda, „ ac pede inoffenso percurrenda invaletudi- „ ne, caligine, incertitudine, ut jam proba- „ vimus. Unde etiam nihil videtur esse ipsi „ rationi naturali repugnantius, quam affir- „ mare, Deum, & divina, esse per ipsam in- „ vestigabilia, expedibilia, & intelligibilia; „ nullusque consequenter non admittet, mo- „ do indocilis non sit, par esse, ut de Deo, „ & divinis ab ipso Deo instituamur, nun- „ quam alioqui satis profecturi, esseque ple- „ num stultitia, de talibus rebus eas solum „ admittere, quas naturalis ratio demon- „ strat; eas autem respuere, quas non de- „ monstrat, nec intelligit. „

Ad III. Quotiescunque Deus potest facere aliquid, quod ad nostram æternam salutem probatur esse necessarium, & quod nos assequi omnino non possumus, nisi Deus ipse præstet, qui & insuper id a nobis assequendum præcipit, & nobis dare promittit; toties absque hæsitatione possumus ex potentia concludere actum, & ex possibilitate deducere existentiam. Quum igitur Deus nobis præcipiat, ut in vera religione existentes fide divina, quæ dicit credamus, & non possumus credere, nisi ipse revelet; hoc ipso ex possibilitate divinæ revelationis existentia ejusdem infertur, & ex eo quod Deus revelare possit, colligitur etiam, quod revelaverit.

Ad IV. Sufficit ad fidem certitudo, quæ eidem intrinseca est, non vero requiritur evidentia, quæ ipsi est contraria. Et quamvis admittatur evidentia credibilitatis, hæc tamen non respicit ipsam fidem, sed potius appellat motiva, quibus ad credendum inducimur. Evidentia vero veritatis revelatæ nunquam cum fide stare potest, saltem in eodem actu, quia aliter fides, quæ necessario debet esse obscura, per actum illum destrueretur. Ut autem fides divina conferat quam maxime ad certitudinem religionis, sufficit quod ipsa sit certa, & non requiritur, quod quoque sit evidens.

Ad V. Quæ est in superstitionibus Gentilium, Paganorum, Mahumetanorum, &c. non est divina fides, sed potius fraus, deceptio, & impostura, per quas superstitionum illarum Auctores hominibus illudere, ac imponere, studuerunt. Certe verus Deus nunquam potuit illarum fabularum esse inventor & auctor, quas & sua infinita sapientia exhorrebat, & summa Sanctitas execrabatur. Homines autem perditi illas amplexi sunt, non quidem Dei ductu, vel rationis dictamine, sed potius concupiscentiæ æstu præeunte, & illecebrarum desiderio comitante. Nos vero non loquimur de fide hac humana, mendace, falsa, & fraudolenta, quæ in superstitionibus illis reperitur, sed de fide divina, quæ in vera religione tantum, adeoque in Christiana, continetur.

Ad VI. Ut intellectus reddatur certus & firmus, nullo autem modo dubius, & anceps, in iis, quæ credit, sufficit testimonium Dei dicentis, quod quidem omnibus ratiociniis prævalet, omnesque naturales superat evidentias. Et hoc pacto totum completur, quod in vera religione exigitur; scilicet fides, & obedientia Deo dicenti, & revelanti, qui tunc submissius colitur, quando firmius ei credimus; & certitudo credentium, qui certiores sunt de iis, quæ credunt, quam de naturalibus effectibus, quos quotidie ante oculos, & præ manibus habent; sensus enim falli aliquando possunt, at nec falli, nec fallere, potest Deus, qui nobis loquitur, & mysteria divina revelat. Hoc autem non esset in hypothesi, quam Adversarii fingunt; quia licet credentes certi essent de veritate credendorum propter evidentem cognitionem illorum, non haberent tamen meritum fidei, & non exhiberent obsequium Deo, quod ipsi debetur ratione veræ religionis; quum modo & hoc obsequium Deo præstent, quia ipsi credunt, & de credendorum veritate certissimi sunt, quia Deo dicenti ac revelanti credunt.

Ad VII. Dici potest, vel quod ea, quæ demonstrantur, possunt etiam divina fide credi, scilicet per diversos actus, qui in eodem intellectu componi possunt; vel quod fides locum habeat in iis, quæ per naturalem mentis activitatem assequi non valemus. Non est autem necessarium, ut fides locum habeat in omnibus, quæ religionem constituunt, sed in iis tantum, quæ a Deo revelantur, & a nobis creduntur, quia illa naturaliter assequendi capacitatem non habemus. In iis autem, quæ naturaliter scire possumus, sufficit promptitudo intellectus, qua nos ipsos paratos reddimus ad credendum, si adhuc naturali cogni-

gnitione, vel demonstratione destituere-mur.

Ad VIII. Culpa est illorum, & quidem damnabilis maxime, & atrociter a Deo punibilis, qui veram religionem, hoc est Christianam, vel non amplectuntur, vel deserunt; quia Deus illam reperibilem fecit, & ipsi illam quærere non curant. Nec pro eorum excusatione facit difficultas credendi, quam obtendunt; quia si homo homini credit, quanto magis Deo? Si credit in iis, quæ sunt juxta captum nostrum, quanto magis in iis, quæ sunt supra? Si credit absque merito, & præmio, quanto magis cum merito, mercede, ac præmio? Inexcusabiles ergo sunt, qui veram religionem, hoc est Christianam, vel non recipiunt, vel derelinquunt; quia credere nolunt Deo, cui fidem exhibere summa certitudo est, vera virtus, & indefectibilis beatitudo.

DISSERTATIO CCLXII.

De natura, multiplicitate, & præcepto fidei divinæ. Quænam sit fidei divinæ notio, essentia, & definitio? Quotuplex sit divina fides? Et quo præcepto teneantur omnes illam suscipere.

FIDES, prout est virtus theologica, debet necessario esse infusa a Deo, ac proinde per actus, quantumlibet replicatos, acquiri minime potest. Dum autem a Deo infunditur, & quidem infunditur rationali creaturæ, quæ illius est capax, per illam eadem rationalis creatura firmiter assentiri potest iis, quæ Deus sibi revelat. Unde eadem non per naturale lumen percipit, nec per evidentiam cognoscit, sed tantum credit, hoc est concedit, ea ita esse, uti Deus sibi revelavit; & hoc non quia ita esse cognoscit, sed quia testimonium Dei putat esse majus omni naturali lumine, ac evidenti ratione. Exigunt aliqui etiam Ecclesiæ propositionem; Unde Augustinus impugnans epistolam Fundamenti, dicebat, se non crediturum Evangelio, nisi eum Ecclesiæ commoveret auctoritas. At re vera Ecclesiæ propositio non est essentialis in fide, sed est tantum conditio sine qua non, ut Scholastici loquuntur, quemadmodum est respectu combustionis approximatio materiæ combustibilis ad ignem, & essentialis est tantummodo revelatio a Deo facta hominibus. Certe in Adamo, & in Abrahamo, fuit vera fides theologica, & nihilominus non fuit illis proposita per Ecclesiam revelatio articulorum, quos credere debebant, & crediderunt. Insuper Juenimus tom. 6. Institut. theolog. dissert. 4. qu. 1. cap. 1. hanc exhibet speculationem, quam fuismet verbis hic proponere placet: Concilium Tridentinum sess. 6 can. 16. contra Lutheranos definit, neminem in hac vita posse scire certitudine fidei, cui falsum subesse non possit, se magnum usque in finem perseverantiæ donum habiturum esse, *nisi hoc ex speciali revelatione didicerit*; supponit igitur, id conditionate sciri posse certitudine fidei, si nimirum specialis revelatio præcesserit; ac proinde alicujus rei fidem absolute stare posse absque eo, quod Ecclesia factam revelationem proposuerit.

Post hæc facile est intelligere definitionem fidei, quæ communiter traditur; hoc est: Fides theologica est virtus divinitus infusa, per quam creatura rationalis firmiter assentitur iis, quæ a Deo sunt revelata. In qua definitione virtus se tenet loco generis, quia per eam convenit cum cæteris virtutibus, sive theologicis, sive moralibus; & quidem, quia virtus est, perficit subjectum suum, quod omnibus virtutibus commune est; hoc autem quod est perficere subjectum suum intelligitur & per hoc, quod elevet creatum intellectum ad multarum rerum cognitionem, quas attingere per solum naturale lumen minime posset, & per hoc etiam, quod dirigat voluntatem creatam ad bonum agendum, indicando ei & finem, in quem tendat, & media, per quæ finem ipsum assequatur. Cætera vero verba tenent locum

cum differentiæ; per ipsa enim & differt a virtutibus, quæ non sunt infusæ, sed acquisitæ; & a cæteris virtutibus theologicis, quæ licet in Deum immediate tendant, non tamen tendunt in eum ut summum verum, sed ut summum bonum. Nicolaus Girken post hanc definitionem aliam subdit, scilicet, quod fides sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium; quam desumit ex Apostolo ad Hebræos 11. Sed revera hæc non est essentialis definitio, sed potius descriptio, quatenus explicat fidem per duplex ipsius attributum, quæ sunt firmitas, & obscuritas; unde illius definitionis expositionem hanc dicit esse Juaninus loc. cit.

„ Fides adeo certa est, ut bona, quæ speramus, & obscure cognoscimus, perinde menti nostræ præsentia reddat, ac si jam eis frueremur, & ea ipsis oculis conspiceremus. „ Definitio autem, quæ traditur per effectus, minime essentialis est, sed descriptiva tantum.

Quæri potest hic, nuper dictorum occasione, an omnis virtus theologica sit infusa, & an omnis virtus infusa sit theologica?

Ad quod respondemus, in præsenti providentia omnem virtutem theologicam esse infusam, non tamen omnem virtutem infusam esse theologicam. Et probatur primo, quia in præsenti providentia virtutes theologicæ non sunt plures, quam tres, scilicet fides, spes, & charitas; & omnes hæ tres sunt infusæ; sed prædictis tribus plures sunt virtutes, quæ sunt infusæ: ergo & omnis theologica virtus est infusa, & non omnis infusa est theologica. Probatur major pro prima parte; quia in præsenti providentia triplici modo supernaturali adhæremus Deo immediate; uno nempe per intellectum, & duplici per voluntatem; per intellectum quidem adhæremus Deo, ut obscura revelanti, sive loquenti, & hoc est proprium fidei; per voluntatem vero adhæremus Deo, & ut bono in seipso, & hoc præstamus per charitatem, & ut bono nobis, & hoc per spem implemus. Pro altera vero parte majoris, scilicet quod omnes virtutes theologicæ sint infusæ, plures Theologi docent, hoc esse de fide, quia supponunt illud, in Tridentino saltem, declaratum; alii declaratum volunt ante Tridentinum; & quamvis aliqui teneant nondum esse declaratum de fide, asserunt tamen sine ingenti temeritate negari non posse; quod videri potest apud Suarez lib. 6. de gratia cap. 4. num. 6. Pro minori vero propositionis

ne principalioris argumenti, Scotistæ sequentes Scotum in 3. dist. 36. sustinent, nullam aliam virtutem viatoribus infundi, præter theologicas enumeratas. At S. Thomas 1. 2. qu. 63. art. 3. & 4. docet, non solas theologicas virtutes, sed morales etiam dictas, infundi in justificatione simul cum gratia sanctificante, nimirum virtutes cardinales, & cæteras illarum species. Hoc passim a Thomistis contra Scotistas probatur, & ad illos Legentes remittimus.

Probatur quoque ex S. Prospero lib. contra Collatorem cap. 38., quod scilicet virtutes morales aliquæ etiam sint infusæ. Et quidem hæc sunt verba Prosperi, qui fuit fidissimus Augustini discipulus: *Charitas ex Deo est diffusa per Spiritum Sanctum in cordibus nostris: hoc de fide, hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia conjugali, hoc de continentia Virginum, omnibusque virtutibus sine exceptione profitemur.* Quibus verbis idem de reliquis virtutibus theologicis, ac etiam de moralibus affirmatur, quod de charitate dictum fuerat; nempe quod diffusæ sint per Spiritum Sanctum in cordibus nostris; hæc autem loquendi formula apud omnes denotat charitatis infusionem, & supernaturalitatem: ergo pariter cæterarum virtutum adhuc moralium denotare debet supernaturalitatem, & infusionem.

Ad multiplicitatem fidei modo devenientes, primo dividitur in explicitam & implicitam; per fidem explicitam credimus aliquem articulum in particulari, qui sit Ecclesiæ speciatim a Deo revelatus: per implicitam vero credimus omnes articulos, quos Ecclesia in genere credendos nobis proponit; non exprimendo scilicet hunc, vel illum articulum in particulari, seu non cogitando de aliquo articulo in specie, sed omnes simul complectendo. Unde si credimus omne, quod credit Ecclesia, quia Deus illud omne Ecclesiæ revelavit, & nobis Ecclesia proponit, fides hæc est implicita: Si vero credimus in particulari Deum esse unum & trinum, Verbum sumpsisse humanam carnem in B. Virginis utero, Christum sub speciebus Eucharisticis realiter esse, & secundum divinitatem, & secundum humanitatem; fides hæc est explicita. Secundo dividitur fides in actualem & habitualem. Fides actualis est actus, quo intellectus assentitur alicui veritati propter actoritatem Dei revelantis, prævio imperio voluntatis, quæ per gratiæ auxilium a Deo excitatur:

Fides vero habitualis est habitus permanens in anima, per quem hæc assentitur veritatibus a Deo revelatis. & hæc etiam in Fidelibus dormientibus perseverat. Tertio dividitur in informem & formatam; fides informis est quæ reperitur in subjecto, quod caret gratia sanctificante, quæ a Scholasticis dicitur forma, qua perficiuntur virtutes; fides vero formata est quæ conjungitur in eodem subjecto cum gratia sanctificante; & hanc divisionem excogitarunt Scholastici, ut ait Jueninus, qui duodecimo, & tertiodecimo seculo, scripserunt. Quarto dividitur in fidem vivam & mortuam: Fides viva est, quæ conjungitur cum præceptorum observantia; & hanc Apostolus vocat Fidem, quæ per dilectionem operatur; fides mortua est, quam non comitatur observantia præceptorum; & de hac intelligitur Jacobus in epistola Canonica cap.2 *Fides sine operibus mortua est*. Quinto dividitur Fides in acquisitam & infusam; Fides acquisita est quæ nascitur ex multis actibus, ex gratiæ auxilio elicitis circa res revelatas; infusa vero est, quam Deus infundit sine prævio aliquo actu, qui ad eam concurrat per modum caussæ efficientis. De hac ultima divisione dicit Juaninus, quod patet in adultis, & parvulis quibus ex Concilio Tridentino Deus infundit fidem, spem, & charitatem, dum sacramenta suscipiunt.

Alii autem Theologi de Schola alteram afferunt fidei definitionem, eanque dicunt convenire fidei tam infusæ, quam acquisitæ Volunt pariter tradi illam a S. Thoma, hancque accepisse eandem ab Augustino lib.de prædest. Sanctorum cap.2. ubi Augustinus dicit, quod credere sit cum assensione cogitare; Unde efformatur definitio, quod fides sit cogitatio cum assensu. Verum definitio hæc etiam potest humanæ fidei convenire, & proinde nequit dici, quod sit revera theologicæ fidei definitio. Attamen Augustinus non intendit ibi exactam divinæ fidei afferre definitionem, sed tantum dicit, quod credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare; assensio autem, sive assensus, est judicium, quo intellectus ad unam partem determinatur; cogitatio vero est consideratio cum quadam inquisitione sine perfecta terminatione per intuitivam visionem; Unde sensus dicti Augustini est. quod credere sit judicare determinate, quod hoc sit verum, & non ejus oppositum, idque sine cognitionis intuitivæ evidentia. Et in hoc sensu explicata definitio, tam fidei divinæ, quam fidei humanæ, conveniret. Posset nihilominus soli fidei divinæ competere, si assensionis nomine intelligeretur firma adhæsio intellectus cum omnimoda certitudine; quia hujusmodi assensus de re non evidente, & de qua non sit visio intuitiva, non potest esse, nisi ratione auctoritatis omnino infallibilis, quod est motivum formale actus fidei divinæ. Et quamvis Theologi plures eam applicent fidei etiam acquisitæ, non desunt tamen, qui eam ita explicant, ut soli actui fidei supernaturalis & infusæ conveniat. Et hoc sic explicant, ac probant secundum etiam mentem S.Thomæ, uti ipsis videtur. Dicunt nanque, quod assensio duo notat; primum notat, quod actus fidei sit judicium, quo intellectus determinatur ad unam partem, non ex necessitate propter evidentiam objecti, sed ex libera consensione voluntatis: Secundum notat, quod in tali assensu sit firmitas quædam, excludens omnem formidinem falsitatis, quæ firmitas quum non sit ex evidentia objecti, satis indicat esse ex authoritate testificantis omnino infallibili, quæ non potest esse nisi auctoritas divina. Addunt insuper, quod particula cogitare notet cognitionem fidei non esse hujusmodi, ut primo intuitu statim penetret veritatem objecti, quia cogitare est quasi cogere intellectum, ut judicet ita esse id, quod primo intuitive non videt esse ita; qua explicatione posita inferunt, quod Augustini verba, quibus dixit credere non esse aliud, quam cum assensione cogitare, soli actui fidei infusæ conveniant, licet fortasse ab Augustino in latiore significatione fuerint scripta.

Arguunt I. Pontius Scotista in cursu theologico disp.26. num.26. allata verba S.Prosperi sic explicat, ut velit virtutes morales naturales entitative & acquisitæ actibus elicitis per auxilium gratiæ supernaturalis, sint ex Deo per Spiritum Sanctum; unde ex præfatis verbis nullo modo probari vult, quod virtutes morales a Deo infundantur, sicut infunduntur virtutes theologicæ. II. Charitas, quæ est virtus theologica, non infunditur nobis: ergo non omnes virtutes theologicæ sunt infusæ. Probatur antecedens. Charitas, qua diligimus Deum, est Spiritus Sanctus: ergo non infunditur nobis. Probatur antecedens 1. Joannes cap.4. *Charitas ex Deo est*. Et post pauca: *Charitas Deus est*: ergo charitas, qua diligimus Deum, est Spiritus San-

Sanctus; quia non est Deus ex Deo, qui sit charitas, nisi Spiritus Sanctus; sed illa est charitas, qua diligimus Deum: ergo charitas, qua diligimus Deum, est Spiritus Sanctus. III. Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 17. docet, Deum dici charitatem, non sicut dicitur spes nostra, vel patientia nostra, scilicet quia nobis confert hæc dona; sed dici charitatem, sicut dicitur Spiritus; sed Deus identice est Spiritus: ergo identice pariter est charitas. IV. Idem Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 7. hunc adhibet discursum, ut probet, illum, qui diligit proximum, diligere Deum: *Qui proximum diligit, consequens est, ut ipsam præcipue dilectionem diligat; Deus autem dilectio est: consequens ergo est, ut præcipue Deum diligat:* Sed hic discursus esset omnino inutilis, & nihil concluderet, nisi Deus esset ipsa dilectio, qua proximum diligimus propter Deum. V. In justificatione illæ solæ virtutes infunduntur nobis supernaturaliter, quæ necessariæ sunt ad consequutionem supernaturalis beatitudinis, vel ad augumentum ipsius; sed neutro modo sunt necessariæ virtutes morales: ergo non sunt supernaturaliter infusæ. Minor probatur. Actus virtutum moralium quamvis procedant a virtutibus naturaliter acquisitis, sunt tamen merita supernaturalis beatitudinis, dummodo eliciantur ab homine habente gratiam sanctificantem: ergo non sunt necessariæ virtutes morales supernaturaliter infusæ. Probatur antecedens; quia illi actus sic eliciti sufficienter dignificantur a gratia sanctificante subjectum, & proportionantur præmio supernaturali, quanvis ipsi sint entitative naturales, & procedant a virtute naturaliter acquisita; quemadmodum ipse homo entitative naturalis, & productus a caussa penitus naturali, dignificatur a gratia sanctificante se, & proportionatur beatitudini supernaturali. VI. Ut actus virtutum moralium sint merita præmii supernaturalis, quamvis sint entitative naturales, sufficit quod imperentur, & extrinsece referantur in Deum per actum supernaturalem charitatis divinæ: ergo non sunt necessariæ morales virtutes supernaturaliter infusæ. VII. Sine virtutibus supernaturaliter infusis, possunt fieri morales actus supernaturales entitative, scilicet vel si Deus conferat supernaturalem concursum Omnipotentiæ, vel si hujusmodi actus producantur physice a supernaturali auxilio gratiæ excitantis. VIII. Si virtutes morales essent supernaturaliter infusæ; infunderentur infiniti habitus supernaturales simul in justificatione; sed infinitum repugnat: ergo, &c. Probatur major, quia infunderentur tot habitus, quot sunt numero, & varietate, objecta honesta conceptibilia, ut digna amari, tam directe, quam reflexe, & per multiplicabiles in infinitum singulorum cum singulis combinationes; quia omnes isti actus essent honesti, & per consequens supponerent in homine elevato ad præmium supernaturale virtutem sufficientem, ut ipsi sint, & evadant, & fiant supernaturaliter meritorii.

Respondemus ad I. quod si Pontii objectio valeret, & sua explicatio verborum Prosperi subsisteret, idem etiam posset dici de charitate, quia æqualibus verbis S. Prosper loquitur de charitate, ac de virtutibus moralibus; atque adeo propositio hæc: charitas Dei per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur: verificaretur de charitate non infusa, aut entitative supernaturali, sed naturali entitative, & acquisita actibus elicitis per auxilium gratiæ; & sic ex eadem propositione assumpta sess. 6. cap. 7. non bene inferretur infusio, & supernaturalitas entitativa charitatis; quod redderet inanem illationem, quæ est communis Adversariis, ac reliquis Theologis. Unde potius dicendum videtur, quod sicut verba illa Prosperi intelliguntur de charitate, ita etiam intelliguntur de virtutibus moralibus, quæ infunduntur a Deo, quemadmodum charitas infunditur.

Ad II. Ut videatur argumentum male esse fundatum, observemus quæ docet Apostolus 1. ad Corinth. cap. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas. Tria hæc; major autem horum est charitas.* Ubi & aliis creatis donis annumerat charitatem, & illam fide, & spe, dicit esse majorem. Hoc autem non bene dixisset Apostolus, si intellexisset, Charitatem, qua Deum diligimus, esse Deum; quia nec Deus se numerare debet inter creata dona, nec in dubio ponendum est, quod Deus incomparabiliter sit omni creatura major. Ad hoc optime conferunt Augustini verba lib. de Spiritu & litera cap. 32. Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur: Et Domini salus qua nos salvos facit, & fides Jesu Christi, qua nos fideles facit. Quibus verbis Augustinus docet, quod charitas nobis infusa, non sit Deus

essentialiter sumptus, neque personaliter Spiritus Sanctus, dum negat hanc charitatem esse, qua Deus nos diligit: Esset autem qua Deus nos diligit, si Deus ipsa esset. Insuper æquiparat Augustinus hanc charitatem cum justitia nobis infusa, & salute, & cum fide, quatenus justitia, salus & fides, sunt formæ denominantes nos, & non denominantes Deum; ergo docet quod charitas nobis infusa sit forma denominans nos, & non denominans Deum; sed esset forma seu formalitas denominans Deum, quia esset charitas entitative ipse Deus: ergo secundum Augustinum charitas non est entitative Deus. Hoc posito ad argumentum directe negatur antecedens, quia ut propositio habeat locum, debet ly est sumi non abusive, sed proprie, non per identitatem pure participativam alicujus similitudinis, quæ realiter est non identitas, sed per identitatem entitativam, quæ sola est realiter identitas. Et hoc modo Spiritus Sanctus non est charitas nobis infusa qua diligimus Deum per se, & alia propter Deum. Ad probationem antecedentis negatur minor subsumpta, & ad hujus probationem negatur consequentia. Ratio est, quia sunt duæ charitates, ita inter se distantes, quantum inter se distant Deus, & creatura. Alia est charitas quam Deus habet erga nos propter se, sive qua ipse nos diligit propter se; & hæc essentialiter sumpta est Deus, & sumpta notionaliter est Spiritus Sanctus, videlicet amor denominans Deum amatum a se, & amantem se, non tamen amatum a nobis, neque nos amantem. Alia vero est charitas, quam nos habemus erga Deum propter se, & hæc non est Deus, sed sumpta pro actu, est actus voluntatis nostræ, & sumpta pro habitu est virtus theologica. Et sic quando proponitur nobis amor Dei erga nos, ut provocemur ad redamandum, non provocamur ad redamandum divino amore erga nos, sed amore nostro erga Deum; quemadmodum non exhortamur ut simus Sancti ipsa formali sanctitate Dei, quanvis admoneamur divina ipsa sanctitate, ut simus Sancti, & perfecti, sicut Pater noster Cœlestis perfectus est. Apertissime ergo consequentia negata est nulla.

Ad III. dicitur, quod Deus identice est illa charitas, qua ipse diligit, non vero, qua nos diligimus. & hoc aperte patet ex mente ejusdem Augustini. Etenim non dicit ipse, quod Deus sit charitas nostra, sed solum quod dicatur charitas simpliciter, sicut dicitur Spiritus; sed Spiritus dicitur, & non dicitur Spiritus noster, quia se solum in ea linea, non nos formaliter denominat: ergo dicitur charitas, & non dicitur charitas nostra, quia se solum in hac linea, & non nos formaliter denominat.

Ad IV. In majore propositione propositi argumenti, dilectio usurpatur, & pro forma, qua diligimus, & pro ratione formali, per quam diligimus; in minori autem usurpatur pro sola ratione formali, per quam diligimus proximum. Ad hoc igitur ut syllogismus propositus concludat, exponitur hoc modo: Qui diligit proximum, diligit præcipue ipsam dilectionem, & sumptam pro forma, qua diligit, & sumptam pro ratione formali, propter quam diligit: Sed Deus est dilectio sumpta pro ratione formali, propter quam diligit, qui diligit proximum propter Deum: ergo qui diligit proximum propter Deum, præcipue diligit Deum. Confirmat Augustini mentem ipsemet Augustinus, qui lib. 8. de Trinit. cap. 8. colligit ex sacris literis fraternam ipsam dilectionem non solum ex Deo, sed etiam esse Deum: hoc est, esse ex Deo, quatenus sumitur pro forma, qua diligimus; esse autem Deum, quatenus accipitur pro ratione formali, propter quam diligimus.

Ad V. Negatur minor, cjusque probatio. & hujus etiam probationis probatio. Ratio negationum est, quia supernaturalis beatitudinis præmio nunquam potest esse proportionatus actus, qui neque in se sit entitative supernaturalis, neque saltem procedat ab actu entitative supernaturali, cum quo simul tanti meriti præmium componat. Et hoc probatur; nam præmium beatitudinis supernaturalis non est minus entitative supernaturale, quam sit entitative sanctum, & honestum; sed quia est præmium entitative sanctum, & honestum, non est meritum ipsi proportionatum actus, qui neque in se sit entitative bonus moraliter, & honestus, neque saltem procedat ab actu imperante entitative bono moraliter, & honesto: ergo quia est præmium entitative supernaturale, non est meritum ipsi proportionatum actus, qui neque in se sit entitative supernaturalis, neque saltem procedat ab ejusmodi actu imperante.

Ad VI. Omittitur antecedens, & negatur consequentia. Ratio est, quia sicut in linea charitatis, ita etiam in linea virtutum moralium, constituitur homo juxta leges præsentis providentiæ, potens habere actus meritorios supernaturalis præmii, non

non ſolum imperatos reflexe, ſed etiam reflexe non imperatos. Ad hos autem actus non imperatos, ſed pure elicitos, neceſſaria eſt in ſua cujuſque linea virtus infuſa.

Ad VII. Negatur conſequentia, & argumentum retorqueri poteſt contra Scotiſtas; Scotus enim docet, actus vitales produci poſſe a ſolo Deo, non concurrente ad productionem intellectu aut voluntate; & non per hoc dicere ipſi poſſunt, quod hæ potentiæ non ſint neceſſariæ. Ex quo infertur directe, quod quemadmodum ex ſuppoſitione animæ ſunt neceſſariæ potentiæ vitales neceſſitate connaturalitatis ad productionem actuum vitalium; ita ex ſuppoſitione gratiæ ſanctificantis ſunt neceſſariæ potentiæ ſupernaturales immanentes, hoc eſt habitus infuſi ad productionem actuum ſupernaturalium. Ratio autem horum omnium eſt, quia formæ permanenti conſtitutivæ entis operativi, debentur connaturali titulo potentiæ proportionatæ, ſeu permanentes.

Ad VIII. Diſtinguitur major; infunderentur infiniti habitus formaliter inter ſe diſtincti, aut diſtinguibiles, conceditur; realiter diſtincti, negatur. Ad minorem dicitur, quod quanvis in quæſtione ſit diſtinctio virtutum moralium infuſarum, an realiter inter ſe, an vero formaliter diſtinguantur, in nulla tamen ſententia repugnat fundamentum infinitarum formalitatum diſtinguibilium, licet a multis negentur actu, & categorematice diſtinctæ.

Pro ultima tandem Diſſertationis parte, quæ eſt de præcepto fidei, dicimus, fuiſſe ſemper neceſſarium actum fidei, tum ad primam ſalutem, quæ eſt juſtificatio per gratiam, tum ad ultimam ſalutem, quæ eſt beatitudo. Eſt contra Dominicum Sotum, qui putavit in lege naturæ potuiſſe hominem juſtificari per cognitionem legis naturalis, quæ cognitio eſſet naturalis ex parte intellectus, & ſupernaturalis ſolum ex parte voluntatis, ratione affectus, inclinantis ad talem cognitionem, quanvis deinde hic Sotus hanc ſuam ſententiam retractaverit lib. 2. de natura, & gratia cap. 11. Eſt pariter contra Andream a Vega lib. 2. in Trident. cap. 21. volentem quod etiam in præſenti ſtatu poſſit aliquis juſtificari cum ſola notitia legis naturalis, & dolore de peccatis prout ſunt contra legem naturalem.

I. Probatur ex ſcripturis. Sapientiæ 9. *Per ſapientiam placuerunt tibi Domine omnes quicunque ab initio placuerunt.* Nomine ſapientiæ quod veniat fides, docet S. Ambroſius ex multis Sacræ paginæ locis in Commentario epiſt. 1. ad Titum cap. 3. Habacuc 2. Juſtus dicitur vivere ex fide. Joannis 14. *Creditis in Deum.* Et rurſus cap. 17. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum.* Ad Hebræos 11. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt.* Ad Romanos 3. & ad Epheſ. 2. dicuntur homines juſtificari per fidem.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Milevitanum, & Concilium Arauſicanum can. 5. docent, fidem eſſe humanæ ſalutis fundamentum, & totius juſtificationis radicem: Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. habet: *Sacramentum Baptiſmi, quod eſt Sacramentum fidei, ſine qua nulli unquam contigit juſtificatio.* Cap. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis.* Et can. 3. *Si quis dixerit ſine prævenienti Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

III. Probatur ex Patribus. Auguſtinus ſerm. 38. de temp. hæc ſcribit: *Fides eſt humanæ ſalutis initium, ſine hoc nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt pervenire, quia ſine ipſa nec in hoc ſeculo quiſquam juſtificationis conſequitur gratiam, neque in futuro vitam poſſidebit æternam.* Et lib. de correctione, & gratia cap. 7. *Non liberabitur a damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt, qui potuerunt dicere non ſe audiviſſe Evangelium Chriſti.* Eadem habent Irenæus, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, aliique, quos in tractatu de fide affert Valentia.

IV. Probatur rationibus I. In his, quæ ſuperant mentis noſtræ captum, debemus nos a Deo edoceri vel per fidē, vel per viſionem; ſed in præſenti vita cuncta videmus per ſpeculum in enigmate, & non per viſionem: ergo per fidem. II. Natura inferior, ſubordinata ſuperiori, a qua conſequi debet perfectionem ſuam, præter motum ſibi proprium, debet habere motum participatum a natura ſuperiore, cui ſubordinatur: ergo creatura rationalis, quæ ſubordinatur Deo in ordine ad finem ſupernaturalem, præter naturales, & ſibi proprias operationes, debet habere aliquam operationem ſupernaturalem, quæ ſit ipſi a Deo data, cui ſubordinetur tanquam Auctori ſupernaturali, & per quam operationem ordinetur

ad

ad finē supernaturalem; sed hæc est fides: ergo &c. III. Nullus potest aut justificari, aut salvari, sine conversione ad Deum, ut remuneratorem, per contritionem, & amorem; atqui amor non habetur sine fide; nihil enim est amatum, quin sit præcognitum: ergo &c. IV. Quod est necessarium, est præceptum; sed habemus necessitatem fidei ex probatis: ergo habemus pariter præceptum fidei; quod quidem expresse docet Joannes cap. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi*.

Arguunt I. Sufficit ad Salutem observantia præceptorum; sed præcepta observari possunt, seclusa fide: ergo sine fide possumus salutem consequi. II. Ad Romanos 2. legitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*. III. Justinus martyr, & philosophus in apologia cap. 28 testatur, Socratem salvum esse, immo & fuisse martyrem: & in oratione ad Antoninum vocat Christianos Philosophos, & illos omnes, qui ante Christum secundum rationem vixerunt. IV. Chrysostomus homil. 4. de providentia dicit, quod veteres Philosophi agnoverunt Deum, præmia bonis, & malis supplicia post mortem præparantem. V. In lege naturæ multi salvi facti sunt absque eo quod legem Mosaicam amplexi fuerint; quod docet S. Thomas 1. 2. qu. 98. art. 5. ad 3 ergo non salvi facti sunt per fidem. VI. Quemadmodum dicitur ad Hebræos 11. *sine fide impossibile est placere Deo*, ita etiam dicitur Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; sed potest aliquis salvari sine Baptismo cum solo Baptismi voto: ergo pariter salvari potest sine actu Fidei. VII. S Thomas qu. 14. de veritate art. 11. ad 1. dicit, quod educatus in Sylvis, nihil sciens de mysteriis, salvari possit, si sequatur ductum rationis in appetitu boni, & in fuga mali: ergo sine fide. VIII. Quæ superant hominis captum, non debent homini proponi, ut credat: ergo non potest ei præcipi fides. Probatur antecedens; quia non posset homo assentire illis, de quibus non posset judicare.

Respondemus ad I. distinguendo majorem: & unum ex præceptis est fides, conceditur; secus negatur. Distinguitur pariter minor; sine fide servantur præcepta aliqua naturalia, conceditur, præcepta, quæ respiciunt vitam æternam, negatur. Potuit enim Paganus facere aliquod bonum opus ordinis naturalis, sed non ut meritorium vitæ æternæ.

Ad II. Augustinus lib. de Spiritu & litera cap. 27. docet, quod in allatis verbis Apostoli dictio *naturaliter* non excludat cognitionem Dei supernaturalem, quæ habetur per fidem & gratiam; sed tantum legem Mosaicam. Unde subdit P. Boucat, quod „ Melchisedech, Job, & Abraham,
„ possunt in hoc sensu dici bona opera na-
„ turaliter egisse; hoc est, in lege naturæ,
„ quæ quidem sic nominatur, non per ex-
„ clusionem fidei & gratiæ, sed tantum le-
„ gis scriptæ „.

Ad III. Justinus appellavit Socratem martyrem, quia ab Atheniensibus injuste damnatus fuit ad mortem; scilicet quia Discipulis suis prædicabat, unicum Deum, & non plures, adorari oportere. Vocavit autem Philosophos Christianos, quatenus scilicet habuerunt cognitionem Dei, ut Auctoris naturæ, quæ quidem cognitio est quoddam præambulum ad fidem, ut docet S. Thomas: non vero docet illos fuisse in rigore Christianos, seclusa Salvatoris fide; quod explicat Baron us in Apparatu ad Annales. Damus hic verba Justini in apolog. 1: *Quicunque cum ratione ac verbo vixere, Christiani sunt, quamvis Athei habiti sint, quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis similes*. Et deinde: *Quia autem non omnia, quæ rationis sunt & verbi, id quippe Christus est, perviderunt & promulgarunt diversa a seipsis, & contraria persæpe dixerunt*.

Ad IV. distinguit P. Boucat; Chrysostomus vult solum Philosophos multa de præmiis & suppliciis scripsisse, sicut legerant in libris Moysis & Prophetarum, concedit: Fide instructos, negat. Subditque, quod si ad Deum conversi sunt, jam non sola ducti ratione, de supernaturalibus loquebantur.

Ad V. Idem Boucat distinguit: Multi absque lege Mosaica in lege Naturæ, sed non absque fidei auxilio, salvati sunt, concedit: Seclusa fide, negat. Additque, quod vel ipsi Philosophi, absque fide defuncti, non fuerint de Civitate Dei, colligitur ex Apostolo, qui ad Romanos. 9. de iisdem scribit: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt .... ideo .... tradidit eos in reprobum sensum*.

Ad VI. negatur paritas & disparitas est, quia susceptio realis Baptismi suppleri potest per votum, quum in eo virtualiter continetur; sed actus fidei nullo modo præcontinetur in cognitione naturali; & ideo actus

actus fidei est secundum se necessarius ad salutem.

Ad VII. dicitur, Angelicum Doctorem non docuisse, illum hominem in sylvis enutritum posse, seclusa fide, salvari, sed quod a Deo in illa hypothesi illuminaretur de credendis, vel per Angelos interius, vel per Prædicatores exterius. Et hoc pacto Actorum 8. misit Philippum ad Reginæ Candacis Eunuchum; Actorum 10. misit Petrum ad Cornelium; Actorum 16. misit Paulum ad Macedones.

Ad VIII. distinguitur antecedens; si sit sermo de fine naturali, conceditur: Si de fine supernaturali, ad quem misericorditer elevatur homo, negatur. Quod confirmat S. Thomas qu. 2. art. 3. ad 1. verbis hisce: *Dicendum, quod quia natura hominis dependeat a superiori natura, ad ejus perfectionem non sufficit cognitio naturalis, sed requiritur quædam supernaturalis.*

DISSERTATIO CCLXIII.

De Objecto fidei divinæ. Quodnam sit objectum materiale fidei? Quodnam sit primarium & attributionis? Quodnam sit formale, sive quod *sive* quo?

Dicimus I. Objectum materiale fidei esse omnem & solam veritatem, obscure cognoscibilem per Dei revelationem, seu credibilem.

I. Probatur. Nos super definivimus fidem theologicam, quod sit virtus divinitus infusa, per quam creatura rationalis firmiter essentitur iis, quæ a Deo sunt obscure revelata; sed creatura rationalis firmiter assentitur omni & soli veritati obscure cognoscibili per Dei revelationem: ergo omnis & sola veritas obscure cognoscibilis per Dei revelationem est objectum materiale fidei.

II. Probatur. Objectum materiale est illud, circa quod versatur facultas, vel habitus; sed fides respicit omne revelabile a Deo vel omne, quod est a Deo obscure revelatum: ergo hoc ipsum est objectum materiale fidei. Probatur minor. Fides respicit id omne, quod dicit Deus, ut prima veritas, cujus testimonio ipsa nititur & fundatur: ergo fides respicit omne revelabile, vel obscure a Deo revelatum.

III. Probatur contra Paludanum in 3. dist. 24. putantem, in fide nullum aliud objectum esse complexum, nisi solum Deum; in objecto autem complexo interdum includi aliquam creaturam, quando scilicet in propositione aliqua dicitur de Deo aliquid, quod non est Deus, ut quando dicitur Deus est homo. Contra quem probatur, quia ea omnia, de quibus Deus revelat aliquid, habent rationem objecti materialis; nihil enim aliud requiritur ad rationem objecti materialis fidei, nisi ut a Deo reveletur; atqui Deus non solum de seipso, verum quoque de aliis rebus creatis, potest aliquid revelare, & de facto revelavit, ut patens est in tota sacra Scriptura circa illa, quæ ad historias, ad promissiones, ad leges, ad miracula &c. pertinent: ergo objecta etiam creata habent rationem objecti materialis fidei.

Obstant I. Objectum materiale alicujus virtutis est illud, ad quod referuntur omnia, quæ respicit virtus illa, & ipsum ad aliud non refertur; sed omnia, quæ respicit fides, referuntur ad Deum: ergo solus Deus est objectum materiale fidei. II. Objectum materiale facultatis divinæ debet esse ens divinum; sed fides est facultas divina: ergo ejus objectum materiale debet esse ens divinum. III. Objectum materiale fidei debet esse distinctum ab objecto materiali Theologiæ; sed objectum materiale Theologiæ sunt veritates a Deo revelatæ: ergo hæ ipsæ non possunt esse objectum materiale fidei. IV. Existentia Dei non est veritas obscure revelata sed hæc est objectum materiale fidei: ergo non sola veritas obscure revelata est objectum materiale fidei. V. Peccata revelantur in Scripturis, & quia non ordinantur ad Deum, non possunt esse abjecta materialia fidei. VI. Deus, ut est prima veritas, cadit sub revelationem, & tamen non est objectum materiale fidei: ergo non omnis veritas revelata est objectum materiale

riale fidei. VII. Si omnes veritates revelatæ essent objectum materiale fidei, deberent omnes esse æque credibiles; sed non omnes sunt æque credibiles: ergo &c. Probatur minor; quia non omnia objecta charitatis sunt æqualiter amabilia. VIII. Veritas creata vel est objectum materiale fidei, ut est revelata, vel ut est revelabilis; non primum; quia si Deus aliquid de novo revelaret, fides deberet ferri extra suum objectum; neque secundum, quia infinita sunt quæ Deus potest revelare: ergo objectum materiale fidei esset infinitum IX. Idem est objectum fidei, & objectum visionis beatificæ; sed objectum visionis beatificæ est solus Deus: ergo pariter fidei. X. Idem est objectum fidei materiale, ac objectum Theologiæ; sed objectum materiale Theologiæ est solus Deus: ergo etiam fidei.

Respondemus ad I. negando majorem; quod enim dicitur in objectione, potius pertinet ad objectum attributionis, quod est præcipuum & principale in aliqua facultate seu habitu, ad quod reducuntur omnia, quæ in ipso tractantur, & ipsum ad aliud non reducitur; & hoc quidem conceditur in fide esse Deum ut in sequenti conclusione probabimus. Objectum vero materiale est quicquid substat objecto formali, quocunque illud referatur; & hoc nullo modo potest esse Deus.

Ad II. negatur pariter major; etenim multa sunt, quæ fide divina creduntur, & tamen non sunt ens divinum. Proinde objectum materiale fidei divinæ non solum est divinum, sed quicquid est a Deo obscure revelatum. Fides autem dicitur divina, primo quia est a Deo infusa; secundo quia revelationi divinæ innititur; tertio quia Deus est objectum principale ipsius.

Ad III. Primo negatur major, quia non est inconvenientia, quod plures scientiæ habeant idem objectum materiale, sicut Physica, & Medicina, habent idem corpus naturale pro objecto, sed sub diversa ratione formali. Secundo distinguitur minor: Veritates, quæ sunt obscure revelatæ, sunt objectum materiale Theologiæ, conceditur, prout sunt obscure revelatæ, negatur minor, & consequentia. Explicatur distinctio; quia fides assentitur veritatibus formaliter revelatis simpliciter sine discursu; Theologia vero assentitur iisdem, ut sunt virtualiter revelatæ, & ex vi discursus. Unde fit, quod Conclusio Theologica formaliter qua talis non fit fidei, nec e contra.

Ad IV. distinguitur major: Existentia Dei ut Auctoris gratiæ, est objectum materiale fidei, conceditur; ut Auctoris naturæ, negatur. Unde negans existentiam Dei, ut Auctoris naturæ, potius est insanus, quam hæreticus; ut dicitur Psalm. 18. *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Minor negatur, quia existentia Dei potius est aliquid præsuppositum essentialiter ad fidem; non possumus enim credere revelationi, nisi constet, revelantem existere.

Ad V. distinguitur propositio illa: Peccata non ordinantur ad Deum; hoc est per se non sunt ordinabilia ad Deum, conceditur: ut derestanda, vel ab iis, qui commiserunt illa, vel ab aliis, negatur; ordinantur enim vel ad misericordiam Dei, vel ad justitiam, qua Deus vel condonat illa, vel punit.

Ad VI. Deus est prima veritas & in essendo, & in dicendo; prout est prima veritas in dicendo, non est objectum materiale fidei, sed formale; prout est veritas in essendo, scilicet prout est ens verum transcendentaliter, hoc est habens veritatem, seu esse ens reale infinite perfectum, per quod distinguitur a falsis Diis, qui nihil sunt a parte rei, est objectum materiale fidei; quia fides docet, Deum esse justum, esse misericordem, esse remuneratorem, quæ omnia cadunt sub revelationem.

Ad VII. dicitur, quod omnes veritates fidei sunt æqualiter credibiles, quia in omnibus æque viget & motivum, & ratio formalis credendi, quæ est revelatio, & Dei veritas in dicendo. Paritas de charitate negatur, quia objecta charitatis amantur, & propter bonitatem quam habent in se ipsis, & propter bonitatem, quam habent in Deo; hæ autem bonitates multum differunt inter se, quum una sit creata, altera increata, una finita, altera infinita; objecta autem materialia fidei, omnia sunt æqualiter credibilia, quia idem habent motivum ut credantur, & sub eadem quoque ratione formali creduntur.

Ad VIII. Objectum adæquatum fidei est quicquid revelabile est a Deo; & dicitur objectum adæquatum fidei illud omne, in quod fides de se apta est ferri, si de facto reveletur; non vero illud solum, in quod fides fertur de facto. Et licet revelabilia sint infinita syncategorematice, ad tale infinitum tamen potest fides se extendere, & non per hoc desinet esse habitus finitus, quia de facto semper attingit objecta finita.

Ad IX. negatur major; & quamvis dicatur quod visio succedat fidei, id tamen importat solum, quod ea, quæ hic credimus de Deo, videbimus in altera vita per actum beatificæ visionis; & hoc pacto quidem, ut illud, quod est objectum primarium fidei, sit etiam objectum primarium & unicum, specificans visionem, & sit id, in quo videntur cætera per ipsum actum, quo videtur ipse Deus.

Ad X. negatur minor; quia quamvis objectum præcipuum Theologiæ sit Deus, in ordine ad quem agit ipsa de aliis objectis; non est tamen Deus objectum adæquatum ipsius, sed potius quicquid ex principiis fidei deduci potest, & probari.

Pro secunda Dissertationis parte, quæ continet objectum attributionis fidei, quod est objectum principale, vel præcipuum alicujus facultatis, vel habitus; ad quod reducuntur omnia, quæ in ipso tractantur; primo, erravit Chemnitius, & cum eo errant pariter Calviniani, qui putant, fidem esse quandam fiduciam, per quam voluntas hominis certo confidit, remissa sibi esse peccata; unde consequenter ad hæc dicunt, objectum materiale principale habitus fidei esse promissionem Dei de nostra justificatione, & remissione peccatorum.

Secundo, Durandus qu. 5. Prologi asseruit, objectum principale Theologiæ, hoc est fidei supernaturalis, ut ipse explicat, esse actum meritorium, ad quem, ait, ordinari omnia, quæ habentur in sacra Scriptura.

Tertio, Thomas Argentinas in Prologo qu. 1. ar. 1., & cum eo pauci alii, existimant, quod objectum principale & primarium fidei sit Deus, non quidem absolute sub ratione Deitatis, sed sub alia ratione magis determinata, nempe sub ratione Salvatoris, & Glorificatoris.

Quarto, S. Thomas, Scotus & melioris notæ Theologi, docent, objectum principale & primarium fidei Christianæ esse Deum sub ratione Deitatis.

Dicimus II. Deum sub ratione Deitatis esse objectum attributionis divinæ fidei.

I. Probatur ex Scripturis. Marci 11. Fides nostra vocatur fides Dei: *Habete fidem Dei*: ergo signum est, quod ejus præcipuum & principale objectum est Deus. 1. ad Thessalonic. cap. 1. *Fides nostra dicitur ad Deum: sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est.* Ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*; ubi docet Augustinus lib. 4. de Civit. cap. 29. quod primus fidei actus maxime tendat ad Deum: *Fidei primum & maximum officium est, ut in verum Deum credatur*. Per quas omnes auctoritates clare constat, quod fides tendat in Deum tanquam in primarium, & præcipuum objectum, quod est attributionis, ad quod ordinantur, ac referuntur omnia, quæ percipit, & in ratione entis, & in ratione objecti credibilis.

II. Probatur; tum quia Deus in præcipuis articulis & sanctionibus fidei habet rationem subjecti, quia consideratur ut Unus, ut Trinus, ut Creator, ut homo, ut Salvator, ut Redemptor &c., & hoc est idem ac esse præcipuum objectum alicujus scientiæ vel habitus: tum etiam, quia omnia quæ per divinam fidem cognoscimus, eo ordinantur, ut percipiamus, quis, qualis, & quantus sit Deus in se, & qua ratione debeamus eum colere, & in eum tendere, ut ejus æterna possessione fruamur; atqui hoc sufficit, ut Deus dicatur fidei nostræ objectum primarium, quod est attributionis: ergo &c.

III. Probatur, quod Deus sit objectum attributionis fidei sub ratione Deitatis. Deus debet esse objectum primarium fidei secundum eam rationem, quam primario fides intendit: atqui Deus prius intenditur a fide sub ratione Deitatis, quam sub alia qualibet ratione: ergo Deus dici debet objectum primarium fidei sub ratione deitatis. Major est certa, & minor probatur; priores enim sunt perfectiones, quæ dicuntur in Deo intrinsece, & quæ respiciunt ipsum, posteriores vero nostro intelligendi modo, quæ dicuntur in Deo extrinsece, & respiciunt alios extra Deum; sed ex primi generis perfectionibus sunt, quod sit Deus, quod sit Unus, quod sit Trinus &c., ex secundi vero generis perfectionibus sunt, quod sit Creator, quod sit Salvator, quod sit Redemptor, quod sit Glorificator &c.: ergo Deus prius intenditur sub Deitatis ratione, quam sub quacunque alia ratione.

Opponunt I. ex Scripturis, ubi fides nostra dicitur fides Christi; Ad Roman. 3. *Justificans eum ex fide Jesu Christi*. Ad Galatas 2. *Ut justificemur ex fide Christi*: ergo si nos probavimus, objectum primarium fidei esse Deum, quia vocatur Fides Dei, probatur etiam, quod sit Christus, quia in iisdem scripturis dicitur fides Christi.

II. Divinitas habet rationem objecti primarii fidei, quia in Scripturis est ratio, sub qua fides percipit Deum; sed etiam in

in Scripturis hæc ratio verificatur de humanitate Christi: ergo &c. Probatur minor. Joannis 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: Et quod hæc intelligantur non solum de visione beatifica, sed etiam de cognitione fidei, Joannis 20. subditur: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus*: Unde Christus ipse dicebat Joannis 14. *Creditis in Deum, & in me credite*. III. Tridentinum sess. 6. cap. 6 docet: *Credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud inprimis, a Deo justificari impium per gratiam, & redemptionem, quæ est in Christo Jesu*. IV. Quæ per fidem credimus, ad salutem nostram ordinantur; sed ad salutem nostram potius ordinatur Deus ut Redemptor & Glorificator, & secundum alia prædicata libera, & veluti extrinseca Deo, quam Deus ut Deus, & secundum prædicata necessaria sibi intrinseca: ergo objectum primarium fidei potius est Deus secundum hæc prædicata, quam secundum prædicatum Deitatis. Major est August. in lib. 14. de Civit. cap. 1., ubi docet fidem agere de iis rebus, quæ ducunt ab beatitudinem. V. Si Deus esset objectum primarium fidei sub ratione Deitatis, sequeretur, quod si Deus nihil revelasset de seipso, etiam si multa revelasset, non constaret ratio fidei; sed hoc dici non potest: ergo &c. VI. De objecto omnis habitus intellectivus supponit, quod sit, & quid sit; sed fides est habitus intellectivus: ergo supponit Dei existentiam, & essentiam: ergo non tendit in Deum sub ratione Deitatis. VII. Multa creduntur per fidem, quæ non ducunt nos ad Dei notitiam præstantiorem; scilicet, quod canis Tob æ, *quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat*: ergo Deus non est objectum primarium fidei sub ratione Deitatis. VIII. Theologia non habet pro objecto Deum sub ratione Deitatis: ergo neque fides. Consequentia sequitur, quia objectum attributionis idem debet esse & fidei, & Theologiæ, quanvis alia ipsarum objecta differant.

Respondemus ad I quod per allata & per similia scripturæ loca importatur tantum, quod Christus & ejus mysteria sunt objectum præstantissimum inter cætera objecta, quæ sunt post objectum primarium, quod est Deus immediate. Falluntur proinde Calviniani, redarguentes Scholasticos Doctores, quod afferant, Deum esse primarium fidei objectum, non vero Christum, quem dicunt a nobis excludi ab objecto divinæ fidei. Hoc autem est falsum, quia ponimus Christum veluti primarium inter secundaria objecta fidei, ita quidem ut fides prius ferat humanum intellectum in Deum, ut Deus est, & deinde in Deum, ut homo est.

Ad II. Etiam ex aliis Scripturæ testimoniis habetur, Christi humanitatem intimius spectare ad objectum fidei præcipuum & primarium, quam cætera alia creata; & hoc primo propter intimiorem humanitatis Christi cum divinitate unionem; secundo, quia ipsa humanitas est primum & præcipuum nostræ salutis medium & potissimum beneficium Dei in homines; unde ipsa pertinet ad fidem secundario respectu Dei, & primario respectu aliorum objectorum, quæ sunt creata.

Ad III. Concilium in cit. loco explicat rationem actus fidei, quo homo disponitur ad justificationem, qui actus præcipue respicit saltem implicite ipsum Christum, & ejus redemptionem; proinde quanvis Christus & ejus redemptio non sint absolute primarium objectum fidei, sunt tamen id, quod fides præcipue respicit in eo actu, quo homo ad justificationem disponitur.

Ad IV. Objectum primarium est illud, ad quod ordinantur omnia, quæ respicit fides, proinde ipsa etiam hominum salus. Hujusmod est Deus secundum prædicata sibi intrinseca & necessaria, ad quæ manifestanda ordinantur omnia alia, etiam illa, quibus præcipue tribuitur nostra salus.

Ad V. Conceditur sequela. Et ratio est, quia non potest constare ratio fidei divinæ, nisi cognoscatur quicquid pertinet ad revelationem divinam, cui innititur fides. Hujusmodi sunt & quod Deus sit & quod sit verax, quia sine his non constat ratio testimonii divini; & per consequens neque constat ratio fidei. Qua propter si Deus nihil revelasset de rebus creatis, revelasset tamen aliquid de seipso, constaret ratio fidei: contra vero, si nihil revelasset de seipso, & revelasset aliquid de rebus creatis, ratio fidei non constaret. Et in hoc differunt fides humana & fides divina; nam fides humana potest constare, etiamsi nihil credamus de ipso homine loquente; nam quod ipse sit & loquatur, non credimus, sed videmus; quod autem sit verax, non habemus ex ipsius testimonio,

nio, sed aliunde: at in fide divina, quod Deus sit, & quod sit verax, potest nobis ex ejus revelatione constare.

Ad VI. distinguitur major: De objecto omnis habitus intellectivus supponit quod sit, & quid sit, quando objectum concurrit ad illius productionem una cum intellectu, conceditur: quando non concurrit, negatur; sic pariter distinguitur minor, & negatur consequentia. Fides divina est habitus divinitus infusus, qui a solo Deo producitur, ut a caussa effectiva, non vero ab intellectu, & a Deo ut objecto; ac proinde non debet supponere existentiam Dei & essentiam, sed circa illas legitime & rationabiliter se occupat.

Ad VII. Frassen dicit, historiam illam canis Tobiæ, & alia huic similia, ordinari ad Deum propter hæc: „ Tum quia conducunt ad manifestandam veracitatem Dei, quæ nec in re levissima deficere potest; cum enim fides Deum in omnibus veracem profiteatur, & ejus veritati in dicendo maxime innitatur; hinc quidquid illa percipit absolute, in Deum ordinat: Hic enim est virtualis fidei discursus: Quidquid Deus dicit, est verum; sed Deus mediante saltem Scriptore canonico libri Tobiæ dicit, ipsum Tobiam habuisse canem: igitur id verum est. Id etiam conducit ad commendandam eximiam Dei bonitatem erga sibi fideles Clientes, qualis erat Tobias, cujus historiæ gratissimæ aliqua pars fuit adventus ille canis præcedentis, & nuntiantis accessum Tobiæ junioris, ac caudam gestientis. Conducit denique ad significandam sapientissimam illam divinæ Providentiæ ordinationem, qua post varias ærumnas, diversasque probationes, ac tribulationes, prosperitatem inducit, & lætitiam, non solum in maximis sed etiam in minimis ubertim effundit. Cætera, quæ possent adversus hanc conclusionem objici, jam expensa sunt & dissoluta in supra laudata quæstione proœmiali nostræ Theologiæ „.

Ad VIII. Primo negatur major, quia etsi Theologia consideret Deum sub aliis rationibus, sub quibus de ipso tractat, principalius tamen illum considerat sub ratione Deitatis, quatenus scilicet illum præcipue respicit ac principalius secundum sua prædicata intrinseca & necessaria, quibus est Deus. Secundo gratis dicitur, quod idem debeat esse objectum attributionis Theologiæ & fidei; quum enim diversus sit utriusque procedendi modus, non est de necessitate utriusque, quod principalius consideretur in una illud, quod principalius tractatur in altera.

Pro tertia Dissertationis parte, enumeramus hic Hæreticorum errores, & Scholasticorum opiniones, circa objectum formale fidei, sive quod, sive quo. Et quidem primo, ut refert Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 1., Manichæi dicebant, nihil esse credendum, nisi quod ratione humana percipitur; adeoque rationem formalem fidei volebant, quod esset ipsa humana ratio. Secundo, Valentia voluit hic disp. 1. qu. 1. pun. 1., quod ratio formalis fidei, saltem inadæquata, sit asseveratio, seu definitio Scriptoris Canonici, aut alterius Definitoris, per quam nobis indicetur conceptus Dei infallibilis. Tertio, Aureolus apud Capreolum in 3. dist. 14. art. 2. in fine asseruit, quod ratio formalis motiva fidei sit Deus sub ratione deitatis; ita ut ultima resolutio assensus fidei sit in ipsum Deum sub ratione deitatis. Quarto, alii Scholastici putarunt, objectum formale fidei esse Deum, prout est prima veritas in cognoscendo. Quinto, multi tum ex antiquis, tum ex recentioribus Theologis, dixerunt, objectum formale fidei esse Deum, prout est prima veritas in dicendo.

Dicimus III., rationem humanam non esse fundamentum assensus fidei, & rationem motivam credendi supernaturaliter; sed Deum esse objectum formale *quod* fidei supernaturalis; rationem vero formalem motivam assensus fidei, formaliter loquendo, non esse divinitatem ipsam ut sic, sed Deum sub ratione primæ veritatis in dicendo, & testificando. Tres habet partes conclusio, quarum prima est de fide.

Prima conclusionis pars probatur. I. Matthæi 16. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est*. Joannis 1. *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* 1. ad Corinth. 2. *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. 2. ad Corinth. 4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu*. Ad Galatas 4. *Notum enim vobis facio Evangelium, quod Evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem, neque ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*. II. Patres communiter docent, fidei fundamentum non esse in humana ratione, aut in humana sapientia, sed in authoritate Dei revelantis.

tis. III. Quia multa per fidem credimus, ad quæ pervenire per humanam rationem non possumus, ut sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, &c.

Secunda conclusionis pars I. probatur pariter ex Scripturis. Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*. Joannis 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*: Et infra: *Qui credit Filium Dei, habet testimonium Dei in se*. 1. ad Thessalon. 2. *Accepistis illud, non ut verbum hominum, sed ut vere est verbum Dei*. II. Irenæus, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, aliique Patres, hoc ipsum expresse docent, & eorum verba videri possunt apud Authores, præsertim apud Valentiam. III. Quia fundamentum fidei in genere est auctoritas dicentis: ergo fundamentum fidei divinæ est auctoritas Dei dicentis. IV. Ideo fides divina est omnino infallibilis, ita ut implicet esse falsum id, quod credimus per fidem divinam, quia implicat Deum posse fallere, aut falli.

Tertia conclusionis pars probatur I. Quia licet Deus sit quasi fundamentum in essendo illius primæ veritatis, non est tamen id, in quod tanquam in caussam formalem assentiendi ultimo resolvitur fides: ergo hujusmodi caussa non potest esse Deus, nisi sub ea ratione, sub qua objectum fidei habet certitudinem, & infallibilitatem; atqui infallibilitatem hanc & certitudinem non habet assensus fidei a deitate ut sic, neque a Deo, ut est prima veritas in essendo, sed a Deo sub ratione primæ veritatis in dicendo, in testificando, &c.

Arguunt I. Si id, in quod ultimo resolvitur assensus fidei, non esset ratio humana, sequeretur, quod in acceptandis revelationibus exponeremur evidenti periculo errandi, & posset quis credere, tanquam a Deo revelata ea, quæ sunt contra rationem; sed hoc dici non potest: ergo &c. Probatur major, quia nullus alius est modus probandi, & examinandi, an revelatio sit a Deo, nisi per rationem humanam, & sine tali ratione nihil est adeo absurdum, quod credi non possit tanquam a Deo revelatum. II. Si quis a nobis quærat, quare credimus, Deum esse Trinum, & Unum? Nos respondemus, quia Deus dixit: Si autem ulterius quærat, quare credimus Deo dicenti? Respondemus, quia ipse est prima veritas in dicendo: Si autem ulterius quærat, quare Deus sit prima veritas in dicendo? Respondere debemus, quia est Deus: ergo ultima ratio, in quam resolvitur assensus fidei, est Deus sub ratione Deitatis: ergo pariter hæc ratio est ratio formalis motiva assensus fidei. III. Quanvis Deus creet ut Omnipotens, quia tamen omnipotentiam habet ut Deus, bene dicitur, quod Deus creet sub ratione Deitatis: ergo pariter, licet Deus sit prima veritas in dicendo, & proinde sit infallibilis, quia tamen non est prima veritas in dicendo, nisi quatenus est Deus, inde est, quod etiam sub ratione Deitatis debeat esse ratio formalis, & motiva assensus fidei. IV. Ratio formalis debet esse quid intrinsecum in objecto; sed prima veritas revelans non est quid intrinsecum in objecto, quod est Deus: ergo prima veritas non est ratio formalis objecti fidei. V. Si Deus, ut prima veritas revelans, esset ratio formalis fidei, sequeretur, quod integrum objectum fidei, constans ex materiali, & formali, esset credibile, ut credibile; sed hoc est absurdum; & probatur; quia committeretur circulus, ideo enim fides terminatur ad hoc objectum, quia est credibile ratione revelationis, & ideo objectum est credibile, quia revelatum est. VI. Nequit Deus esse prima veritas in dicendo, nisi sit prima veritas in cognoscendo: ergo ratio formalis objecti fidei in Deo non solum est prima veritas in dicendo, sed etiam prima veritas in cognoscendo. VII. Deus ut prima veritas in dicendo, est objectum propheticæ: ergo nequit sub eadem ratione esse objectum fidei; diversorum enim habituum debet esse diversum objectum *quo*. VIII. Si veritas Dei in dicendo esset objectum formale motivum fidei, vel esset, quatenus est revelatio activa ex parte Dei, vel quatenus est revelatio passiva ex parte hominis; atqui neutrum dici potest: ergo &c. Probatur minor. Non primum, quia ratio formalis sub qua, debet esse intrinseca objecto formali quod; revelatio autem activa, quia est actio Dei ad extra, non potest esse intrinseca Deo: neque secundum, quia revelatio passiva est mera denominatio extrinseca, & respectus rationis; unde sequeretur, quod motivum fidei divinæ esset ens rationis, ac proinde in ente rationis fides nostra fundaretur.

Respondemus ad I. negando majorem, ad cujus probationem dicitur, quod licet fides credat propter Dei testimonium, vel propter Dei revelationem; attamen oportet prudenter examinare, an revelatio sit sufficienter proposita. Et posita sufficiente propositione revelationis, quæ facta sit ab

Eccle-

Ecclesia, nullum est periculum errandi.

Ad II. Ultima ratio, in quam resolvitur assensus fidei, est Deus sub ratione primæ veritatis in dicendo. Non refert autem ad assensum fidei, undenam oriatur, quod Deus sit verax in dicendo; licet enim secundum nostrum cognoscendi modum Deitas sit ratio quare Deus sit prima veritas, non est tamen Deitas ut sic ratio assensus fidei. Et hoc patet, quia hujusmodi ratio est Deus secundum illam rationem, secundum quam assensus fidei est certus, & infallibilis; sub ea scilicet ratione, sub qua Deus testificans, nec falli potest, nec fallere. Quod autem habenda sit fides ei, qui nec potest fallere, nec falli, est per se notum. Unde ad argumentum distinguitur consequens: Deus sub ratione Deitatis est ratio, in quam ultimo resolvitur assensus fidei, tanquam in caussam essendi ipsius primæ veritatis ex nostro cognoscendi modo, conceditur; tanquam in rationem cognoscendi, seu assentiendi per fidem, negatur.

Ad III. Recte dicitur, quod Deus creet ut Deus, ut significetur, quod Deus creat ratione eorum quæ sunt in Deo communia omnibus personis divinis, & non ratione eorum, quæ sunt peculiaria illis: non vero sic recte dicitur, ut significetur, quod ratio credendi sit ipsa divinitas, distincta ab attributis, quatenus divinitas est fundamentum, & caussa omnipotentiæ secundum nostrum cognoscendi modum. Quare negatur consequentia in eo sensu, in quo eam inferunt Adversarii, & negatur etiam paritas, & ratio negationis ex dictis patet.

Ad IV. Negatur universaliter major, quia formæ extrinsecæ debito modo applicatæ possunt esse ratio formalis motiva respectu actuum humanorum: & sic amor, quo quis amat suum amicum, potest esse motivum formale, ut amicus amet amantem se: & sic pariter in casu nostro, prima veritas quasi applicata per testificationem, & revelationem, potest esse ratio formalis motiva in ordine ad assentiendum rebus revelatis.

Ad V. Ratio formalis motiva in ordine ad assensum fidei non est denominatio ipsa credibilis, quæ convenit objecto materiali ratione revelationis, sed est ipsa prima veritas revelans, quæ nihil habet ab objecto materiali fidei: unde falsum est, quod circulus committatur.

Ad VI. Hoc ipso quod Deus est prima veritas in dicendo, est etiam prima veritas in cognoscendo, & hoc patet, quia si falleretur ipse in cognoscendo, falleret nos in dicendo; & quum nos in dicendo non fallat, quia est prima veritas in dicendo, neque ipse in cognoscendo fallitur, adeoque pariter est prima veritas in cognoscendo. Dicitur autem tantum, quod sit prima veritas in dicendo, quia hæc est propior in illis, qui credunt; non enim assentiuntur, dum credunt, Deo, qui cognoscit, sed Deo, qui dicit, atque revelat.

Ad VII. Diverso modo tendit in primam veritatem infallibilem in dicendo fides ab eo, quo tendit prophetia; quia modus, quo tendit fides, est inevidens, & obscurus, & ita quidem, ut si objecti manifestatio fieret evidenter, assensus, qui daretur objecto proposito, non esset actus fidei, sed potius scientiæ: modus vero, quo tendit prophetia, est indifferens ad obscuram vel evidentem propositionem objecti. Unde subdit Frassen, quod etsi fides locum non habuerit in Christo, in eo tamen fuit prophetiæ donum.

Ad VIII. Ratio formalis *sub qua* fidei est ipsa revelatio activa, seu ex parte Dei, qui veritates, quæ ad fidem spectant, nobis aperit, atque revelat. Et re vera tota ratio cur rebus revelatis assentimur, est quia Deus, qui in dicendo est infallibilis, & verax, nobis veritates illas credendas proposuit ac revelavit. Et hæc est differentia inter scientiam, & fidem, quia in scientiis ratio formalis *sub qua* debet esse intrinseca conclusioni, quatenus assensus scientificus fit propter ipsius conclusionis evidentiam, quæ infertur ex præmissis evidenter notis. In fide autem non est ita, quia hæc non movet ad assensum nisi propter testimonium extrinsecum dicentis.

DISSERTATIO CCLXIV.

De Fidei divinæ analysi. An fiat in humanam rationem? An in solam Scripturam Sacram? An in internum Spiritus Sancti motum? An in ipsummet divinæ Fidei habitum? An in Ecclesiæ auctoritatem, ejusque testimonium? An in divinam veracitatem, seu in veritatem Dei in dicendo?

PRIMO Analysis, vel, quod idem est, resolutio fidei divinæ, quod fiat in humanam rationem, errando dixerunt Manichæi, ut vidimus in præterita Dissertatione, & testatur Augustinus lib. de utilit. credendi cap. 1. Error enim erat palmaris Manichæorum, quo asserebant, superstitiosum esse fidem ante rationem imperare; ex quo postmodum deducebant, quod nihil credendum sit, nisi quod ratio suadet.

Secundo, eundem errorem suscitavit Petrus Abailardus, teste Bernardo in epist. 190. ubi scribit: *In primo limine Theologiæ, vel potius Stultilogiæ suæ, fidem definit æstimationem; quasi cuique in ea sentire & loqui, quæ libeat, liceat; aut pendeant sub incerto vagi ac in variis opinionibus nostræ fidei sacramenta, & non magis certa veritate subsistant.*

Tertio, est error Lutheranorum, ac Calvinianorum, dicentium, ultimam fidei nostræ resolutionem, tum pro credendorum propositione, tum pro assensu rebus propositis, faciendam esse in solam Scripturam, aut in internum Spiritus Sancti motum, qui cuilibet fideli peculiariter assistit, ut ex sacris paginis cognoscat, quid credere debeat, quique etiam vocatur Spiritus privatus cujuslibet credentis.

Quarto, quidem Theologi de Schola docent, fidei resolutionem fieri in ipsummet habitum fidei divinæ, per quem objecta credenda credentibus apparent; ut testatur Frassen tract. 3. disp. 1. art. 1. qu. 2.

Quinto, alii de Schola Theologi ultimam fidei resolutionem faciendam volunt in Ecclesiæ auctoritatem. Hi autem sunt divisi, nam Medina lib. 6. de recta fide cap. 11. vult fidem nostram ultimo niti divina Ecclesiæ auctoritate; Valentia vero q. 1. p. 1. distinguit inter propositionem & definitionem rerum, quæ credi debent, & dicit, fidem resolvi in auctoritatem divinam, quæ tribuitur Ecclesiæ, propositionem vero in illius auctoritatem humanam & civilem; insuper Suarez disp. 3. sect. 8. distinguit inter resolutionem fidei quoad se, & quoad nos, & asserit, fidem spectatam secundum ipsius naturam, resolvi in divinam Ecclesiæ auctoritatem; consideratam vero quoad nos resolvi in Ecclesiæ auctoritatem civilem & humanam; Denique Lugo vult Fidei assensum ex parte resolvi in auctoritatem divinam, ex parte vero in Ecclesiæ testimonium.

Sexto, alii sentiunt, quod ultima fidei resolutio, tam pro credendorum propositione & revelatione, quam pro assensu, qui fide privata præbendus est, faciendam esse in specialem revelationem; si vero objecta revelata credi debent fide catholica & universali, tunc fides resolvi debet in Ecclesiæ testimonium tam divinum, quam humanum.

Septimo, alii Theologi communius & probabilius docent, quod ultima fidei resolutio fieri debeat pro credendorum propositione & revelatione in ipsam Ecclesiæ auctoritatem, quæ determinat & proponit hoc, vel illud, esse a Deo revelatum: pro assensu vero, quem quilibet fidelis rebus ipsis revelatis præbet, fidei resolutio fieri debeat in divinam veritatem in dicendo, seu in divinam veracitatem.

Dicimus I. Fidei analysim fieri non posse in humanam rationem.

I. Pro-

I. Probatur Conclusio ex Scripturis. 1. ad Corinth. 2. *Prædicatio nostra non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Si autem fides divina in humanam rationem resolveretur, fides nostra esset in sapientia hominum, & in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, non vero in virtute Dei. Proinde Apostolus 2. ad Corinth. 10. docet, quod qui credunt fide divina, *debent captivare intellectum in obsequium Christi*; Ad quid autem captivare intellectum, ubi naturalis ratio nos ad assentiendum impellit? Sufficienter enim intellectus assentitur, absque eo quod captivetur in obsequium dicentis, ubi a naturali ratione movetur. Matthæi 10. *Confiteor tibi; Pater, quia abscondisti hæc a Sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Et cap. 11. Christus dicebat Petro, qui eum confessus fuerat Filium Dei: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est*; nomine autem carnis & sanguinis venit naturalis ratio, ut cuique perspectum est.

II. Probatur ex Patribus. Author libri de divinis nominibus cap. 7. *Fides est stabilis credentium sedes, & simplex veritatis notio impersuasibili veritate certa*; scilicet, ut communiter explicantur hæc verba, est notio eorum, quæ ratione naturali non possunt percipi nec probari. Nazianzenus orat. 34. *Fidem potius, quam rationem sequamur.* Hilarius lib. 8. de Trinit. circa medium: *Maximum fidei meritum est sperare, quod nescias.* Augustinus tract. 4 in Joannem explicans illud Isaiæ 7. *Nisi credideritis, non intelligetis*; scribit: *Credimus, ut cognoscamus; non cognoscimus, ut credamus.* Et serm. 20. de verbis Apostoli: *Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia.* Gregorius Magnus homil. 25. in Evang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

III. Probatur rationibus theologicis I. Fides si resolveretur in naturale ratiocinium, hoc vel esset evidens, vel probabile; sed neutrum dici potest: ergo, &c. Probatur minor: Non potest esse evidens, alioqui assensus fidei non esset liber, sed necessarius; neque potest esse probabile, alioquin assensus fidei non esset certus, sed dubius, hæsitans, ac fluctuans: Primum esset contra Augustinum, qui homil. 26. in Joannem docet: *Nam cætera potest homo nolens; credere autem nonnisi volens*; evidentia vero objecti necessario trahit intellectum ad assensum: Secundum vero esset contra Bernardum, qui Abailardum redarguebat, quod assensum fidei concedere cogebatur non firmum ac stabilem, sed dubium, ac fluctuantem; cujus verba non pigeat hic ad longum recitare: *Si fluctuat fides, inanis est & spes nostra. Stulti ergo Martyres nostri, sustinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes sub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exilium. Sed absit ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia æstimatione pendulum, & non magis totum, quod in ea est, certa de solida veritate subnixum, oraculis & miraculis divinitus persuasum, stabilitum, & consecratum, partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria Resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Si quo nimis, ipse postremo Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quod Filii Dei sumus. Quomodo ergo fidem quis audet dicere æstimationem, nisi quis Spiritum istum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet? Scio, cui credidi, & certus sum, clamat Apostolus, & tu mihi subsibilas: Fides est æstimatio? Tu mihi ambiguum garris, quo nihil est certius? Sed Augustinus aliter. Fides, ait, non conjectando, vel opinando, habetur in corde, in quo est, ab eo, cujus est, sed certa scientia, acclamante conscientia. Absit ergo, absit, ut hos fines fides habeat Christiana. Academicorum sint istæ æstimationes, quorum est dubitare de omnibus, scire nihil. Ego vero securus in Magistri Gentium sententiam pergo, & scio quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de fide definitio, etsi iste etiam ipsam latenter insimulet: Fides est, ait, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Substantia, inquit, rerum sperandarum, non inanium phantasia conjecturarum. Audis substantiam, non licet tibi in fide dubitare, vel disputare quo libito, non hac, illaque vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certum fixumque præfigitur. Certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non est enim fides æstimatio, sed certitudo.* II. Ubi naturalis ratio habet locum, ibi res apparent intellectui cognoscenti eas; sed fides est argumentum non apparentium: ergo, ut fides habeat locum, non est necesse, ut antecedenter illum habeat naturalis ratio. III. Actus fidei est meritorius; sed non esset meritorius, si eum præcederet humana ratio: ergo humana ratio illum non præcedit. Minor patet, quia si præcederet humana ratio, intellectus

asſen-

assentiretur ei suadenti assensum, non vero obediret Deo, qui revelaret, & assensum praeciperet. IV. Assensus fidei est quolibet alio assensu firmior; sed non esset talis, si eum naturales rationes vel praecederent, vel comitarentur: ergo illum naturales rationes nec praecedunt, nec comitantur. Probatur minor. Naturales rationes non sunt omnes aeque certae ac firmae, sed una firmior est altera, sicuti fundamentum unius certius esse potest alterius fundamento; assensus autem fidei est firmissimus, & non datur magis, aut minus in uno, aut altero, quia semper eadem certitudine gaudet, Deus dicens, ac revelans, qui illius assensus est objectum. Proinde, ut dicamus omnes fidei assensus eandem certitudinem habere, oportet etiam dicere, omnium fundamentum ac singulorum haud esse humanam rationem, quae modo in uno est firma, in altero vero magis, vel minus firma.

Dicimus II. Fidei analysim fieri non posse in solam Sacram Scripturam, nec in internum Spiritus Sancti motum.

Prima Conclusionis pars probatur I. Sacra Scriptura quum mutari aliquando possit, vel per additionem, vel per detractionem, vel per transmutationem, ut solent facere Haeretici; insuper per ignorantiam, ut faciunt Amanuenses, & Typographi, saepe subjacet alterationi, & corruptioni; sed regula fidei debet esse incorruptibilis, ut sit certa, & infallibilis: ergo nequit de Sacra Scriptura verificari. Major patet in Sacrorum Bibliorum emendationibus, & editionibus, & praecipue in Vulgata, quae a Sisto V, & a Clemente VIII. emendata fuit; sicut & in Codicibus hebraeis, & graecis. II. Sacra Scriptura non est ex se sola sufficiens ad dirimendas controversias, quae circa fidem oriuntur: ergo non est ex se sola sufficiens ad discernendum revelata a non revelatis. Probatur antecedens. Sacra Scriptura non determinat, neque definit, quinam sint libri Canonici, & quinam apocryphi; proinde Lutherani, & Calviniani, respuunt uti Spurios libros Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, Machabeurum, quos Catholici, ut Canonicos venerantur; Litem autem sola Sacra Scriptura dirimere non potest, ut per se patet. III. In Sacra Scriptura inveniuntur aliquando verba, quae inter se pugnant, & tamen in illa non est verbum, quod determinet, quibus verbis attendere ac credere debeamus: ergo Sacra Scriptura non est regula, in quam sufficienter fiat ultima fidei resolutio. Probatur antecedens. Joannis 10. Christus de se ipso dicit: *Pater major me est*: & cap. 14. asserit: *Ego & Pater unum sumus*: quae verba inter se pugnant. IV. Sacra Scriptura est difficilis, & obscura: ergo non potest esse regula, quae discernat credenda a non credendis. Major probatur ex epist. 2. Petri cap. ultimo, ubi loquitur de epistolis Pauli, & ait: *Sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti & instabiles depravant, sicut & caeteras Scripturas.*

Secunda Conclusionis pars probatur I. Privatus Spiritus, & internus, est omnino incertus, an sit verus, & est omnino dubius, an sit ex Spiritu Sancto: ergo non potest esse regula sufficiens, qua discernamus credenda a non credendis. Probatur antecedens. 3. Regum cap. ultimo dicitur: *Deus dedit spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum Achab*. Et nihilominus omnes isti putabant verum Dei spiritum se habere; Unde Sedecias Pseudopropheta percutiens Michaeam, qui erat verus Propheta, dicebat: *Me ne ergo dimisit Spiritus Domini; & loquutus est tibi?* Proinde S. Joannes epist. 1. cap. 4. scribebat: *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint*: ergo si debemus nos judicare, an Spiritus sit bonus, non potest ipse Spiritus esse noster judex; aliter enim judicem judicaret, quod non licet. II. Ex proposita sententia sequeretur, quod quisque posset & impiam sectari doctrinam, & immania scelera perpetrare, dicens solum, se esse ad haec a privato Spiritu inductum, quod omnino non est dicendum. III. Si Spiritus privatus esset sufficiens regula fidei, essent continua inter fideles schismata, quia unus a Spiritu suo duceretur ad hoc, alius vero ad illud. Hoc ipsum argumentum Campianus proponit orat. 1. ad Academicos, & Frassen refert conceptum verbis hisce: „Cur igitur alios
„ alii lancinatis, cum omnes eodem spiritu
„ gloriemini? Calvinianorum spiritus recipit sex epistolas, quae spiritui non placent
„ Lutherano; freti tamen non uterque Spiritu Sancto. Anabaptistae historiam Jobi
„ fabulam appellant, tragicis, & comicis
„ legibus intermixtam, qui sciunt, Spiritu
„ docente. Castalio mysticum illud Salomonis canticum, quod ut paradisum animae, ut manna reconditum, ut opiparas
„ in Christo delicias, Catholici admirantur,
„ nihilo pluris, quam cantilenam de amicu-

„ la

,, la, & cum pedisequis aulæ colloquium
,, amatorium venereus furcifer æstimavit;
,, unde hausit? A Spiritu Sancto. In Apo-
,, cal. Joannis, cujus omnes apices excel-
,, sum aliquid & magnificum sonare, confir-
,, mat Hieronymus in epist. ad Paulinum;
,, Lutherus, & Brentius, & Kemnitius,
,, quiddam nescio quid difficile Aristarchi
,, desiderant: eo scilicet propendentes, ut
,, exauctoretur: quem percunctati? Spiri-
,, tum. Quatuor Evangelia fervore præpo-
,, stero Lutherus inter se committit, &
,, prioribus tribus epistolas Pauli longe præ-
,, ferens, unicum deinceps Evangelium
,, Joannis, pulchrum, verum, præcipuum,
,, decernit esse nominandum. Quippe qui,
,, quod in ipso fuit, libenter etiam Aposto-
,, los suarum rixarum socios adscripsisset:
,, quo Doctore? Spiritu: Quin etiam iste
,, fraterculus non dubitavit Evangelium
,, Lucæ petulanti stylo perstringere, quod
,, in eo nobis crebrius bona virtutum opera
,, commendentur: quem interrogavit? Spi-
,, ritum. Theodorus Beza verbum illud ar-
,, canum ex Lucæ 22. cap. *Hic est calix*
,, *novum testamentum in sanguine meo, qui*
,, (calix) *pro vobis fundetur*; ausus est ut
,, corruptum vitiatumque traducere, quod
,, hæc oratio nullam expositionem, nisi de
,, vino Calicis converso in verum Christi
,, sanguinem, patiatur, quis indicavit? Spi-
,, ritus. Denique cum omnes credant suo
,, quisque spiritui, nomen Sancti Spiritus
,, horribili blasphemia mentiuntur. Qui sic
,, agunt, nonne se produnt, nonne facile
,, refutantur, nonne in consessu talium vi-
,, rorum, quales estis Academici, tenentur,
,, ac minimo negotio constringuntur? ,,

Dicimus III. Fidei analysim non fieri in ipsummet divinæ fidei habitum; nec in Ecclesiæ auctoritatem, ejusque testimonium.

Prima Conclusionis pars probatur I. Id, in quod fit fidei analysis, facit ut facilius intellectus credendis, quæ ipsi revelantur, assentiatur; sed hæc est differentia inter habitum infusum, & habitum acquisitum, quod ille dat simpliciter posse, hic vero dat faciliter posse: ergo non est habitus fidei infusus id, in quod fit ultima fidei analysis, seu resolutio. II. Si habitus infusus esset illud ultimum, in quod resolveretur fides nostra, nos per illum tantum crederemus, absque respectu ad Dei revelationem; sed falsum est, aliquem credere aliquid fide divina, & non cogitare Dei revelationem: ergo &c. III. Sequeretur etiam, quod ad actum fidei non prærequireretur actus voluntatis, adeoque ipse actus nec esset liber, nec meritorius. Et probatur; quia habitus ille infusus inclinaret naturaliter, & necessario intellectum ad assensum, quia non est liber, nec ex se, nec ratione subjecti, scilicet intellectus? IV. Sequeretur quoque, quod posset quis solummodo habens habitum fidei assentiri omnibus mysteriis sine aliqua instructione præcedente; quia fides infusa determinaret intellectum ad credendum omnibus, & hoc tam in adultis, tam in pueris; quod neque dici potest; intellectus enim assentiri non potest objecto inevidenti, nisi a voluntate moveatur; & voluntas non movet, nisi motivum habeat assensus. V. Sequeretur denique, quod fides non esset fides; & ratio est, quia assensus fidei, sive divinæ, sive humanæ, necessario elicitur propter testimonium alicujus, cui creditur. Si autem habitus infusus moveret per se intellectum ad assentiendum, intellectus, ut assentiretur, alicujus testimonio non indigeret; atqui hoc ipsum faceret, quod non esset fides: ergo &c. Probatur minor subsumpta, quia sine testimonio dicentis non est fides credentis: ergo hoc ipsum faceret, quod non esset fides.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Matth. 15. dicitur: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus &c.* Joannis 1. *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse narravit nobis*. Et cap. 5. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se* 2. Thessalonic. 2. *Gratias agimus Deo, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus fidei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed ut verbum Dei*. 1. Joann. 5. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo*. His & aliis Scripturæ auctoritatibus habemus, quod assensus fidei elici debeat propter solum Dei testimonium, quo fides firmetur, & in quod ultimo resolvatur. II. Augustinus in lib. contra epistolam Fundamenti cap. 15. *Eos sequamur, qui nos invitant prius credere, quæ non valemus intueri, ut ipsa fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur, non jam hominibus, sed ipso Deo mentem nostram intrinsecus firmante, atque illuminante*. III. Testimonium Ecclesiæ semper est humanum; sed hæc est differentia inter fidem divinam & humanam, quod divina innititur testimonio divino, humana vero testimonio humano: ergo fides divina non resolvitur ultimo in testimonium Ecclesiæ.

IV. Non potest resolvi fides divina in aliquod creatum; sed testimonium Ecclesiæ est aliquod creatum : ergo in ipsum non resolvitur fides divina.

Dicimus IV. Fidem, prout respicit propositionem credendorum, resolvi in testimonium Ecclesiæ, inquantum Ecclesia regitur a Spiritu Sancto; prout vero respicit assensum, resolvi in veritatem Dei in dicendo, seu in divinam veracitatem.

Prima Conclusionis pars probatur I. 1. ad Timoth. 3. Ecclesia dicitur *columna & firmamentum veritatis*; & hoc non ob aliud, quam quia quantum ad propositionem credendorum fides nostra Ecclesiæ innititur. Insuper Matth. 18. præcipitur, quod habendus sit tanquam Ethnicus & publicanus, qui Ecclesiam non audit in recipienda correptione : ergo multo magis in non dando assensum rebus, quas ipsa proponit. II. Augustinus lib. contra epist. Fundamenti cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas, qua sublata, nec etiam Evangelio credere potero* Post quæ loquens de libro Actuum Apostolorum scribit : *Cui libro, necesse est, me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque scripturam similiter mihi Catholicæ Ecclesiæ commendat authoritas*. III. probari potest illis omnibus auctoritatibus quibus probatur, Ecclesiam in tradendis ac proponendis rebus fidei esse organum Spiritus Sancti, veritatis cathedram, fidei Magistram &c.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Fidei analysis, quantum ad assensum ultimo fit in illud, quod est ejus objectum formale sub quo; sed hoc probavimus esse veritatem Dei in dicendo; seu divinam veracitatem: ergo in hanc fit ultimo fidei analysis quantum ad assensum. Major probatur a Frassen hoc pacto : „ Id enim, in

„ quod fides resolvitur quoad assensum,
„ debet esse motivum formale talis assensus:
„ motivum autem formale, quo per fidem
„ assentimur Deo, & objectum formale
„ sub quo fidei, idem omnino sunt : igitur
„ fides resolvitur in ipsam divinam veraci-
„ tatem „.

Objiciunt I. Eccli. 19. *Qui cito credit, levis est corde*; sed cito credere est credere sine naturali ratione prævia : ergo semper requiritur ad credendum prævia naturalis ratio. II. Ut prudenter credatur, prærequiritur examen credendorum : ergo prærequiritur humana ratio : Probatur antecedens. Lucæ 1. Beata Virgo, ut prudenter crederet, *cogitabat qualis esset ista salutatio*. 1. ad Thessalonic. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete*; & 1. Joannis 4. *Probate Spiritus, an ex Deo sint*. III. Si ante præviam rationem deberemus credere, teneremur etiam credere contra manifestam rationem; atqui hoc daret infidelibus occasionem, vel ut non crederent nostra, vel ut crederent sua, quæ sunt absurdissima contra manifestam rationem: ergo &c. IV. Si qui apparent in Scriptura textus, qui inter se pugnant, facile per alios explicantur & conciliantur : ergo sola scriptura sufficit. V. Joannis 5. *Scrutamini scripturas, illa enim testimonium perhibent de me*: Et post pauca : *Si crederitis Moysi, crederetis forsitan & mihi* : ergo in Sacram scripturam resolvitur ultimo fides nostra. VI. Scriptura pariter docet, quod audire debeamus Spiritum Dei, qui in nobis loquitur, ac inspirat ea, quæ sunt credenda & facienda : ergo in Spiritum privatum cujuslibet ultimo resolvitur fides nostra. Probatur antecedens 1. ad Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. . . . Spiritualis autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur.* Et 1. Joannis cap. 2. *Vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis; & non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo*. VII. Fidei assensus resolvitur in Dei revelationem; sed divina revelatio fit per fidei lumen : ergo fidei lumen, seu habitus, est id, in quod resolvitur ultimo fides. VIII. Per habitum fidei, seu lumen, manifestantur objecta credenda; sed fidei analysis fieri debet in illud, quod manifestat objecta credenda : ergo &c. Major probatur ex 2. Epist. S. Petri cap. 1. ubi fidei habitum vocat *lucernam lucentem in caliginoso loco*. IX. Per habitum fidei redduntur credibilia omnia mysteria : ergo in hunc habitum resolvitur ultimo fides. Probatur major. Si habitus fidei deficit, non possumus nos credere, sicut oportet : ergo &c. X Christus Dominus a divina fide non excludebat humanum testimonium : ergo non est sufficiens fundamentum excludendi testimonium Ecclesiæ, quod sit humanum. Probatur antecedens. Joannis 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*; & cap. 11. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis &c.* Et Joannis 4. de Samaritanis habetur : *Multi crediderunt in eum propter verbum mulieris, testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia*. XI. Si

testi-

testimonium Ecclesiæ resolveretur in testimonium Dei, in assensu fidei haberetur circulus, qui esset vitiosus; quia crederemus auctoritati Ecclesiæ propter divinam revelationem, & crederemus divinæ revelationi propter Ecclesiæ auctoritatem. XII. Verba illa citata Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas*; satis indicant, ultimum credendi motivum esse Ecclesiæ testimonium. XIII. Regula fidei debet esse visibilis; sed hæc esse non potest, nisi ab Ecclesiæ auctoritate: ergo in Ecclesiæ auctoritatem ultimo resolvitur fides nostra. XIV. Divina veritas in dicendo resolvitur in veritatem Dei in cognoscendo; & divina veritas in cognoscendo resolvitur in Dei veritatem in essendo: ergo divina veritas in dicendo non est ultimum, in quod resolvitur fides nostra. XV. Deum esse primam veritatem, credimus per fidem divinam: neque cremus per fidem divinam Deum existere, neque credimus per fidem divinam Deum revelasse fidei articulos, quia aliter daretur processus in infinitum: ergo &c. XVI. Idiotæ quando fide divina credunt, non resolvunt ultimo fidem suam in Dei revelationem, sed vel in auctoritatem Parentum, vel Pastorum, vel Magistrorum &c., a quibus edocti fuerunt; & ratio est, quia Idiotæ nesciunt divinam revelationem, sciunt tamen, & audiunt Parentum, Pastorum, ac Magistrorum, vocem: ergo divina revelatio non est illud, in quod ultimo resolvitur fides nostra.

Respondemus ad I. authoritatem Ecclesiastici intelligi de fide humana, non de fide divina; quia fides humana adhiberi debet cum prudentia, quum innitatur testimonio hominis, qui mendax est & fallax. Ulterius, etiamsi intelligeretur de fide divina, sensus esset, quod hæc adhiberi non debeat illi, qui diceret, se habere divinam revelationem, si per aliud testimonium non constet, quod homo ille sit dignus, cui fides adhibeatur.

Ad II. Verum est, quod B. Virgo non credidit cito, quia prius examinavit, an esset verus an falsus Dei nuntius, qui ei loquebatur; sed neque tardius credidit, quam oportebat. Unde ab Elisabetha commendata fuit, quia credidit: Beata, quia credidisti; & non credidit propter humanam rationem, sed propter divinum testimonium, quod ei Angelus proponebat; dicens; *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*: Unde quando Maria hoc ab Angelo percepit, statim respondit: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Ita respondet Frassen, qui ad alios textus etiam dicit, quod probandi sunt Spiritus, si ex Deo sint. „ Nec cito credendum esse iis, qui „ Prophetarum instar, aut Apostolorum, „ aliquid ex parte Dei nuntiarent, præter „ traditam ab Apostolis doctrinam, aut ab „ Ecclesia probatam, ut facere solent omnes „ Hæresiarchæ; illi nanque omnes Novatores probandi sunt, & ab eis sunt exigenda suæ prætensæ divinæ missionis, ac „ delegationis, indicia & signa, nempe vel „ miracula, vel secretorum revelatio, vel „ futurorum eventuum certa prædictio „ &c. „

Ad III. Aliud est credere contra rationem, aliud est credere secundum rationem; & non per hoc, quod secundum rationem non credimus, contra rationem credimus. Insuper neque per hoc, quod non exigimus ad fidem divinam præviam rationem, excludimus in fidei actu eliciendo omnem rationis usum. Et ratio horum est, ut ait laudatus Frassen, quia est necessaria aliqua objecti intelligentia & notitia, priusquam ipsi fides adhibeatur; non quidem quatenus est in se, sed prout proponitur & offertur ad credendum; & per hoc non excusantur infideles, neque si non credunt nostra, neque si credunt a nostris aliena, scilicet præter ea, quæ nobis Ecclesia credenda proponit.

Ad IV. Concedimus, quod aliqui Scripturæ textus possunt per alios textus conciliari & explicari; at nihilominus sunt aliqui, qui ut explicentur & concilientur, ad alium recurrere debemus, quam ad scripturam; scilicet ad Judicem controversiarum fidei, qui est Lex viva, quum Scriptura sit potius Lex mortua; quæ tamen vivificatur a Judice Controversiarum, quando docens Ecclesiam, & in Cathedra loquens, eam explicat.

Ad V. Quod in præsenti controvertitur, non est, an Scriptura sit infallibilis regula fidei; sed an sit sufficiens regula, per quam credenda a non credendis discernantur: primum quidem concedimus, quia Scriptura, quum sit verbum Dei scriptum, debet pariter esse veritatis regula; nulla enim certior est regula, quam Dei auctoritas, quæ in ejus verbo continetur, & per illud applicatur; quapropter & impossibile est, Deum mentiri per se ipsum immediate, & mentiri per alterum, cujus mendacium semper ipsi Deo tribueretur.

Ad VI. dicitur, quod quamvis homo Spiritualis, quando regitur Dei spiritu, recte omnia judicet, nobis tamen non constat, an hic & nunc quando loquitur, Spiritu Dei dirigatur; Unde necesse est, ut alius Judex, vel director, nobis proponat, quæ credere, & quæ non credere, debeamus. Et sic explicantur auctoritates Pauli, & Joannis.

Ad VII. Revelatio accipi potest proprie & improprie; proprie, quando sumitur pro veracitate Dei revelantis mysteria; & tunc verum est, quod assensus fidei ultimo resolvitur in Dei revelationem: Improprie vero accipitur pro omni eo, per quod manifestantur mysteria; & tunc falsum est, quod assensus fidei resolvatur in Dei revelationem. Insuper, Deus quod revelet medio lumine fidei dupliciter potest intelligi, proprie scil cet & improprie; propria Dei revelatio est Dei loquutio; Deus quando concedit alicui habitum fidei, propter ei non loquitur quia sic alloqueretur etiam infantes, quando baptizantur. Et hoc pacto distinctis præmissis, facile videtur, quid dicendum sit ad consequentiam.

Ad VIII. Lucerna, seu lumen manifestans objecta credenda, tenere se potest & ex parte objecti motivi ac terminativi, & ex parte principii; quando se tenet ex parte principii, tunc est habitus fidei; & in ipsum ultimo non resolvitur fides: quando se tenet ex parte objecti motivi & terminativi, tunc non est habitus fidei, sed est revelatio Dei, & tunc in ipsum ultimo resolvitur fides.

Ad IX. Argumentum supponit quod in illud resolvi debeat assensus fidei, per quod objectum fit credibile; at hoc est verum, si credibilitas se teneat ex parte motivi suadentis veritatem, & terminativi ejusdem assensus; non autem est verum, si credibilitas se teneat ex parte potentiæ. Sic respondet Frassen, qui ulterius distinguit propositionem dicentem, quod per habitum fidei objectum fiat credibile; credibilitate proveniente ex parte principii elicientis actus assensus, concedit; ex parte motivi, seu termini, ad quem tendere debet iste assensus, & velut in eo quiescere, tanquam in ultima ratione negat.

Ad X. Concedimus ad credendum fide divina esse necessarium Ecclesiæ testimonium, si sumatur ut conditio, proponens & applicans, seu disponens, intellectum ad assensum, non vero si sumatur ut ratio formalis assentiendi: eo quidem modo, quo voluntas non potest amare objectum, nisi ei proponatur ab intellectu; & non per hoc quis dicet, quod propositio intellectus sit ratio formalis amandi in voluntate, sed est solum conditio, ut omnes fatentur.

Ad XI. Circulus vitiosus est, quando idem probatur per idem, & secundum idem; non vero quando probatur secundum diversa. In casu nostro sic evenit, quia non resolvitur testimonium Ecclesiæ in Dei revelationem eodem modo, quo Dei revelatio resolvitur in Ecclesiæ testimonium. Ecclesiæ enim testimonium resolvitur in Dei revelationem tanquam in rationem formalem, Dei autem revelatio resolvitur in Ecclesiæ testimonium, tanquam in conditionem. Quod totum sic in particulari applicat, & explicat Frassen citatus, dicens. „ Quippe fidelis credit „ mysteriis revelatis propter divinam reve- „ lationem, tanquam propter causam for- „ malem credendi; credit vero revelatio- „ nem illam esse divinam & veram, propter „ authoritatem Ecclesiæ, tanquam propter „ conditionem applicantem ea, quæ creden- „ da sunt, ac discernentem credenda a non „ credendis; assentiri autem alicui, tanquam „ rationi formali, & alteri, tanquam rationi „ directivæ, vel dispositivæ ad assensum, „ est assentiri propter diversam rationem, „ & in diverso genere causæ: ergo in eo „ assensu non fit circulus vitiosus „.

Ad XII. Verba illa Augustini aliqui explicant de motivo credibilitatis Evangelii, non vero de motivo ultimo ipsius credulitatis, seu fidei; alii vero intelligunt de testimonio Ecclesiæ, non quo ad hoc sit ratio formalis credendi Evangelio, sed quod sit conditio, ut explicavimus.

Ad XIII. Visibilis quidem esse debet propositio credendorum, quæ fit ab Ecclesia, propositione eadem se tenente ut conditione; non vero visibilis esse debet ratio formalis credendi, quæ est ipsa Dei revelatio.

Ad XIV. Resolutiones illæ, quæ proponuntur in argumento, fiunt in ratione Entis non vero in ratione motivi; quia scilicet dicere supponit cognoscere, & cognoscere supponit esse. Ex his autem in ratione motivi est ratio dicendi, postquam non est ulterior alia ratio, in quam fides possit resolvi, quanvis rationes adductæ in cognoscendo & in essendo eam præcedant, seu ab ea supponantur.

Ad XV. Sic respondet Frassen „ Credimus „ Deum revelasse articulos fidei propter

„ cau-

„ eandem ipsam revelationem, ficut enim „ lumen non folum eft ratio cur videam „ colores, fed etiam cur ipfum lumen „ percipiam; ita revelatio divina eft for- „ malis ratio fimul credendi tam ipfam re- „ velationem, quam res per eam revela- „ tas; ac fubinde non fequitur, quod illa „ revelatio debeat credi per alteram, quod- „ que fieri debeat proceffus in infinitum „

Ad XVI. Etiam Idiotæ, quanvis explicite credant propter vocem, vel Parentum, vel Paftorum, vel Magiftrorum, implicite tamen femper credunt propter Dei revelationem, quæ in Parentum, Paftorum, ac Magiftrorum, voce implicite includitur, ac continetur.

DISSERTATIO CCLXV.

De Symbolo Apoftolorum. An vere Apoftoli illud condiderint? Qua ratione & modo condiderint? Et fententia negans qua cenfura fit notanda?

Diximus fupra; ad objectum materiale fidei pertinere articulos ejufdem fidei, a Deo revelatos, & dogmata etiam fidei quæ ab Ecclefia proponuntur credenda; hæc eft enim differentia inter articulum & dogma fidei, quod dogma dicitur omnis veritas credenda, articulus vero eft veritas principalis habens peculiarem aliquam credendi difficultatem; unde omnis articulus eft dogma, fed non omne dogma eft articulus; & hoc vel eo magis, quod articulus eft expreffe a Deo revelatus, dogma vero ut plurimum implicite & explicite ab Ecclefia declaratum, definitum, ac Credentibus expofitum. Exemplum adducit Nicolaus Girken in Summa Summæ Theologiæ Scholafticæ tom. 2. tract. 5. qu. 2. dub. 1. dicens: „ Mors enim & „ refurrectio Chrifti funt duo articuli, fed „ mors & fepultura funt unus tantum arti- „ culus, licet fint duo dogmata „.

Et quia Symbolum eft credendorum fumma, redacta in brevem & facilem methodum, ad fimplicium & rudium inftructionem; inde eft, quod hic de Apoftolorum Symbolo tractamus, in quo omnes fidei articuli continentur. Vocabuli hujufce Symboli multas affert explicationes Natalis Alexander in Hiftoria Ecclefiaft. feculo 1. differt. 12. dicens, quod primo multi accipiunt eam pro collatione plurimorum, five ad aliquid faciendum, vel dicendum, vel etiam comedendum; & hoc pacto explicarunt Ruffinus in expofitione Symboli, Ifidorus lib. 11. de Ecclefiaft. offic. cap. 22. Rabbanus Maurus lib. 11. de inftitut. Clericorum cap. 56. Author fermonis 181. de tempore, qui tribuitur Auguftino. Secundo vocem hanc derivant ab indicio feu figno, quo Milites ab hoftibus dignofcebantur; & fic pariter explicat citatus Ruffinus. Tertio deducunt non a militari, fed a contractuum teffera, quatenus per Symbolum fideles ab infidelibus diftinguebantur; & fic fumit & explicat S. Petrus Chryfologus ferm. 62. de Symbolo Apoftolorum. Et quia ab hac communi Ecclefiæ traditione, quod Apoftolorum Symbolum vere ab Apoftolis fuerit conditum, aliqui difcefferunt; hinc juxta noftram confuetam methodum, congruum judicamus illos hic primitus enumerare, ut deinde contra eofdem firmius traditionem ipfam propugnemus.

Primo Calvinus lib. 2. Inftitut. cap. 16. dixit, fe non cognofcere Apoftolos Auctores Symboli illius, quod Apoftolicum nominatur. Sua verba funt „ Apoftolicum „ autem Symbolum nuncupo, de Authore „ minime follicitus .... Neque vero mihi „ dubium eft, quin a prima ftatim Eccle- „ fiæ origine, adeoque ab ipfo Apoftolo- „ rum feculo, inftar publicæ & omnium „ calculis receptæ confeffionis obtinuerit, „ undecunque tandem initio fuerit profe- „ ctum. Quo intellecto, de Authore vel „ anxie laborare, vel cum aliquo digladia- „ ri, nihil attinet „.

Secundo Joannes Gerardus Voffius, Calvinianus & ipfe, lib. de tribus Symbolis differt. 1. Apoftolicum Symbolum, expreffe negat, ab Apoftolis fuiffe conditum; fubdens, quod Apoftolicum dicitur, quia Apoftolicam doctrinam in compendio con-

continet, & præ cæteris Symbolis verba etiam ut plurimum complectitur Apostolorum & Evangelistarum.

Tertio Chamierus lib. 9. de Canone cap. 10., Calvinianus pariter ipse, hæc de eodem Symbolo scribit: „ Esse ab Apostolis Symbolum sic compositum, si non est falsum, „ certe quod proximum falso esse nemo negat, incertum est „.

Quarto Erasmus in præfat. ad Lectorem, paraphrasis S. Matthæi, hæc de Authoribus Symboli hujusce se sentire prodit: „ Librum hunc concinnare cupio, non ex „ humanis lacunis, sed ex fontibus Evangelicis, & Apostolicis literis, & ex Symbolo; quod an ab Apostolis proditum sit, nescio „.

Quinto Dupinus in nova Bibliotheca Ecclesiasticorum Auctorum de Symbolo hoc dicit, quod quanvis concludere oporteat, Jesum Christum fuisse auctorem doctrinæ, quæ in Symbolo continetur, & quam Apostoli per totum mundum disseminarunt, prædicarunt, ac publicarunt, nequeat tamen per hoc dici, quod Apostoli fuerint Auctores illarum formularum, in quibus doctrina eadem comprehenditur ac continetur.

Sexto Hæretici Vvaldenses Apostolorum Symbolum contemnebant. Refert S. Antoninus par. 4. tit. 11. cap. 7. § 2., qui citatur a Jodoco Coccio in Thesauro Catholico lib. 6. art. 29.

Septimo Servetiani, qui a Michaele Serveto descendunt, in Transylvania Apostolorum Symbolum non admittunt, nisi cum hac exceptione, quatenus scilicet verbo Dei consentit. Refert Petrus Canisius in præfatione ad librum de corruptelis verbi Dei.

Octavo adducuntur alii, puta Laurentius Valla &c., tanquam Apostolicum Symbolum negantes ab Apostolis fuisse compositum; Sed re vera Valla, aliique cum ipso, de modo tantum dubitarunt, quo Apostoli illud condiderint, an scilicet unoquoque ipsorum partem suam componente, an vero omnibus concurrentibus ad totum ipsum construendum; quemadmodum alii etiam dubitant de tempore & loco, quo ipsum compositum fuit, ut infra videbimus.

Dicimus I. Apostolicum Symbolum vere Apostolos condidisse.

1. Probatur ex Romanis Pontificibus. Adducitur Clemens I., qui in epist. 1. hæc habet: *Christo itaque resurgente, & ascendente in Cælum, misso Sancto Spiritu, collata Apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi, Symbolum, quod fidelis nunc tenet Ecclesia, unusquisque quod sensit dicendo, condiderunt, ut discendentes ab invicem, hanc regulam per omnes Gentes prædicarent. Summam ergo totius fidei Catholicæ recensentes, in qua & integritas credulitatis ostenditur, & unius Dei Omnipotentis, idest Sanctæ Trinitatis, æqualitas declaratur: & mysterium incarnationis Filii Dei, qui pro salute humani generis, a Patre de Cælo descendens, de Virgine nasci dignatus est, quoque ordine, vel quando mortem pertulerit, quomodo sepultus surrexerit, & in carne ipsa Cælos ascenderit, ad dexteramque Patris consederit, & judex venturus sit, ac qualiter remissionem omnium peccatorum sacro Baptismate renatis contulerit, & resurrectionem humani generis in eadem carne in vitam æternam futuram sic docuerunt. Symbolum enim græce, latine collatio dicitur. Et hoc prædicti Sancti Apostoli inter se per Spiritum Sanctum salubriter condiderunt. Dicitur & indicium, quod per hoc qui recte crediderit, indicatur. Ergo cunctis credentibus, quæ continentur in præfato Symbolo, salus animarum & vita perpetua bonis actibus præparatur. Et quod in primordio ejusdem Symboli præponitur: Credo in Deum Patrem Omnipotentem, præclarum fidei testimonium, & fundamentum in prima fronte monstratur, quia salvus esse poterit, qui recte crediderit.* Celestinus I. in epist. 5. ad Nestorium: *Inter multa, quæ a te impie prædicata universalis recusat Ecclesia, Symbolo ab Apostolis tradito plangimus hæc verba fuisse sublata, &c.* Sixtus III. epist. ad Cyrillum Alexandrinum: *Juvit animorum vota nostrorum, qui videret Symbolo primo inter Apostolos tradito derogari.* Leo I. serm. 11. de Passione Domini, Dominico die habito cap. 2. *Hæc fidei regula, quam in ipso exordio Symboli per auctoritatem Apostolicæ institutionis accepimus, Dominum nostrum Jesum Christum, quem Filium Dei Patris Omnipotentis unicum dicimus; eundem quoque de Spiritu Sancto natum ex Maria Virgine confitemur.* Serm. contra Eutychen. cap. 1. *Et ideo fraterna vos, & paterna sollicitudine commonemus, ut inimicos Catholicæ Fidei, Hostes Ecclesiæ, Incarnationis Dominicæ Negatores, & instituto a Sanctis Apostolis Symbolo repugnantes, in nullum recipiatis consensionis affectum.* Et epist. 13. ad Pulcheriam Augustam: *Ipsa Catholici Symboli brevis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione Cælesti, ut omnes Hæreticorum opiniones solo ipsius gladio possint detruncari. Cujus Symboli plenitudinem si*

Eu-

Eutyches puro & simplici voluisset corde concipere, in nullo a decretis Sacratissimi Niceni Concilii deviaret, & hoc a Sanctis Patribus intelligeret constitutum, ut contra Apostolicam fidem, quæ non nisi una est, nullum se ingenium, nullum elevaret eloquium. Innocentius III. lib. 2. mysteriorum missæ cap. 49. *Symbolum græce, latine sonat indicium, vel collatio, tum quia fidei plenam indicat regulam, & perfectam rationem; tum quia simul in unum continet articulos fidei. Traditur enim, quod postquam Apostoli Sanctum Paracletum acceperunt, cum jam forent ad prædicandum Evangelium profecturi, conferentes in unum super articulis fidei, statuerunt, ut sicut omnes erant in una fide concordes, sic omnes unam fidem concorditer prædicarent, & ideo Symbolum componentes, unusquisque bolum, idest particulam unam, apposuit.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Ephesinum, in relatione ad Theodosium Augustum, de Nestorii depositione, hæc scribit: *Fides initio quidem a Sanctis Apostolis tradita; postea vero a trecentis decem, & octo Patribus in Metropoli Nicæna exposita.*

III. Probatur ex Patribus Græcis. Irenæus lib. 1. adversus hæreses cap. 2. *Ecclesia per universum Orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit Cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt: & in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute: & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum & eam, quæ est ex Virgine generationem, & passionem, & resurrectionem a mortuis, & in carne ad Cælos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, & de Cælis in gloria patris adventum ejus.* Marcellus Anciranus in epist. ad Julium Papam: *Credo in Deum Omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus Unigenitum Dominum nostrum, genitum ex Spiritu Sancto, & Maria Virgine, crucifixum sub Pontio Pilato, & sepultum, & qui resurrexit tertia die ex mortuis, & ascendit ad Cælos, & sedet in dextera Patris, unde veniet ad judicandum vivos, & mortuos. Et in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam.* Ignatius Martyr in epist. ad Magnesianos: *Plenam cognitionem de Christo habeatis, qui ante omnia secula natus ex Deo Patre, post vero natus est ex Maria Virgine sine viri commercio, quique sancte vixit, omnemque morbum, & imbecillitatem curavit, in populo signa, & prodigia patravit, & unum verum Patrem suum annuntiavit, qui passus est, & a Christicidis Judæis sub Pontio Pilato Præside, & Rege Herode, crucem sustinuit, mortuus est, & resurrexit, ascendit in Cælos ad eum, a quo missus erat, sedetque ad dexteram ipsius, qui venturus, & in fine seculorum, ut judicet vivos, & mortuos, reddatque unicuique secundum opera sua. Hæc qui plene cognoverit, & crediderit, beatus est.* Chrysostomus, qui scripsit duas homilias in Apostolorum Symbolum, in quarum prima hoc habet initium: *Universalis Ecclesia gaudet, & in una regula charitatis Christi, & in fide nominis Christi exultat &c. Ergo audite hanc, ut dixi, regulam vestræ confessionis: Credo in Deum Patrem Omnipotentem; videte, qui, cui, & quid, loquamini. Dixistis Credo &c.* In secunda vero sic incipit: *Super fabricam totius Ecclesiæ nihil aliud fundamenti ponunt Sapientes Architecti, nisi Jesum Christum &c.* Joannes Cassianus de Verbi incarnat. lib. 6. cap. 3. *Symbolum, ut scis, ex collatione nomen accepit, quod enim græce συμβολον dicitur, latine collatio nominatur. Collatio autem ideo, quia in unum collata ab Apostolis Domini totius Catholicæ legis fide, quicquid per diversum divinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in Symboli colligitur brevitate perfecta.* Et cap. 4. *Sicut immensam illam Scripturarum Sacrarum copiam Deus per Patriarchas, & Prophetas maxime suos condidit: ita Symbolum per Apostolos suos, Sacerdotesque constituit. Et quicquid illic per suos larga ac redundanti copia dilatavit, idem hic per suos plenissima brevitate conclusit.*

IV. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. de præscription. Hæreticorum cap. 37. *In ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo, tradidit.* Nomine regulæ Apostolicum Symbolum intelligit, ut habetur ex ejusdem Tertulliani libro *de Velandis Virginibus* cap. 1. *Regula fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in unum Deum Omnipotentem, Mundi Conditorem, & in Filium ejus Jesum Christum natum ex Maria Virgine, crucifixum sub Pontio Pilato, tertio die resuscitatum a mortuis, receptum in Cælis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos, & mortuos; per carnis etiam resurrectionem. Hac lege fidei manente, cætera jam disciplinæ, & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet, & proficiente usque in finem gratia Dei.* Et in eodem libro de præscription. cap. 13. *Regula*

gula est autem fidei, ut jam hinc quid defendamus profiteamur, illa scilicet, qua creditur unum omnino Deum esse. Et cap. 31. *Superest ergo uti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, & ex hoc ipso, an cætera de mendacio veniant?* Luciferus Calaritanus lib. 2. adversus Constantium Imperatorem, vocat hoc Symbolum *Formam disciplinæ, & regulam fidei per Apostolos traditam*. Et lib. de non conveniendo cum Hæreticis sic loquitur: *Unde dulces tui possint esse sermones, quem videmus tenentem traditionem Arii, non Beatorum Apostolorum, ad quos dixerit iste, quem negas, quod verus sit Filius Dei: Euntes baptizate credentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? Quomodo tibi discipulo Arii acquiescemus Christiani, destruentes Apostolicam traditionem, cum te inveniamus dicere, Patrem non esse verum Patrem, sed appellari Patrem; cum dicas, illum non verum habere filium, sed factum ex nihilo? E contra videamus Apostolos credidisse in unum Deum Patrem Omnipotentem; verum Patrem; propterea verum Patrem, quod vere, non putative, habeat Filium: Et in unicum Filium ejus Jesum Christum, hoc est in verum Dei Filium, & in Sanctum Paracletum, verum Dei Spiritum*. Ambrosius lib. 1. epist. 7. ad Siricium Papam: *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, ac servat*. Sub nomine ejusdem Ambrosii etiam fertur sermo ultimus de jejunio Eliæ, qui tamen alium habet Auctorem, ut eruditioribus Criticis placet; & in quo sermone dum agitur de fide in Symbolo contenta hæc leguntur: *Ista autem ipsa clavis, quam fidem dicimus, videamus quemadmodum constat, quemadmodum solida sit. Arbitror illam duodecim Artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apostolorum Symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti Artifices in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt. Clavem enim quandam ipsum Symbolum dixerim, per quem reserantur Diaboli tenebræ, ut lux Christi adveniat*. Rufinus in præfatione expositionis Symboli ad Laurentium hæc scribit: *Tradunt Majores nostri, quod post Ascensionem Domini, cum per adventum Spiritus Sancti supra singulos quosque Apostolos igneæ linguæ sedissent, ut loquelis diversis variisque loquerentur, per quod eis nulla Gens extranea, nulla lingua barbaries inaccessa videretur, & invia; præceptum eis a Domino datum hoc, ad prædicandum Dei verbum, ad singulas quemque proficisci nationes. Discessuri itaque ab invicem normam sibi prius futuræ prædicationis in commune constituunt, ne forte alii alio adducti, diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno positi, & Spiritu Sancto repleti, breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt*. Et post aliqua: *Discessuri igitur, ut diximus, ad prædicandum istud unanimitatis, & fidei suæ Apostoli indicium, posuere, non sicut Filii Noe, discessuri ab alterutrum, turrim ex latere cocto, & bitumine construentes, cujus cacumen usque ad Cælum pertingeret, sed monumenta fidei, quæ starent adversus faciem inimici, e lapidibus vivis, & margaritis Dominicis ædificantes: quam neque venti impellerent, neque fulmina subruerent, neque tempestatum ac procellarum turbines permoverent*. Hieronymus epist. 61. ad Pammachium adversus errores Joannis Jerosolymitani cap. 9. *In Symbolo Fidei, & Spei nostræ, quod ab Apostolis traditum non scribitur in charta, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur*. Augustinus de Fide, & Symbolo cap. 1. *Est autem fides catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantum res passa est, brevitate sermonis, ut incipientibus, atque lactentibus eis, qui in Christo renati sunt, & nondum Scripturarum divinarum diligentissima, & spirituali tractatione, atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur, quod proficientibus, & ad divinam doctrinam certa humilitatis, & charitatis firmitate surgentibus multis verbis exponenda esset perficiendum*. Et serm. 119. de tempore: *Symbolum est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat, nec oneret memoriam, paucis verbis dicatur, unde multum acquiratur: Credo in Deum Patrem Omnipotentem. Vide quam cito dicitur, & quantum valet &c.* Chrysologus serm. 61. in Symbolo Apostolorum: *Audituri formam fidei, credulitatis normam, confessionis ordinem, parate simul corporis, & cordis auditum. Sicut fons ore angusto magis magnis fluviorum laticibus ampliatur; sic fides Symboli breviato sermone, credulitatis latissimos dat meatus*. Et serm. 62. *Suscipite fidem, tenete spem, dicite Symbolum, ut ad rem, & ad illa bona, quæ prædiximus, valeatis pervenire*. Maximus Taurinensis homil. de traditione Symboli, & expositione ejusdem: *Cum apud Patres nostros, sicut Liber Judicum refert, quadam*

Israe-

Israelitica Tribus civili adversum se prælio decertarent, nec propter consimilem unius populi habitum inter bellantes posset esse discretio, Tribus illa, cujus justior erat causa pugnandi, quia merito per Dei auxilium victoriam præsumebat, signum sibi certo in sermone constituit: ut quos una armorum facies confundebat, secretioris verbi distingueret sacramentum. Quod B. Apostoli (ut ego reor) exemplum sequentes, Ecclesiæ Dei, quam adversus militiam diabolici furoris armabant, mysterium Symboli tradiderunt: ut quia sub uno Christo nomine credentium erat futura diversitas, signaculum Symboli inter fideles, perfidosque, secerneret.

V. Probatur rationibus. I. Apostoli missi sunt a Christo, ut docerent universum mundum in fide, quam Gentes credere debebant; sed ut hoc præstarent, necesse erat, ut fidei summam construerent, & eam credentibus traderent: ergo illam vere construxerunt, & credentibus tradiderunt. Major patet ex illo Matthæi 28. *Euntes, docete omnes Gentes.* Minor ex seipsa est innegabilis; consequentia sequitur. II. Populi, quos Apostoli docere debebant, erant rudes, ad divina non assueti, & carnalibus dediti: ergo instrui debebant per Apostolos brevi fidei regula, quam facilius possent memoriæ mandare, & mandata retinere; sed hæc est Symbolum: ergo &c. Antecedens negari non potest, quia aliter homines falsa pro veris, & humana pro divinis credidissent. III. Apostoli discurrentes per loca, in quibus Evangelium disseminabant, non multum in uno loco morabantur, sed breviter se expediebant, ut in alia possent ad prædicandum se conferre: ergo brevem construere debebant fidei formulam, quam discere debebant illi, qui eos audiebant. IV. Etiam Apostolorum tempore erant Pseudo-prophetæ, & Pseudo-apostoli, qui credentes seducebant, eisdem proponendo peregrina, & falsa, quæ crederent: ergo ut novi Christiani discernerent vera a falsis, & propria a peregrinis, debebant fidei summam discere, quæ semper apud eos una, & invariabilis esset. V. Perpetua fuit traditio Ecclesiæ, quod Apostoli hoc Symbolum condiderint: ergo nequit hoc ipsum absque temeritate negari. VI. Nunquam Ecclesia in rebus fidei proponere consuevit fidelibus pro regula credendi, quæ essent dubia, & incerta; sed Ecclesia semper proposuit Symbolum Apostolicum fidelibus, & quidem sub Apostolorum nomine conditum; immo etiam fidelibus præcepit, ut illud in divinis laudibus recitarent: ergo Ecclesia semper certum habuit, Apostolicum Symbolum fuisse ab Apostolis conditum. VII. Ecclesia in Conciliis congregata respuit Symbola, quæ sunt falsa, & approbat illa quæ sunt vera; ut Concilium Generale Ephesinum rejecit Symbolum Theodori Mopsuesteni; sed in omni Concilio sub Apostolorum nomine Symbolum Apostolicum recepit ac venerata est: ergo &c. VIII. Apostoli antequam ad prædicandum discederent, ut cum humanæ prudentiæ regulis se conformarent, & ne Deum tentantes periculo dissensionis se exponerent, debebant inter se convenire, & de prædicationis summa discurrere, ut omnes doctrinam eandem populis prædicarent; sed hoc ipsum præstiterunt in Symbolo, de quo loquimur: ergo vere Apostoli illud condiderunt. Argumentum est Isidori Hispalensis lib. 2. de officiis cap. 23. *Symbolum tali ratione institutum Majores nostri dixerunt. Tradunt enim his verbis, quod post ascensionem Domini, cum per adventum Spiritus Sancti discipuli ejus inflammati, linguis omnium gentium loquebantur, praeceptum est eis a Domino datum ad prædicandum Dei verbum, ad singulas quasque nationes adire. Discessuri ab invicem, normam prius sibi futuræ prædicationis in commune constituunt, ne localiter ab invicem discedentes diversum aliquid vel dissonum prædicarent his, qui ad fidem Christi invitabantur. Omnes ergo in uno positi, & Spiritu Sancto repleti, breve sibi prædicationis indicium, conferendo in unum, quod sentiebant, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam, constituunt.*

Arguunt I. Testimonium, quod nos adduximus ex epistola Clementis I., est omnino falsum; quia epistola illa falso tribuitur Clementi, quum dicatur inscripta ad Jacobum, fratrem Domini, qui multo tempore ante Clementem vivere in hac terra desierat; proinde aperta committitur antilogia, vel inevitabilis anacronismus; quem ut effugeret Baronius, aliique plures alium finxerunt Jacobum, cui dixerunt, inscriptam fuisse epistolam: at illorum pace, decepti quoque fuerunt, quia epistolæ inscriptio est apertissima, & non dicit simpliciter ad Jacobum, sed ad Jacobum fratrem Domini. II. Apostoli, & Evangelistæ, Symboli, quod dicitur Apostolicum, in suis Epistolis non meminerunt; sed meminissent, si illud vere condidissent: ergo vere illud non condiderunt. III. Si Sym-

bolum hoc fuisset ab Apostolis compositum, debuisset inter Scripturas Canonicas adnumerari; sed non adnumeratur: ergo non fuit ab Apostolis compositum. IV. S. Lucas in Actibus Apostolorum nec verbum profert, quo dicat, Apostolos Symbolum hoc condidisse; sed si illud Apostoli condidissent, Lucas retulisset: ergo &c. V. Symbolum hoc dicitur necessarium, ut Orthodoxi ab Heterodoxis discernerentur; sed Apostolorum temporibus nulli erant Heterodoxi: ergo non erat necessarium, ut ipsi Symbolum hoc conderent. VI Qui volunt, Symbolum hoc fuisse ab Apostolis compositum, non conveniunt de ratione, quæ Apostolos, ad componendum illud, moverit: ergo vere illud Apostoli non composuerunt. VII. Neque conveniunt de tempore, quo Apostoli illud composuerint: ergo signum est, quod vere illud non condiderunt. VIII. Symbolum hoc in multis Ecclesiis fuit immutatum; sed non immutassent, si Apostoli illud composuissent, propter reverentiam, quam Apostolis Authoribus exhibere tenebantur: ergo Apostoli illud non composuerunt. IX. Tertullianus recitans Apostolorum Symbolum multa capita omittit, quæ nos in eodem recitamus: ergo apud Patres non constabat, Apostolos illud composuisse, quia aliter nihil de eo demisisset. Probatur antecedens: In libro de velandis Virginibus cap. 1. nihil dicit de Christi descensu ad inferos; in lib. de præscription. Hæreticorum, & in lib. adversus Praxeam, multa omittit, quæ respiciunt Spiritum Sanctum, Ecclesiam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, vitam æternam &c. X. Qui putant, Apostolos condidisse hoc Symbolum, afferunt pariter, unumquemque ipsorum suam portionem dictasse, & proinde Symbolum dixisse, & ad hoc probandum, afferunt Augustini testimonium in serm. 115 de tempore, quod sic habet: *Quod græce Symbolum dicitur, latine collatio nominatur: Collatio ideo, quia collata in unum totius Catholicæ Legis fides, Symboli colligitur brevitate, cujus textum vobis modo, Deo annuente, dicemus. Petrus dixit: Credo in Deum Patrem Omnipotentem. Joannes dixit: Creatorem Cœli & Terræ. Jacobus dixit: Credo & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Andreas dixit: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Philippus ait: Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & sepultus. Thomas ait: descendit ad Inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Bartholomæus dixit: Ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Matthæus dixit: Inde venturus judicare vivos, & mortuos. Jacobus Alphæi: Credo & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Judas Jacobi: Carnis resurrectionem. Matthias complevit: Vitam æternam. Amen.* XI. Si Apostoli ad Symbolum condendum convenissent, ea de causa, ut in prædicatione fidei non discreparent, de Spiritus Sancti assistentia dubitassent; sed hoc dici non potest: ergo nunquam potuit esse verum motivum illud, quo Apostoli ad Symbolum condendum dicuntur moti: ergo vere illud non condiderunt. XII. Si Symbolum debebat esse signum, quo Fideles ab Infidelibus discernerentur, quare de ipso inter Fideles quoque non omnino conveniebat? Etenim multæ Ecclesiæ aliter illud recitabant, quam in aliis Ecclesiis legebatur; & hoc ipsum sequentibus observationibus, ac verbis apud P. Boucat probatur: „ In vulgari solum hæc leguntur: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli, & terræ.* Symbolum Orientale habet *unum*: in Aquileensi atque Romano, *Creatorem Cœli, & terræ,* omittuntur, nam post Omnipotentem additur, *invisibilem, & impassibilem.* In tertio Symboli capite legimus: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* Aquileense dicit: *Qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* Jerosolymitanum hæc sola retinet verba: *Incarnatum, & hominem factum.* In quarto capite habetur: *Passus sub Pontio Pilatio, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos.* Aquileense passionem, & mortem prætermittit. In nono capite hæc lectio talis est: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Aquileense omittit vocem, *Catholicam.* Adde tempore Apostolorum Ecclesiam nondum dici Catholicam, & in Aquileensi nihil de communione Sanctorum legi. In undecimo profitemur resurrectionem carnis; addit Aquileense *hujus carnis*; & in Romano, & in isto, non est articulus de vita æterna. Idem habet S Hieronymus epist. 6. ubi affirmat, Symbolum terminari ad articulum de resurrectione. „

Respondemus ad I. concedendo quidem, quod S. Jacobus mortuus est anno septimo Neronis, & S. Petrus, cui successit Clemens, obiit anno decimoquarto; unde stare nequit, quod Clemens Jacobo scripserit.

rit, Baronius voluit, non scripsisse Clementem Jacobo, sed Simeoni, qui etiam erat frater Domini; sed hoc gratis asseruit, nullo antiquo Scriptore adstipulante, & veterum Codicum lectione contradicente, Genebrardus excogitavit tertium Jacobum; at hunc refutavit Hieronymus lib. contra Helvidium cap. 7. dicens: *Si non est Apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus, quomodo est Frater Domini putandus? Et quomodo tertius ad distinctionem majoris appellabitur minor, cum major & minor, non inter tres, sed inter duos soleant præbere distantiam; & frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente: Deinde post triennium veni Hierusalem videre Petrum, & mansi apud illum diebus quindecim: alium autem Apostolorum vidi neminem, præter Jacobum fratrem Domini.* Profecto si Epistola illa S. Clementis non est, quod & nos etiam ultro fatemur, antiqui tamen Scriptoris est fœtus, qui primis Ecclesiæ seculis floruit; quod ad rem historicam probandam satis est.

Ad II. Symbolum, quod condiderunt Apostoli, non fuit ab ipsis scripto traditum, sed ut traditiones fieri solent, fuit memoriæ Fidelium consignatum; & proinde illius nec Apostoli, nec Evangelistæ, meminerunt; meminissent autem vel Lucas, vel alii Apostoli, si Apostoli illud scripto credidissent; & hinc est quod Symbolum, de quo loquimur, pertinet ad traditiones, quæ non sunt scriptæ. Audiatur Hieronymus epist. 61. ad Pammachium: *Symbolum fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, aut atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.* Audiatur Rufinus in exposit. Symboli: *Idcirco hæc non scribi chartulis aut membranis, sed requiri credentium cordibus tradiderunt, ut certum esset hæc neminem ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet; sed ex Apostolorum traditione didicisse.* Audiatur Petrus Chrysologus serm. 62. *Symbolum fidei sola fide firmatur: non literæ, sed spiritui creditur, & mandatur cordi, non chartæ.*

Ad III. Duas ob caussas Symbolum, de quo loquimur in Sacrarum Scripturarum canone non inscribitur; quarum prima est, quia non fuit scripto traditum; Canonicæ enim Scripturæ omnes scripto fuerunt ab suis Auctoribus consignatæ: altera vero caussa est, quia hoc ipsum Ecclesia non definivit, quemadmodum de aliis Canonicis libris declarationem edidit, & definitionem, cui se opponere piaculum in Religione est, & error in fide.

Ad IV. S. Hieronymus dicit, Lucam *multa historiographi licentia prætermisisse*. Et quidem prætermisit facere verbum de Evangelio, quod ipse conscripserat, saltem manifeste, & expresse, quia sunt qui volunt, Lucam aliqualem sui Evangelii mentionem fecisse, quando initio Actorum Apostolorum scripsit: *Primum quidem sermonem fidei de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere, & docere*: at quisnam erit tam infirmæ mentis homo, qui ex hoc inferre tentaverit, Lucæ Evangelium non fuisse a Luca conscriptum?

Ad V. Primo negatur minor, & ratio est, quia Apostolorum tempore erant Simoniani, Cerinthiani, & Ebionitæ; erant pariter Cerdoniani, Nicolaitæ, & Menandriani; erant denique falsi fratres, falsi Prophetæ, & Seductores multi; a quibus ut discernerentur fideles, Symbolo, quod eisdem esset signaculum, & tessera, quam maxime indigebant. Audiamus Rufinum de Apostolico Symbolo exscribentem: *Indicium autem, & signum idcirco dicitur, quia illo tempore, ut Paulus Apostolus dicit, & in Actis Apostolorum refertur, multi ex Circumcisis Judæis simulabant, se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus, vel ventris gratia, ad prædicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco ergo istud indicium posuere, per quod agnosceretur is, qui Christum vere secundum Apostolicas regulas prædicaret.* Secundo Apostoli non condebant Symbolum, ut pro ipsorum tantum tempore deserviret, sed etiam pro succedentibus temporibus, quibus absque dubio schismata, errores, & hæreses, erant futuræ: Unde dato etiam, quod Apostolorum ævo Hæretici non fuissent, quia tamen deinde futuri erant, pro tempore illo Symbolum erat necessarium.

Ad VI. Etsi Patres multas reddiderint rationes, a quibus dixerunt motos fuisse Apostolos, ut Symbolum conderent; illæ tamen, etsi inter se variæ, nullo modo fuerunt invicem contrariæ, & oppositæ; unde nequit ex ipsarum varietate inferri, quod intendunt Adversarii, quamvis ex contrarietate, & oppositione ipsarum, si quæ fuisset, inferri legitime potuisset.

Ad VII. Per hæc verba respondet Natalis Alexander, loco nuper citato: „ Quid „ enim refert ad rei veritatem, quo tempo„ re facta sit? Præterea Doctores editum „ Symbolum ab Apostolis arbitrantur, im„ mediate ante illorum dispersionem. Ter„ tio, retorquetur argumentum contra „ Hæreticos, ipsi enim non conveniunt de „ tem-

„ tempore, quo ab Ecclesia Romana editum est, ut ipsi contendunt. Alii enim quarto seculo, alii quinto conditum volunt; alii ab iis ipsis, qui Canones Apostolorum conscripsere. Quarto verius illud Apostolis tribuimus, cum a nullo Concilio, a nullo Pontifice, a nullo Authore conscriptum legamus, secundum præclaram illam S. Augustini regulam lib. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* „

Ad VIII. Verbis hisce respondet P. Boucat: „ Distinguendo minorem: Et illa diversitas contigit ex eo quod Ecclesiæ Symbolum integrum nondum habebant, concedo: ex eo quod non sit ab Apostolis emanatum, nego. Nec mirum, quod ex traditione habetur, non cito, sed solum successione temporum habetur; maxime ubi de multis articulis agitur. Porro in sola Ecclesia Romana habetur eo ordine, iis sententiis, & iisdem plane verbis, quibus est ab Apostolis traditum. Rationem reddit Rufinus in exposit, Symboli, quia, inquit, nullæ hæreses e Roma eruperunt, & ideo majori explicatione non indiguit: Illud non importune commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta, in Ecclesia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ergo propterea esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium. „

Ad IX. Idem P. Boucat respondet, quod Tertullianus non intendebat describere Symbolum, eo prorsus modo, quo ipsum Apostoli tradiderant; sed volebat tantummodo præcipua Symboli capita proponere, per quæ Praxeæ, Valentini, aliorumque Hæreticorum illius temporis hæreses confutarentur. Unde non mirum, si multa omittit, quæ ad suum intentum non faciebant, & alia silentio præterit, quæ errori suo non favebant; ut est præcipue articulus de Spiritu Sancto, quem deliberate omisit, quia ipse quum esset Montanista, Montanum hæresiarcham Spiritum Sanctum esse, inepte arbitrabatur.

Ad X. Sermo ille, qui laudatur, vel est Augustino suppositus, vel si vere fuit ab Augustino factus, fuit deinde ab aliquo Impostore interpolatus, qui in sermonis contextum verba illa de sententiis ab unoquoque Apostolorum prolatis, intrusit. Hoc ipsum Natalis Alexander cit. a nobis loc. subodoratus est, & sequentibus verbis exposuit: „ Id ex eo conjicio, quod iis expunctis, melius omnia fluant. *Symboli*, inquit, *colligitur brevitate, cujus textum vobis modo, Deo annuente, dicemus*. Expungantur ergo hic duodecim Symboli sententiæ, quæ cum Apostolorum nominibus continuo subjunguntur: apposite sequetur: *Audite ergo, Fratres charissimi &c.* Et post pauca: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, & reliqua, sicut supra*. Author illius sermonis integrum hic apposuit Symbolum, cujus verba ipsa se dixerat proxime subditurum. Sed Exscriptor, aut Typographus, qui id prius contextui inseruerat, ne in ineptam repetitionem incideret, delevit id præter initium, sequentium autem loco reposuit: *Reliqua sicut supra*. Integre enim recitatum esse Symbolum eo loci, tum præcedentia, tum adjuncta ostendunt: Subdit enim illius sermonis Author: *Ergo, dilectissimi, hæc verba non humana, sed Domini Cælestia sunt Sacramenta, quæ in vestris cordibus, ipsius misericordia præstante, resideant*. Postea demum particulatim Symbolum repetit, & difficilioribus sententiis explicationem subdit. Quare is Author primo quidem Symbolum recitavit continua oratione, deinde idem fecit oratione concisa, ac interpretationibus suis interrupta. Parum autem verisimile est in brevi adeo Sermone Symbolum ter fuisse repetitum. Quod ita est, si recitavit primo, ut cognosceretur quam Apostolorum quisque sententiam contulisset; atque inde repetiit, tum recta transiit ad particularem recitationem, eamque explicationibus permixtam. „

Ad XI. Dicitur, quod etiam Ecclesia, vel in Conciliis Generalibus Congregata, vel in suo capite, in Romano scilicet Pontifice, contenta, quando aliquid vult de fide definire, ut prudenter & humano modo se gerat, definiendas controversias peritis Theologiæ Viris committit, ut illas examinent, discutiant, atque omni modo peritiori percurrant: Et nihilominus etiam Ecclesiæ, vel in Conciliis Generalibus congregatæ, vel in suo capite contentæ, Spiritus Sanctus assistit, ne in definitionibus suis in materia fidei, & morum, erret. Igitur non mirum, si Apostoli prudenter etiam volentes se gerere, & humano modo peragere, præmiserunt inter se invicem conventionem de doctrina, quam prædicaturi erant, etiamsi certo scivissent, quod Spiri-

Spiritus Sanctus illis in prædicatione assisteret. Contrarium profecto fuisset tentare Deum, hoc est se periculo exponere discrepantiæ, & contrarietatis, & obligare Deum ad assistendum facto quidem imprudenti, & non humano.

Ad XII. Idem P. Boucat respondet, quod diversitas enunciata in Symbolis respectu illarum Ecclesiarum, contigit ex eo, quod Ecclesiæ illæ Symbolum integrum nondum habebant; non vero ex eo, quod non fuerit ab Apostolis emanatum. Et subdit: „ Nec mirum; quod ex traditione habetur, „ non cito, sed solum successione temporum habetur; maxime ubi de multis articulis agitur. Porro in sola Ecclesia Romana habetur eo ordine, iis sententiis, & iisdem plane verbis, quibus est ab Apostolis traditum. „ At hæc Boucat responsio non placet; quia unaquæque Ecclesia jam a principio fundationis suæ integrum accepit Symbolum ab Auctore suo, qui illam fundaverat. Melius igitur dicendum putamus, vel quod variationes illæ provenerunt ex eo quod Symbolum non scripto, sed ore tradebatur; Unde facile erat in illud verborum mutationes irrepere: vel quod in aliis Ecclesiis hæreses fuerunt, ad quas confringendas verba illa fuerunt Symbolo superaddita: & quia in Romana Ecclesia nullæ unquam obortæ sunt hæreses, hinc fuit, quod in illa integrum Symbolum iisdem plane verbis, quibus illud Apostoli tradiderunt, custoditum omnino fuit. Et hanc pariter rationem idem Boucat subdit ex Rufino in expositione Symboli, scribente: *Illud non importune commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sumsit exordium*. Quæ verba recitans pariter Natalis Alexander citato loco, hæc alia de suo adjecit: „ Et mos inibi „ servatur antiquus, eos, qui gratiam Baptismi suscepturi sunt, publice, idest Fidelium populo audiente, Symbolum reddere: & utique ad adjectionem hujus falsi rem sermonis eorum, qui præcesserunt in fide, non admittit auditum. In cæteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos, addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem sequimur, quem in Aquilejensi Ecclesia, lavacri gratia suscepimus. Porro in sola Ecclesia Romana Symbolum Apostolicum eo ordine, iisque plane verbis, & sententiis, recitatur, quo ab Apostolis traditum est. In aliis vero Symbolis aliqua interdum sunt adjecta majoris explicationis gratia, propter novas hæreses emergentes, quæ tamen in aliis Symboli capitibus implicite, virtute, vel etiam verbis æquivalentibus, continebantur. Unde ex Symbolo Aquilejensi, aut Orientali, colligere non debemus, quid Symbolum Apostolicum habeat, sed ex solius Romanæ Ecclesiæ Symbolo. „

Dicimus II. Solos Apostolos Symbolum condidisse, & quidem in commune consulentes, non vero singulos articulos adjicientes; quod & perfecerunt, Spiritu Sancto sic adjuvante.

Prima pars probatur, quia Orbis partitio ad prædicandum Christi doctrinam, solis Apostolis facta fuit, non vero centumviginti viris, quibus Petrus de novo Apostolo eligendo, orationem habuit. Insuper quotquot Patres, vel antiqui Ecclesiæ Scriptores, Symbolum illud nominant, Apostolorum tantummodo dicunt, non vero discipulorum: ergo signum est, quod Apostoli tantum condiderunt illud, non vero cæteri Discipuli.

Secunda pars probatur. Doctrina Christi fuit omnibus, & singulis Apostolis a Deo inspirata secundum se totam, non vero secundum partem; sed si singuli Apostoli singillatim suam portionem in Symbolo posuissent, doctrina Christi fuisset Apostolis revelata secundum partem, & non secundum se totam: ergo Apostoli omnes in commune Symbolum condiderunt, non vero singillatim, singulis singulas suas portiones ponentibus. Probatur minor. Cuilibet Apostolo fuisset revelata illa pars doctrinæ, quam ipse in Symbolo posuisset: ergo non fuisset revelata vel inspirata doctrina Christi secundum se totam, sed secundum partem.

Tertia pars probatur. Christus Apostolis promiserat se, ducturum eos in omnem veritatem, & iisdem in os ingesturum quodcunque dicerent; sed hæc Dei adsistentia maxime necessaria erat quando iidem de fidei Christianæ Summa convenire debebant: ergo Apostolis Apostolicum Symbolum condentibus Spiritus Sanctus adsistebat. Unde scribebat Rufinus in Expositione Symboli: *Discessuri itaque ab invicem, normam prius futuræ prædicationis in commune constituunt; ne forte ab aliis alii abducti, diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent*.

Ad

Ad quæ verba Venantius fortunatus in præfatione ad Symbolum Apostolicum, quæ legitur tom. 2. Bibliothecæ Sanctorum Patrum, scripsit: *Resurgente Christo, & ascendente in Cœlum, misso Sancto Spiritu, unusquisque quod sensit dicendo condidere, ut discedentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes æqualiter prædicarent.*

Dicimus III. Sententiam negantem Symbolum Apostolicum ab Apostolis fuisse conditum, esse maxime temerariam, non vero hæreticam.

I. Probatur. Sacra Facultas Coloniensis adversus Monhemium declaravit, extra controversiam esse quod Apostoli Apostolicum Symbolum condiderint; sed negare quod extra controversiam est, maxime est temerarium: ergo &c. II. Genebrardus plurimos adducit Patres, hac de re scribentes, & affirmantes, Authores Apostoli Symboli Apostolos fuisse; Unde concludit: *præfractam esse temeritatem, vertere in quæstionem, num Apostoli vere sint Auctores Symboli, quod circumfertur ipsorum nomine.* III. Nullam Ecclesiæ definitionem habemus vel in Conciliis Generalibus, vel a Romano Pontifice factam, qua definiatur Apostolos vere Authores esse illius Symboli, quod ipsorum nomen præfefert; sed sententia, quæ nulli Ecclesiæ definitioni opponitur, nequit dici hæretica: ergo sententia hæc, quanvis maxime sit temeraria, hæretica tamen dici non potest.

Obstant I. Centum illi viginti viri, quibus Petrus de novo Apostolo eligendo, orationem habuit, omnibus rebus a Christi resurrectione habitis, interfuerunt: ergo pariter interfuerunt conventioni Apostolorum, quando Symbolum condiderunt: ergo non soli Apostoli, sed etiam illi centumviginti Viri Symboli conditores dicendi sunt. II. Innocentius lib. 2. mysteriorum Missæ cap. 49. ex eo quod asserit, Apostolos convenisse in unum, ut Symbolum conderent, ne diversa prædicarent, colligit, quod Apostoli Symbolum componentes, unusquisque bolum, idest particulam unam apposuit. En sua verba sunt: *Cum Apostoli forent ad prædicandum Evangelium profecturi, conferentes in unum super articulis fidei, statuerunt, ut sicut omnes erant in una fide concordes, sic omnes unam fidem concorditer prædicarent; & ideo Symbolum componentes, unusquisque bolum, idest particulam unam apposuit.* III. Symbolum potius dicendum videtur, quia ex pluribus sit collectum, quam quia a pluribus; hoc est, quia collectum sit ex diversis Scripturæ locis, vel saltem ex variis Religionis capitibus, non vero quia sit compositum a pluribus, scilicet ab Apostolis: ergo Apostoli non fuerunt veri hujuscemodi Symboli Conditores. Et huic consonat quod scribit Cardinalis Cajetanus in 2. 2. sect. 1. art. *Adverte, quod Auctor, articulos fidei ex parte rei credita enumerandos arbitrans, distinctionem illam famosam juxta numerum Apostolorum præterm sit ea ratione; quod accidit articulis fidei, quod vel ab uno, vel a pluribus sint. Et simile invenies a Symboli nomine, quod non a colligentium, sed collectorum pluralitate definitur eadem ratione; quia scilicet accidit Symbolo pluralitas colligentium, in cujus signum Athanasius solus Symbolum collegit.* IV. Verbum hoc *Apostolicum* huic Symbolo additum, non cogit nos, ut dicamus, Symbolum hoc vere fuisse ab Apostolis conditum; quia potuit dici Apostolicum, vel quia compendium sit Apostolicæ doctrinæ, vel quia contineat verba Apostolorum præ Symbolis aliis, quemadmodum Nicæna Synodus ab Athanasio lib. de incarnat. Verbi Dei, dicitur Apostolica. Potest etiam dici Apostolicum, quia illud acceperunt aliæ Ecclesiæ a Sede Apostolica, hoc est Romana, quam, ut Vossius blaterat, duo Apostoli Petrus & Paulus fundarunt. V. Etsi aliqui Patres Apostolicum Symbolum traditionem majorum appellent, non tamen concorditer & certo dicunt, quod illud vere fuerit ab Apostolis conditum: ergo propositio, quæ negat, nequit dici temeraria, quum non opponatur certo, ac unanimi, Sanctorum Patrum judicio. VI. Et Pontifices Romani plures, & Concilia etiam Generalia non pauca, asseruerunt, Symbolum hoc fuisse ab Apostolis conditum: ergo est de fide: ergo propositio contraria est hæretica.

Respondemus ad I. negando majorem; non enim ex Sacra Scriptura constat, quod illi centum viginti viri omnibus actibus interfuerint, quorum Apostoli denominantur Auctores; & eo magis non interfuerunt actui, de quo loquimur, quia ipsi ad prædicandum Evangelium per Orbem mittendi non erant; Unde & ex hoc cum Apostolis convenire non debebant præcipue ad hunc actum, qui solos Apostolos respiciebat.

Ad II. Potuerunt Apostoli convenire in unum, & non quisque ponere in Symbolo sententiam suam, sed in commune dicere omnes & singuli, quod Spiritus Sanctus

ctus inspirabat illis; itaut omnis sententia & fuerit omnium Apostolorum & fuerit uniuscujusque ex illis. Et in hoc stat peculiaris Spiritus Sancti adsistentia, quod omnes & singuli Apostoli dixerint idem, nemine contradicente vel repugnante.

Ad III. dicitur, quod quando Apostoli Symbolum condiderunt, non erat Scriptura novi Testamenti, ex qua potuisset illud colligi & componi; omnia enim Evangelia & omnes Epistolæ Symbolo huic posteriores fuerunt. Concedimus tamen fuisse compactum ex variis Religionis Capitibus, & quia illam continere debebat Symbolum tanquam in compendio redactam, & quia illam docere & prædicare debebant Apostoli omnibus, qui eadem suscepissent.

Ad IV. Non probavimus Nos, Symbolum hoc vere fuisse ab Apostolis conditum, quia Apostolicum nominatur, sed ex aliis capitibus, quæ in propositionibus exposuimus. Cæterum Symbolum hoc non solum dicitur Apostolicum, sed etiam Apostolorum, quod proximius probare videtur Apostolos fuisse illos, qui ipsum condiderunt. Denique sunt & Patres quoque & vetusti Scriptores qui illud & Apostolicum & Apostolorum nominant, ex eo quia ab Apostolis fuit conditum atque traditum. Vere tamen blaterat Vossius & quando dicit, Petrum & Paulum Romanam Apostolicam sedem fundasse, cujus vere caput non est duplex, sed unum, & quando subdit, Symbolum dici Apostolicum, quia ab Apostolica Sede emanavit.

Ad V. Sat est, ut propositio dicatur temeraria, quod Sanctorum Patrum judicio opponatur, quanvis hoc non sit certum, sed probabile tantum; quia si esset certum, esset de fide, & propositio opposita esset hæretica. Additur, quod nemo ex Patribus negavit, quod cæteri asseruerunt de hujusce modi Symboli Auctoribus; unde fit, quod si cæteri Patres asseruerunt fuisse Apostolos, iisdem assentiri omnino debemus, quia non est alter ex illis, qui hoc inficias eat.

Ad VI. Si quæ Concilia Generalia, & si qui Pontifices Romani, dixerunt, Symbolum hoc fuisse ab Apostolis conditum, hoc non tanquam definiendo & decernendo dixerunt, & tunc tantum de fide fuisset, & oppositum asserere, fuisset hæreticum; sed tantum dixerunt per modum assertionis, vel relationis, vel puræ loquutionis, absque eo quod voluerint vel illud tanquam de fide promulgare, vel fideles ad illud ipsum credendum Ecclesiæ auctoritate obligare.

DISSERTATIO CCLXVI.

De Articulis Fidei. An omnes in Apostolorum Symbolo contineantur? An successu temporis creverint? An secundum temporum diversitatem creverint quantum ad augmentum luminis, & ad firmitatem assensus?

ARticulus, si vim vocis consideremus, a verbo græco ἀρθεῖν deducitur. Verbum autem græcum importat partium quandam inter se coaptationem. Et in hoc sensu dicuntur articuli digitorum partes illæ, quæ ita sunt inter se colligatæ, ut & quandam habeant distinctionem, & actionem quoque propriam exerceant. Res autem, quæ fidei nostræ subjiciuntur, & quæ fidei materiale objectum constituunt, ita distinguuntur, ut distinctos constituant articulos, quæ peculiarem habent credendi rationem. Ponitur pro exemplo; Christum fuisse passum, mortuum, & sepultum, sub uno eodemque articolo comprehendi: Christum vero mortuum resurrexisse, quum peculiarem habeat difficultatem, distinctum articulum exigere; quod docet Du-Hamel. At P. Boucat ex S. Thoma art. 6. scribit, articulum esse coaptationem multorum, quæ habeant connexionem ad invicem, & quæ subsint eidem rationi formali, & dicant ordinem ad unum. Post quæ idem Boucat subdit: „ Sic

„ omnia

„ omnia myſteria fidei ſubſunt revelationi
„ Dominicæ immediate, v. g. Chriſtum
„ fuiſſe paſſum, mortuum, ſepultum, & re-
„ ſurrexiſſe, reſpiciunt unum & idem, ſcili-
„ cet humanitatem Chriſti: cum igitur ob-
„ jectum fidei ſit non viſum, & non viſa
„ ſpeciales complectuntur difficultates. quæ
„ pertinent ad divinitatem Chriſti, & ſpe-
„ ciales quæ ſpectant humanitatem, con-
„ venienter credenda; diſtinguenda ſunt
„ ſecundum diverſos articulos, ne pariatur
„ confuſio in intellectu noſtro, qui propter
„ in materia immerſionem, apprehendit in-
„ diviſa quaſi diviſe, & ſimplicia quaſi per
„ modum compoſitionis. „ At re vera S. Thomas docet, in tot articulos diſtribuenda eſſe, quæ ſunt credibilia noſtræ fidei, quot ſunt ſpeciales rationes in rebus fidei non viſæ; vel, quod idem eſt; quot ſunt ſpeciales difficultates ex hujuſmodi objectorum inevidentia ortæ. Et ideo unus eſt articulus, in quo Chriſtus dicitur paſſus, mortuus & ſepultus, quia hæc non habent ſpeciales difficultates, ſed unam & eandem; contra vero duo ſunt articuli, quibus dicitur mortuus & reſurrexiſſe, quia hæc ſpeciales habent difficultates. Docet inſuper Angelicus, non omnia omnino credibilia debuiſſe in certos articulos diſtribui ac dividi, ſed ea tantum, quæ tenentur omnes communiter expreſſe credere.

Pro eo autem quod dicitur, an omnes articuli in Apoſtolorum Symbolo contineantur? Catholicorum omnium hæc eſt communis, & conſtans aſſertio. At Sociniani, ut præfatus Du-Hamel teſtatur, exiſtimant, alia nobis credenda proponi, quæ in Apoſtolorum Symbolo non contineantur. Falluntur tamen manifeſte, quia omnia, quæ credimus, ſive explicite, ſive implicite, in Apoſtolorum Symbolo ſunt; Unde Ambroſius epiſt. 13. totam fidem noſtram Symboli plenitudinem appellavit. Diſſenſio autem eſt inter Catholicos Scriptores de numero articulorum, qui in præfato Symbolo comprehenduntur; alii enim volunt eſſe duodecim, alii vero eſſe quatuordecim. Qui duodecim articulos conſtituunt, ſex tribuunt divinitati & ejus operibus, ſex vero alios Chriſti humanitati adſcribunt. Inſuper omnes credunt divinæ eſſentiæ unitatem primo articulo comprehendi; at pro Trinitate Perſonarum quidam tres articulos ponunt, alii vero unum; volentes nimirum, quod cognitio Filii in Patris notione, & Spiritus Sanctus in Patris, & Filii fide includatur. Demum qui duodecim articulos numerant, unum tribuunt Unitati eſſentiæ divinæ, & alium Perſonarum Trinitati. Opera autem divinitatis, vel pertinent ad naturam, vel ad gloriam; & ex his quatuor oriri faciunt articulos, quorum primus eſt circa mundi creationem, ſecundus circa noſtram ſanctificationem, tertius circa corporis reſurrectionem, & circa æternam gloriam quartus. Pariter pro humanitate Chriſti ſex alios enumerant articulos; quorum primus reſpicit incarnationem, & nativitatem, ſecundus paſſionem, mortem, & ſepulturam, tertius deſcenſum ad inferos, quartus reſurrectionem, quintus aſcenſionem, ſextus vero ſecundum Chriſti adventum continet. Illi autem, qui quatuordecim articulos fidei ponunt, tres circa Trinitatem conſtituunt, duos de reſurrectione corporum, & vita æterna, & duos alios de incarnatione, & nativitate Chriſti.

Pro illo demum, quod quæritur, an Fidei articuli ſucceſſu temporis creverint? Præſcire oportet fidei augmentum tripliciter conſiderari, primo ſcilicet, quantum ad credendorum multitudinem; ſecundo, quantum ad luminis plenitudinem; tertio, quantum ad certitudinem cognitionis. Prima conſideratio accipi poteſt vel ſecundum credendorum additionem, vel ſecundum eorundem explanationem. Primo modo, objecta credenda conſiderari poſſunt, ut plura vel pauciora uno tempore, quam alio: Secundo modo, quæ objecta proponuntur credenda implicite dumtaxat uno tempore, poſſunt alio tempore proponi credenda explicite, expreſſe, atque diſtincte. Pro ſecunda vero conſideratione dicitur, quod fides poteſt ſuſcipere ſucceſſu temporis novum luminis augmentum, quia quæ antecedenter revelata erant obſcurius, deinde diſtinctius, & apertius revelentur; Et hoc vel per uberiorem doctrinæ illuſtrationem, vel per perſpicaciorem propoſitionem rerum credendarum. Pro tertia vero conſideratione, quæ continet certitudinem cognitionis, fides comparari poteſt vel ad veritatem dictantem, vel ad intellectum aſſentientem, ex quorumquolibet provenire poteſt major cognitionis certitudo.

His omnibus addere quoque poſſumus, quod fides de aliquo objecto haberi poteſt vel implicite, vel explicite. Fides explicita eſt quando credimus aliquod objectum propter ſe ipſum, & non quod in altero contineatur, vel tanquam connexum cum

illo,

illo, vel tanquam sub illo, ut sub universali propositione contentum; quemadmodum est fides implicita. qua credimus plura vel propter eandem motivam credendi rationem, vel propter continentiam, vel propter connexionem quas jam diximus Denique distinguunt pariter Theologi fidei statum, sicuti statum Ecclesiæ distinguunt, quem triplicem esse dicunt, naturæ nimirum, scripturæ, & gratiæ. Primus fuit ab Adamo usque ad Moysen; secundus a Moyse usque ad Christum; tertius a Christo usque ad mundi finem. Pro primo statu, scilicet naturæ, adducunt S. Gregorium, qui homil. 28 in Matthæum, illum in diversa tempora distinguit; scilicet a mundi exordio usque ad diluvium; a Noe usque ad Abrahamum, & ab Abrahamo usque ad Moysen. Et denique in quovis ex his statibus duas hominū classes ponunt; illorum nempe, qui fuerunt Primores, Pastores, & Rectores cæterorum, & illorum, qui uti oves ab illis regebantur, ac instruebantur.

Primo errarunt aliqui, qui dixerunt, Apostolos non percepisse sensum spiritualem Evangelii sed eum pr̄ n.ū omnium agnovisse S. Benedictum, ut ait Joachim, vel S. Franciscum, ut asserit Petrus Joannis; quos omnes communi voce Theologi reprehendunt, & omnino errasse, dicunt.

Secundo alii consultius ac proprius discurrunt, dicentes quod articuli fidei non creverint quo ad substantiam, quia antiqui Patres noverunt ea omnia, quæ nos credimus; omnes enim crediderunt Deum esse, & eundem esse Remuneratorem, in quibus continentur omnia, quæ nos credimus explicite: successu autem temporis aliqua fuerunt cognita, & credita explicite, quæ prius credebantur implicite.

Tertio docent quoque, quod fides quantum ad substantiam credibilium eadem fuit semper implicite in omnibus fidelibus; explicite autem fuit eadem in Primoribus, Pastoribus, ac Rectoribus populi, non vero in cæteris fidelibus, qui tanquam oves Dei gregem constituebant.

Quarto a S. Thoma docetur, quod homines, qui fuerunt Christo viciniores, vel antecedenter, ut fuit Joannes Baptista, vel consequenter, ut fuerunt Apostoli; quo Christo proximiores fuerunt, eo plenius divina mysteria cognoverunt. Quod sane intelligi debet non de omnibus hominibus, qui crediderunt temporibus Christo proximis, sed de quibusdam; nec de fide acquisita per discursus theologicos, sed de fide infusa.

Dicimus I. omnes fidei articulos in Apostolorum Symbolo contineri. Est communis inter Catholicos, & est contra Socinianos, quos diximus.

I. Probatur ex Patribus. Tertullianus in lib. de præscriptione, & in lib. de velandis Virginibus, vocat Symbolum Apostolicum regulam Ecclesiæ, vel regulam fidei; sed in hac regula contineri debent omnes fidei articuli: ergo &c. Probatur major. Hæc sunt verba Tertulliani: *In ea (regula) incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit.* Ambrosius in lib. de Symbolo asserit, Romanam Ecclesiam semper intemeratum custodisse, & servasse Apostolorum Symbolum: *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat.* Hieronymus in Epist. ad Pammachium: *In Symbolo fidei, & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, sed in tabulis cordis carnalibus.* His addi possunt Cyprianus epist. 76. qui adversus omnes Hæreticos scribebat: *Quod si aliquis nobis illud opponit, ut dicat eandem Novatianum legem tenere, quam Catholica Ecclesia teneat, eodem Symbolo, quo & nos baptizare, &c. sciat quisquis hoc opponendum putat, primum non esse nobis unam, & Schismaticis Symboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cum dicunt: Credis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam Ecclesiam? Mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Ecclesiam;* Et Augustinus de fide, & Symbolo cap. I. *Sub his ergo in Symbolo constitutis plerumque Hæretici venena sua occultare conati sunt:* ergo si Hæretici errores suos sub Symbolo occultare conabantur signum est, quod omnibus notum erat, in Symbolo quoscunque fidei articulos contineri.

II. Probatur rationibus. I. Ruffinus Apostolorum Symbolum exposuit primus & ante omnes, & in expositione sua testatus est, quod Romæ ita custoditum fuerit Symbolum Apostolorum, ut nihil ei additum, aut detractum fuerit; & hoc, quia Romæ nulla hæresis ortum habuit; sed si non fuissent in Symbolo omnes articuli fidei contenti, immerito Romana Ecclesia nihil Symbolo addidisset: ergo &c. II. Si non omnes fidei articuli in Apostolorum Symbolo continerentur, Deus Ecclesiæ suæ defecisse videretur in necessariis quia non eam instruxisset de illis, quę in Symbolo defecissent; adeoque aliud Symbolum auctius, & luculentius tradendum fuis-

fuisset; sed hoc nunquam præstitit Deus: ergo signum est, quod necessarium non erat, eo quia in Apostolorum Symbolo omnes fidei articuli continebantur. III. Etsi Ecclesia in Conciliis congregata aliquando novum condere Symbolum visa fuerit, id tamen non fuit, ut novos superadderet articulos, sed ut illos, qui in Apostolorum Symbolo continebantur, latius atque plenius explicaret: ergo ex mente Ecclesiæ omnes fidei articuli plenissime in Apostolorum Symbolo continentur. IV. Quæcunque ab Ecclesia posterioribus temporibus explicite ac expresse definita sunt, jam pridem in Apostolorum Symbolo implicite contenta erant: ergo de fidei articulis nullus præfato Symbolo deficiebat. Et hoc maxime patet, quia & antiqui Patres, & moderni Scriptores quancunque hæresim in Ecclesia subortam ex Apostolorum Symbolo confutarunt olim, & ad præsens etiam impugnant.

Dicimus II. Fidem pro credendorum substantia fuisse eandem implicite in omnibus fidelibus pro quovis tempore; at usque ad statum legis gratiæ fuisse eandem explicite in Primoribus, & Rectoribus, non vero in quibuslibet ovibus, quæ ab iisdem gubernabantur.

I. Probatur ex Scripturis. Joannis 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.* Quibus verbis enunciatur, fidei summam præcipue importare Deum subsistentem in sua divinitate, aut in nostra humanitate: Quod autem hæc fides fuerit in omni Ecclesiæ statu, educitur ex illo Actorum 4. in quo habetur de Christo: *Non est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*: Item ex illo ad Hebræos 13. *Christus heri & hodie, & in secula.* Insuper ad Hebræos 11. legimus: *Sine fide impossibile est placere Deo*, post quæ subduntur hæc alia verba: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator est.* Multi autem in quovis statu fuerunt, qui Deo placuerunt; ergo placuerunt quia crediderunt Deum existere, & esse Remuneratorem. Et quidem hæc est substantia credendorum, scilicet existentia Dei, quæ complectitur Divinam essentiam, & attributa; & ratio Remuneratoris, quæ ad opera exteriora extenditur. Item Apostolus docet, fidem esse substantiam rerum sperandarum; sed res sperandæ in omni statu fuerunt semper eædem secundum substantiam: ergo &c. Minor probatur, quia idem Apostolus subdit: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti* (loquitur de antiquis Patribus) *non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes ac salutantes.* Præterea idem Apostolus 2. ad Corinth. 4. de iisdem antiquis Patribus scribit: *Habentes autem eundem spiritum fidei*: ergo Veteres Patres habuerunt quoad substantiam eundem spiritum fidei, quem nos habemus. Denique Apocalypsis 13. dicitur Christus *Agnus occisus ab origine mundi*; quibus verbis exprimitur sacrificium Christi Domini, quo hominum peccata redimi debebant, fuisse semper Deo Patri præsens in quovis mundi statu, ut illius intuitu ad gratiam hominibus dandam moveretur; unde David Psalm. 21. dicebat: Fideles omnes in quovis mundi statu in ipso Messia spem & salutem suam collocasse: *In te speraverunt Patres nostri, speraverunt, & liberasti eos; ad te clamaverunt, & salvi facti sunt.* Tandem Paulus 1. ad Corinth. 10. hoc ipsum docet: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mare: & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt; bibebant autem de spiritali, consequente eos Petra: Petra autem erat Christus.* Et ad Romanos 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei: Justificati per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.*

II. Probatur ex Patribus. Augustinus ser. 45. in Joannem: *Tempora variata sunt, non fides: mutatus est sonus verbi, veniet aut venit; eadem tamen fides utrosque conjungit.* Et serm. 8. de tempore: *Una est fides novi, & veteris Testamenti.* Quibus verbis docere videtur Augustinus, quantum ad fidei objectum, eandem fuisse Synagogæ, & Ecclesiæ, fidem. Et lib. 1. Retractat. cap. 13. docet, Christianam Religionem fuisse ab initio Mundi, quantum ad rem, quamvis non fuerit quantum ad nomen: *Ipsa res, quæ nunc Christiana Religio nuncupatur, erat & apud Antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse veniret in carnem, unde vera Religio, quæ jam erat, cœpit appellari Christiana. Cum enim post resurrectionem, ascensionemque in Cœlum, cœpissent Apostoli prædicare, & plurimi crederent, primum*

apud

apud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt discipuli Christiani. Nostris ergo temporibus hæc est Christiana Religio, non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit, quam cognoscere, & assequi, securissima est solus. Leo Magnus serm. de Nativitate: *Cessent igitur illorum querelæ, qui, impio murmure divinis dispensationibus obloquentes, de divinæ Nativitatis tarditate causantur, tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi ætate est gestum. Verbi Incarnatio hoc contulit facienda, quod facta; & sacramentum salutis humanæ in nulla unquam antiquitate cessavit. Quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ; nec sero est impletum, quod semper est creditum. Sapientia vero & benignitas Dei hac salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis effecit, ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis, per tot fuerat secula prænuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum; & nativitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus, & antiquior præcessisset, & crebrior. Non itaque novo consilio Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit: sed a constitutione mundi unam eandemque omnibus causam salutis instituit. Gratia autem Dei, qua semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est, Christo nascente, non capta. Et hoc magnæ pietatis sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui in illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum.* Gregorius Magnus homil. 16 in Ezechielem circa medium: *Dei cognitio, quæ in Patribus spiritualibus fuit, nota toti populo Hebræorum non fuit: Nam Omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem, cum Prophetæ prædicarent, populus ignorabat, solum Decalogum tenebat in fide, legem Trinitatis nesciens.*

III. Probatur rationibus. I. Omnium salvandorum pro quovis tempore idem esse debebat finis, & idem medium: ergo omnes salvandi eadem credere debebant, ut salvarentur; sed non omnes eadem explicite, quia non omnibus eadem facta fuerat explicita revelatio: ergo saltem implicite. II. Qui salvi facti sunt, & non habuerunt fidem explicitam omnium articulorum, quæ modo creduntur, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia; sed hoc satis fuit pro illo tempore, ut salvarentur: ergo &c. Probatur minor. Crediderunt Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, & secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus Sanctus revelasset; sed hoc est habere fidem implicitam articulorum, quæ modo creduntur explicite, & ad salutem sufficit: ergo &c. Et hæc est ratio S. Bonaventuræ, quam affert Esthius. III. Christus Dominus dicebat Apostolis Lucæ 10. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges, voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Quibus verbis loquitur Christus de Primoribus Populi, & dicit, quod illi voluerunt videre, & voluerunt audire: ergo crediderunt saltem implicite. Illatio est S. Irenæi lib 4. cap. 24. ubi ait: *Si desideraverunt: ergo in eum crediderunt.* IV. Fides, quæ est ad salutem necessaria, semper debet esse æqualis; sed non fuit æqualis pro omni statu legis naturæ, & scriptæ: ergo signum est quod non fuit fides explicita, sed tantum implicita, quæ quidem inveniebatur in populo pro æqualitate personarum, quum tamen fides explicita esset tantum penes Rectores populi, Patriarchas, Prophetas, &c.

Dicimus II. Fidem habuisse profectum secundum temporum diversitatem, & quantum ad augmentum luminis, & quantum ad firmitatem assensus.

I. Probatur ex Scripturis. Joannis 8. Christus de se ipso dicit: *Ego sum lux mundi:* Isaias autem de ejusdem Christi adventu loquens cap 9. dixerat: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in Regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Unde & idem Christus Lucæ 8. Apostolis dixit: *Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant:* Et Joannis 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et Apostolus ad Ephesios 1. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia, & prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* Ex quibus verbis deducitur, quod fides divina illuxit hominibus veteris Testamenti, veluti sub Auroræ crepusculo; nobis vero affulget, secundum omnem sui luminis plenitudinem.

II. Probatur ex Patribus. Leo Magnus serm. 13. de passione: *Incarnatio Verbi, & occisio ac resurrectio Christi, universorum Fide-*

lium salus facta est : & sanguis unius Justi, quem nobis Pater donavit, quia eum pro reconciliatione mundi credimus fusum, hoc contulit Patribus, qui similiter credidere fundendum .... Nil ergo, Dilectissimi, ab antiquis significationibus in Christiana Religione diversum est, nec unquam a præcedentibus Justis, nisi in Domino Jesu Christo salvatio sperata est, dispensationibus pro divina voluntatis ratione variatis : sed in idipsum coruscantibus & Legis testimonoiis, & Prophetiæ oraculis, & oblationibus hostiarum : quia sic congruebat illos populos erudire, ut quæ revelata non caperent, obumbrata susciperent; & major Evangelii esset authoritas, cui tot signis, totque miraculis, atque mysteriis veteris Testamenti paginæ deservissent. Et serm. 2. de Ascensione: *Quod Redemptoris nostri cospicuum fuit, in sacramenta transivit, & ut fides excellentior esset, ac firmior, visioni doctrina successit: cujus authoritatem supernis illuminata radiis credentium corda sequerentur. .... Hanc fidem Ascensione Domini auctam, & Spiritus Sancti munere roboratam, non carceres, non exilia, non fames, non ignes, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum, non solum viri, sed etiam fœminæ, nec tantum impubes pueri, sed etiam teneræ Virgines, usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia ejecit, ægritudines depulit, mortuos suscitavit. Unde & ipsi Beati Apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamen Dominicæ Passionis expaverant, & veritatem resurrectionis ejus non sine hæsitatione susceperant : tantum de Ascensione Domini profecerunt, ut quicquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium.* Gregorius homil. 16. super Ezechielem : *Per incrementa temporum crevit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses, quam Abraham; plus Prophetæ, quam Moyses; plus Apostoli, quam Prophetæ, in Omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor, si hæc ipsa Scriptura non loquitur : Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Sed hæc eadem, quæ de Adam, Moyse, Prophetis, & Apostolis, diximus, ex ejusdem Scripturæ Verbis, si possumus, ostendamus. Quis etiam nesciat, quia Abraham cum Deo locutus est? Et tamen ad Moysem Dominus dicit. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, & nomen meum Adonai non indicavi eis. Ecce plus Moysi, quam Abrahæ innotuerat, qui illud de se indicat, quod se non Abrahæ indicasse narrabat : Sed videamus si Prophetæ plusquam Moyses divinam scientiam apprehendere potuerint. Certe Psalmista dicit: Quomodo dilexi legem tuam Domine? Tota die meditatio mea est. Atque subjunxit: Super omnes docentes, intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Et iterum : Super Seniores intellexi. Qui ergo legem meditari se memorat, & super omnes docentes se, ac seniores intellexisse testatur, quia divinam legem plusquam Moyses acceperat, manifestat.* Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p 11. cap. 4. *Duo sunt, secundum quæ fides crescere dicitur, cognitio, & affectus : Secundum cognitionem fides crescit, quando eruditur ad scientiam; secundum affectum vero, quando ad devotionem excitatur.*

III. Probatur Rationibus. I., quia, ut docet S. Bonaventura loco superius citato, fides crevit secundum temporum diversitatem; & quidem primo propter clariorem veritatis exhibitionem; secundo propter majorem gratiæ diffusionem; tertio propter instructionem etiam planiorem. Unde subdit Frassen, quod ideo Credentes modo credunt clarius, modo credunt expressius, quia cognoscunt clarius, quam antiquitus cognoscebant; & hoc tum quia veritas est exhibita per Christum; tum etiam, quia Spiritus Sancti gratia amplius diffunditur in Sacramentis novæ Legis, propter Christi meritum, & pretium jam solutum; tum denique, quia nunc fides apertius prædicatur, docetur, probatur, atque defenditur per Christi & Discipulorum ejus evidens documentum. II. Ex eodem Seraphico Doctore, quia fides tripliciter suscipit incrementum, scilicet extensive; quantum ad articulorum explicationem; intensive, quantum ad clariorem illuminationem; & radicative, quantum ad certitudinis & devotionis adhæsionem. Et hoc augmentum, idem Frassen subdit, non solum respicit diversos homines sub diversis statibus, sed etiam sub eadem lege viventes. III. Ex Hugone Victorino, inter Fideles sunt, qui sola pietate credunt, sed non comprehendunt ratione utrum credendum sit, vel non: sunt quoque, qui approbant ratione, quod fide credunt : sunt denique, qui quod fide credunt, & approbant ratione, & purificatæ mentis intelligentia experiuntur. In illis primis sola fides facit electionem illorum, quæ creduntur; in aliis ratio adjungit approbationem; in postremis puritas intelligentiæ apprehendit certitudinem. IV. Ex S. Thoma articuli fidei secundum temporum successionem non creverunt quoad

sub-

substantiam, quia antiqui Patres noverunt ea omnia, quæ credimus nos; Omnes enim crediderunt Deum esse, & eundem esse Remuneratorem, in quibus continentur omnia, quæ nos credimus explicite: at successu temporis fuerunt aliqua cognita explicite, quæ prius non erant. Subdit nihilominus Angelicus in responsione ad 4. quod homines, qui fuerunt Christo viciniores, vel antecedenter, ut Joannes Baptista, vel consequenter, ut Apostoli, quo Christo fuerunt proximiores, eo plenius divina mysteria cognoverunt. Hi autem non fuerunt omnes; qui Christo fuerunt proximi, sed quidam tantum; ut dictum est.

Objiciunt I. Fides Christianorum continetur tota in lege nova, & lex nova continetur tota in lege veteri; quod significatum fuit in verbis illis Ezechielis cap. 1. *Rota in rota*; sed ex hoc sequitur, quod Fideles veteris Testamenti debuerunt habere fidem magis apertam & explicitam, quam Fideles novi: ergo &c. II. Dum variatur objectum, oportet etiam habitum variari; sed ex dictis a nobis Fideles novi Testamenti credunt aliquid, quod a fidelibus veteris Testamenti non fuit agnitum: ergo mutata est fides; atqui hoc est contra Augustinum docentem: *Tempora variata sunt, non fides*: ergo &c. III. Non est alia differentia inter Fideles novæ legis, & Fideles veteris legis, quod fideles novæ legis, quæ de Christo credunt, credunt de præterito; Fideles vero veteris legis credebant de futuro; sed hoc non importat quod articuli fidei successu temporis creverint: ergo &c. IV. Vel loquimur de illis, qui in veteri lege credebant implicite, vel de illis, qui credebant explicite; Primi nullam habuerunt firmitatem assensus, secundi autem habuerunt totam: ergo non est verum, quod articuli fidei secundum diversitatem temporum creverint quantum ad augmentum luminis, & ad firmitatem assensus.

Respondemus ad I. quod quamvis novum Testamentum implicite contineatur in veteri: non ex hoc tamen sequitur, quod veteris Testamenti Fideles habuerint eandem fidem explicitam, mysteriorum omnium, quam nos habemus. Apostolus enim non semel docet, quod illis omnia contingebant in figura, quod satis est ut dicamus, articulos fidei, secundum temporum diversitatem, crevisse quantum ad augmentum luminis, & ad assensus firmitatem.

Ad II. distinguitur major; dum variatur objectum secundum rationem intrinsecam object., oportet quoque habitum variari, conceditur; secundum vero variam ejusdem objecti propositionem, & ejusdem revelationem, aut magis, aut minus explicitam, negatur. Objecta fidei non sunt variata secundum primam rationem, sed secundam, quatenus, quæ prius obscurius proponebantur & explicabantur, nunc distinctius proponuntur, & explicantur.

Ad III. Quæ credimus nos Christiani de præterito, erant fidelibus veteribus credenda de futuro; sed implicite, nos vero credimus explicite, ac distincte; Unde nos credimus explicatius & distinctius, quam Judæi, quia nobis explicatius & distinctius objecta fidei proponuntur, quam Judæis olim proponebantur.

Ad IV. Illi, qui in veteri Testamento credebant implicite, habebant etiam lumen, quo crederent, & quandam pariter assensus firmitatem; sed hæc non erant in eo gradu, in quo sunt in nobis Christianis, qui credimus explicite & expresse; nobis enim per clariorem propositionem objectorum augetur lumen, ac proinde firmiorem assensum habemus.

DIS-

lium salus facta est : & sanguis unius Justi, quem nobis Pater donavit, quia eum pro reconciliatione mundi credimus fusum, hoc contulit Patribus, qui similiter credidere fundendum .... Nil ergo, Dilectissimi, ab antiquis significationibus in Christiana Religione diversum est, nec unquam a praecedentibus Justis, nisi in Domino Jesu Christo salvatio sperata est, dispensationibus pro divina voluntatis ratione variatis : sed in idipsum concurrentibus & Legis testimonoiis, & Prophetia oraculis, & oblationibus hostiarum : quia sic congruebat illos populos esurire, ut qua revelata non caperent, obumbrata susciperent; & major Evangelii esset authoritas, cui tot signis, totque miraculis, atque mysteriis veteris Testamenti pagina deservissent. Et serm. 2. de Ascensione: *Quod Redemptoris nostri cospicuum fuit, in sacramenta transivit, & ut fides excellentior esset, ac firmior, visioni doctrina successit cujus authoritatem supernis illuminata radiis credentium corda sequerentur. .... Hanc fidem Ascensione Domini auctam, & Spiritus Sancti munere roboratam, non carceres, non exilia, non fames, non ignes, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum, non solum viri, sed etiam fœmina, nec tantum impubes pueri, sed etiam tenera Virgines, usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hac fides damonia ejecit, agritudines depulit, mortuos suscitavit. Unde & ipsi Beati Apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamen Dominica Passionis expaverant, & veritatem resurrectionis ejus non sine hasitatione susceperant : tantum de Ascensione Domini profecerunt, ut quicquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium.* Gregorius homil. 16. super Ezechielem : *Per incrementa temporum crevit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses, quam Abraham; plus Propheta, quam Moyses; plus Apostoli, quam Propheta, in Omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor, si hac ipsa Scriptura non loquitur : Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Sed hac eadem, qua de Adam, Moyse, Prophetis, & Apostolis, diximus, ex ejusdem Scriptura Verbis, si possumus, ostendamus. Quis etiam nesciat, quia Abraham cum Deo locutus est? Et tamen ad Moysem Dominus dixit. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. & nomen meum Adonai non indicavi eis. Ecce plus Moysi, quam Abraha innotuerat, qui illud de se indicat, quod se non Abraha indicasse narrabat : Sed videamus si Propheta plusquam Moyses divinam scientiam apprehendere potuerunt. Certe Psalmista dicit: Quomodo dilexi legem tuam Domine? Tota die meditatio mea est. Atque subjunxit: Super omnes docentes, intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Et iterum : Super Seniores intellexi. Qui ergo legem meditari se memorat, & super omnes docentes se, ac seniores intellexisse testatur, quia divinam legem plusquam Moyses acceperat, manifestat.* Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p 11. cap. 4. *Duo sunt, secundum qua fides crescere dicitur, cognitio, & affectus : Secundum cognitionem fides crescit, quando eruditur ad scientiam; secundum affectum vero, quando ad devotionem excitatur.*

III. Probatur Rationibus. I., quia, ut docet S. Bonaventura loco superius citato, fides crevit secundum temporum diversitatem; & quidem primo propter clariorem veritatis exhibitionem; secundo propter majorem gratiæ diffusionem; terno propter instructionem etiam planiorem. Unde subdit Frassen, quod ideo Credentes modo credunt clarius, modo credunt expressius, quia cognoscunt clarius, quam antiquitus cognoscebant; & hoc tum quia veritas est exhibita per Christum; tum etiam, quia Spiritus Sancti gratia amplius diffunditur in Sacramentis novæ Legis, propter Christi meritum, & pretium jam solutum; tum denique, quia nunc fides apertius prædicatur, docetur, probatur, atque defenditur per Christi & Discipulorum ejus evidens documentum. II Ex eodem Seraphico Doctore, quia fides tripliciter suscipit incrementum, scilicet extensive; quantum ad articulorum explicationem; intensive, quantum ad clariorem illuminationem; & radicative, quantum ad certitudinis & devotionis adhæsionem. Et hoc augmentum, idem Frassen subdit, non solum respicit diversos homines sub diversis statibus, sed etiam sub eadem lege viventes. III. Ex Hugone Victorino, inter Fideles sunt, qui sola pietate credunt, sed non comprehendunt ratione utrum credendum sit, vel non: sunt quoque, qui approbant ratione, quod fide credunt; sunt denique, qui quod fide credunt, & approbant ratione, & purificatæ mentis intelligentia experiuntur. In illis primis sola fides facit electionem illorum, quæ creduntur; in aliis ratio adjungit approbationem; in postremis puritas intelligentiæ apprehendit certitudinem. IV. Ex S. Thoma articuli fidei secundum temporum successionem non creverunt quoad

substantiam, quia antiqui Patres noverunt ea omnia, quæ credimus nos; Omnes enim crediderunt Deum esse, & eundem esse Remuneratorem, in quibus continentur omnia, quæ nos credimus explicite: at successu temporis fuerunt aliqua cognita explicite, quæ prius non erant. Subdit nihilominus Angelicus in responsione ad 4. quod homines, qui fuerunt Christo viciniores, vel antecedenter, ut Joannes Baptista, vel consequenter, ut Apostoli, quo Christo fuerunt proximiores, eo plenius divina mysteria cognoverunt. Hi autem non fuerunt omnes; qui Christo fuerunt proximi, sed quidam tantum; ut dictum est.

Objiciunt I. Fides Christianorum continetur tota in lege nova, & lex nova continetur tota in lege veteri; quod significatum fuit in verbis illis Ezechielis cap. 1. *Rota in rota*; sed ex hoc sequitur, quod Fideles veteris Testamenti debuerunt habere fidem magis apertam & explicitam, quam Fideles novi: ergo &c. II. Dum variatur objectum, oportet etiam habitum variari; sed ex dictis a nobis Fideles novi Testamenti credunt aliquid, quod a fidelibus veteris Testamenti non fuit agnitum: ergo mutata est fides; atqui hoc est contra Augustinum docentem: *Tempora variata sunt, non fides*: ergo &c. III. Non est alia differentia inter Fideles novæ legis, & Fideles veteris legis quod fideles novæ legis, quæ de Christo credunt, credunt de præterito; Fideles vero veteris legis credebant de futuro; sed hoc non importat quod articuli fidei successu temporis creverint: ergo &c. IV. Vel loquimur de illis, qui in veteri lege credebant implicite, vel de illis, qui credebant explicite; Primi nullam habuerunt firmitatem assensus, secundi autem habuerunt totam: ergo non est verum, quod articuli fidei secundum diversitatem temporum creverint quantum ad augmentum luminis, & ad firmitatem assensus.

Respondemus ad I. quod quamvis novum Testamentum implicite contineatur in veteri: non ex hoc tamen sequitur, quod veteris Testamenti Fideles habuerint eandem fidem explicitam, mysteriorum omnium, quam nos habemus. Apostolus enim non semel docet, quod illis omnia contingebant in figura, quod satis est ut dicamus, articulos fidei, secundum temporum diversitatem, crevisse quantum ad augmentum luminis, & ad assensus firmitatem.

Ad II. distinguitur major; dum variatur objectum secundum rationem intrinsecam object., oportet quoque habitum variari, conceditur; secundum vero variam ejusdem objecti propositionem, & ejusdem revelationem, aut magis, aut minus explicitam, negatur. Objecta fidei non sunt variata secundum primam rationem, sed secundam, quatenus, quæ prius obscurius proponebantur & explicabantur, nunc distinctius proponuntur, & explicantur.

Ad III. Quæ credimus nos Christiani de præterito, erant fidelibus veteribus credenda de futuro; sed implicite, nos vero credimus explicite, ac distincte; Unde nos credimus explicatius & distinctius, quam Judæi, quia nobis explicatius & distinctius objecta fidei proponuntur, quam Judæis olim proponebantur.

Ad IV. Illi, qui in veteri Testamento credebant implicite, habebant etiam lumen, quo crederent, & quandam pariter assensus firmitatem; sed hæc non erant in eo gradu, in quo sunt in nobis Christianis, qui credimus explicite & expresse; nobis enim per clariorem propositionem objectorum augetur lumen, ac proinde firmiorem assensum habemus.

DIS-

DISSERTATIO CCLXVII.

De veritate objecti fidei. An repugnet, Deum mentiri, tam per se, quam per alium, etiam de potentia Dei extraordinaria? An fidei subesse possit falsum ex parte credentis?

PRimo Priscillianistæ, quorum Author fuit Priscillianus, Episcopus Abulensis in Hispania, erraverunt dicentes, licitum esse non solum mentiri, sed etiam ad tegendum secretum juramento mendacium firmare; unde apud ipsos solemne erat: *Jura, perjura, secretum prodere noli*. Et hanc ipsorum impietatem Catholici omnes execrati sunt, & non semel Ecclesia damnavit.

Secundo ex Scholasticis antiquis nonnulli pauci, licet concederent, Deum de potentia ordinaria nulla ratione mentiri posse, nec falsum dicere, putarunt tamen id fieri posse a Deo de potentia absoluta & extraordinaria, sive per seipsum, sive per alios. Et hi fuerunt Gabriel in 3. distinct. 12. qu. 1. Cardinalis Petrus de Alliaco in 1. qu. 12. Holcot in 2. dist. 5.

Tertio alii non admittunt, Deum posse mentiri, quatenus mendacium significat falsum dicere, cum deordinatione, & malitia morali; Deus enim etsi falsum diceret, nullum malum moraliter committeret, ac proinde non mentiretur.

Quarto aliqui voluerunt, Deum potuisse per alios equivoce, vel amphibologice loqui, quod est proximum mentiri; quia equivocatio est quædam mendacii species, quatenus ordinatur ad decipiendum, & ad ingerendum sensum veritati oppositum, eo fere modo, quo mendacium ipsum ordinatur.

Præmittenda autem sunt aliqua, ut propositis quæsitis recto ordine respondeamus. Et quidem, non esse idem mentiri, ac dicere falsum, ut docet Augustinus in Enchiridio cap. 18. Falsum enim tunc dicitur, quando enunciatur res diversimode ab eo, quod est in seipsa; mendacium vero dicitur, quando enunciatur res diversimode ab eo, quod est in dicentis mente. En Augustini verba: *Melior est, qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quam qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit, ille namque aliud non habet in animo, aliud in verbo; huic vero, qualecumque per seipsum sit, quod ab eo dicitur, aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptum est, quod malum proprium est mentientis*. Unde duplex distinguitur falsitas, materialis, & formalis; prima est in eo, qui falsum dicit, sed non mentitur; secunda vero est in eo, qui mentitur. Deus, quum non possit falsum dicere, quia res omnes intime & certe cognoscit, sequitur, quod si falsum diceit, opus est ut mentiatur. Et quidem ut mentiatur, vel per se, vel per alios; per se, quando ipsemet mentitur; per alios, vel quando alicui præcipit, ut nomine suo dicat falsa pro veris; vel quando aliquem incitat & stimulat per quendam interiorem motum, ut falsa dicat; vel quando in aliquo producit habitum mendacii, seu facilitatem ad mentiendum.

Dicimus I. Deum nullo modo mentiri posse, nec per se ipsum, nec per alios, nec de potentia ordinaria, nec de extraordinaria.

I. Probatur ex Scripturis. Joannis 8. *Qui misit me, verax est*. Ad Romanos 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*. Ad Hebræos 6. *Volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*. At præter hæc novi Testamenti testimonia, habemus aliud veteris, & quidem luculentum, Numer. 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit, & non faciet? Loquutus est, & non implebit?* Quibus verbis aperte afferitur, Deum nec de potentia absoluta & extraordinaria mentiri posse, quia nec de potentia absoluta & extraordinaria potest esse homo, cujus proprium est mentiri. Insuper nec posse dicere falsum, quia aliter mutaretur, ut mutatur homo. Denique

nec

nec posse habere actum mentiendi, nec capacitatem ad illum, ex eo quia aliqui homines non habuerunt mentiendi actum, ut B. Virgo, & Joannes Baptista; habuerunt tamen capacitatem, quia homines erant.

II. Probatur ex Patribus. Athanasius lib. de Incarnat. probat Deum non posse mentiri, quia aliter non esset Deus: *Absurdum est dicere, Deum posse mentiri, si enim dixit, quod perituri sumus, non esset Deus, si non peribimus.* Quod argumentum sic exponit S. Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 12. *Non enim sequitur, justum est mentiri, si Deus vult mentiri; sed potius Deum illum non esse. Nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas; imo quæ deferendo veritatem, corrupta est.* Et addit: *Cum ergo dicitur: Si Deus vult mentiri; non est aliud, quam si Deus est talis natura, quæ vult mentiri; & idcirco non sequitur, justum esse mendacium, nisi ita intelligatur, sicut de duobus impossibilibus dicimus: si hoc est, illud est; quia neque hoc, aut illud est.* Ambrosius epist. 27.: *Impossibile istud non infirmitatis, sed virtutis est, & Majestatis, quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem.* Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 25.: *Deus Omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest. Quam multa non potest, & omnipotens est! Et ideo est Omnipotens, quia non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens, si mentiri, si falli, si inique agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens.* Chrysostomus homil. 1. in Symbolum: *Creditis Deo Omnipotenti, quia posse ipsius non potest invenire non posse; tamen aliqua non potest, utpote falli, fallere, mentiri.* Bernardus serm. de Omnibus Sanctis: *Deus neque falli, neque fallere potest;* atqui neque per extraordinariam potentiam falli potest: ergo neque per extraordinariam potentiam fallere potest.

III. Probatur rationibus. I. Si Deum falsum revelaret, vel hoc esset ex malitia; vel ex ignorantia; non primum; quia Deus est infinite bonus: neque secundum; quia Deus est omniscius: ergo Deus nullo modo potest revelare falsum. II. Deus non potest facere peccatum, nec etiam de potentia extraordinaria & absoluta: ergo nec potest dicere mendacium, nec etiam ex potentia extraordinaria, & absoluta. Antecedens est certum apud omnes; consequentia probatur. Ideo Deus non potest facere peccatum, quia est essentialiter, & intrinsece Sanctus; sed etiam est essentialiter, & intrinsece verax: ergo si non potest facere peccatum, neque potest dicere mendacium. III. Quæ est in Deo perfectio simpliciter simplex, per nullam potentiam, neque extraordinariam, potest a Deo separari; sed summa veracitas est in Deo perfectio simpliciter simplex: ergo per nullam potentiam potest a Deo separari. IV. Si Deus vel per seipsum, vel per alios, posset falsum revelare, nulla esset fides nostra, nullæ essent scripturæ divinæ, & de quolibet a Deo revelato possemus nos jure merito dubitare; sed hoc impium est dicere: ergo, &c. V. Idem est loqui per seipsum, ac loqui per alios, quando alii illius nomine loquuntur; sed Deus per seipsum mentiri non potest: ergo neque per alios. VI. Deus neque per potentiam absolutam potest seipsum destruere: ergo neque per potentiam absolutam potest dicere falsum, vel mendacium; Ratio est, quia aliter non esset Deus, ut communiter docent Patres. VII. Nullum potest excogitari emolumentum a mendacio proveniens, quo non sit majus detrimentum, quod ex ipso provenit; sed Deus nullius detrimenti potest esse Author: ergo nec emolumenti, quod detrimentum majus importet. VIII. Si Deus diceret falsum, & mentiretur, vel hoc faceret ex libertate, vel ex necessitate; non ex libertate, quia Deus non est liber ad malum; quum sit essentialiter impeccabilis, & mendacium est intrinsece malum: neque secundum, quia Deus, quum sit omnipotens, omnino liber, & a quocunque independens, a nemine pati potest, vel necessitatem, vel coactionem: ergo omnino stat, quod nullo modo potest Deus nec falsum revelare, nec mendacium dicere.

Objiciunt I. Deus inducit improbos in fraudem, & in errorem; sed hoc est vel falsum dicere, vel mentiri: ergo Deus aliquando vel falsum, vel mendacium, dixit. Major probatur ex Scripturis. Job 12. *Qui immutat cor Principum, & decipit eos, & errare facit eos, sicut Ebrios.* Unde Apostolus 2. ad Thessalonic. 2. de Deo subdit: *Ideo mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio.* 3. Regum 22. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.* Et ad spiritum mendacii dicit: *Decipies, & prævalebis: Egredere, & fac ita.* Ezechiel. 14. *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Jeremiæ 20. *Seduxisti me, Domine, & seductus sum; Fortior*

tior me fuisti, & invaluisti. II. In Scripturis loquuntur homines quidam, qui Spiritu Dei afflati, mentiti sunt: ergo Deus potest per alios mentiri. Probatur antecedens. Genes.22. Abraham dicebat servis suis: *Expectate hic cum asino: Ego, & puer illucusque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*; sed Abraham non intendebat, quod Isaac esset cum eo reversurus, quia habebat propositum occidendi illum in monte: ergo mendacium dixit. Pariter Genes. 20. dixit uxori: *Dic, quod soror mea sis*; sed hoc erat mendacium, quia erat uxor, non soror; ergo Abraham mendacium uxori suadebat. Similiter Genes.27. Jacob mendacium dixit, quando dixit Patri: *Ego sum primogenitus tuus Esau*. Jonæ 3. Ipsemet Jonas prædicabat: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; & nihiluminus Ninive non est subversa. 4.Regum 2. Isaias Ezechiæ Regi dixit: *Morieris tu, & non vives*; & nihilominus quindecim annis supervixit. III.Equivocatio, & amphibologia est quædam species mendacii, quia ordinatur ad decipiendum, quum sensum veritati oppositum ingerere intendat; sed Deus aliquando, & per se, & per alios, equivoce, & ampbibologice loquutus est: ergo, &c. Probatur minor. Marci 13.de die Judicii interrogatus, respondit: *De die illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius*; & nihilominus ipse sciebat. Item Joannis 7. Dixit Discipulis, quod non ascenderet ad diem festum, & tamen ascendit. Tobiæ 5. Raphael Angelus dixit, se esse ex filiis Israel, & nihilominus Angelus erat. IV. Quæ assumuntur ex Sacra Scriptura, ad nostram conclusionem probandam, vel sunt vera, vel sunt falsa; si falsa, sunt potius contra nos; si vera, eadem adducendo, petimus principium, quia de iisdem redit quæstio, an scilicet in iis includatur mendacium: ergo quum sint in quæstione, non sunt medium aptum ad probandum, quod in quæstione controvertitur. V.Deus potest producere in mente hominis, vel in ipsa phantasia, aliquam speciem, quæ repræsentet objectum aliter, ac est in se: ergo potest saltem hoc modo dicere falsum per alium. Antecedens videtur admitti a S.Toma 3. par. qu. 76. ar.8. ubi docet, quod quando circa species sacramentales fiunt quædam apparitiones; quando scilicet in Eucharistia apparet puer; id fit per mutationem ex parte potentiæ, quia videlicet producitur in oculo videntis species repræsentativa pueri. VI. Nulla adduci valet manifesta implicantia, quo minus Deus possit dicere falsum, saltem per alium: ergo id non debet divinæ omnipotentiæ negari. VII. In scripturis sæpe leguntur quæ sunt inter se contraria, immo & aliquando contradictoria: ergo in altero ex illis Deus, qui est Scripturæ Author, mentitus est. Probatur antecedens. Ezechiel. 18. dicitur, *Filius non portabit iniquitatem Patris*. Et Exodi 20. legitur: *Deus visitans iniquitatem Patrum in Filios usque in tertiam, & quartam generationem*. VIII. In Scripturis quoque habemus, quod aliquando evenit contrarium ei, quod prædixerat Deus: ergo Deus in prædicendo, mentitus fuerat. Probatur antecedens. Genes.4. Cainus Deo dixit: *Ejicis me a facie tua? Omnis ergo, qui inveniet me, occidet me*. Deus autem Caino respondit: *Nequaquam ita fiet*; hoc est, *nemo occidet te*; & nihilominus illum occidit Lamech: *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentem in livorem meum*.

Respondemus ad I. aliquando in Scripturis pro eodem sumi verbum *præcipere*, & verbum *permittere*; quatenus scilicet Deus permittit, ut aliqui in suorum peccatorum pœnam in errorem inducantur. Constat hoc Marci 10., ubi Christo dixerunt Pharisæi: *Moyses permisit libellum repudii scribere*: Et Christus respondit: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud*. En quomodo pro eodem accipiuntur *permisit*, & *præceptum*. Constat etiam Matthæi 19. ubi pariter Pharisæi Christo dicebant: *Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii?* Et Christus respondebat: *Permisit vobis dimittere uxorem*. Ubi pariter pro eodem intelliguntur *mandavit*, & *permisit*. Cæterum decipere, & seducere, non intelliguntur in allatis locis active, quasi Deus mendacium præcipiat, & aliquem in errorem, & falsitatem impellat, atque inducat; sed tantum passive, & permissive, quatenus nimirum Deus in pœnam permittit aliquem decipi, quia non impedit, nec reprimit eum, qui paratus est, ut decipiatur.

Ad II. Augustinus lib. de mendacio cap 1. docet, Abraham verba illa: *Ego & puer revertemur ad vos*: spiritu prophetico dixisse; quatenus scilicet sperabat, quod Deus illum mortuum revocaret ad vitam, ut suæ promissiones firmæ remanerent. Et hoc etiam docuit Apostolus ad Hebræos 11. *Fide Abraham obtulit Filium Isaac, arbi-*

bitrans, quod & a mortuis suscitare potens est illum. Insuper idem Abraham dicens, Saram esse sororem suam, inquit, Augustinus in quæstionibus super Genesim, *veritatem voluit celari, & non mendacium dici.* Vere enim Sara Abrahæ soror erat, quia erat filia Patris; unde ipse Abraham Genes.20. eidem dixit: *Vere soror mea es, filia Patris mei, & non Matris meæ*. Præterea Jacob non mentitus fuit, quando dixit: *Ego sum primogenitus tuus Esau*; quia revera primogenitus erat, & jure divino, quatenus Deus sic decreverat; & jure humano, quatenus primogenituram ab Esau pretio emerat. Denique sunt aliqua Prophetarum vaticinia, quæ aliquando fiunt, vel in comminationem, vel secundum ordinem præsentis providentiæ, vel secundum statum, & cursum caussarum secundarum, qui pro illo tempore est, uti fuerunt comminatio Jonæ ad Ninivites, prædictio Isaiæ pro Ezechia, & alia hujusce modi, ex quibus minime arguitur, nec in Prophetis, nec in Deo falsitas, neque mendacium.

Ad III. Dicitur, quod dupliciter quis potest equivoce, & amphibologice loqui, formaliter scilicet, & materialiter. Primo modo quando intendit, quis significare verbis alium sensum verum, sed diversum ab eo, quem Auditores hic & nunc concipiunt, & significari putant; unde nullæ sunt circumstantiæ, per quas Auditores possint devenire in cognitionem significationis, vel sensus verborum, quem loquens intendit. Secundo modo, quando sunt circumstantiæ, per quas possunt Auditores venire in cognitionem sensus a loquente intenti, sed non deveniunt, vel quia verba non percipiunt, vel quia non bene considerant, & intimius non penetrant. Prima equivocatione, & amphibologia nequit uti Deus & ejus Prophetæ, bene autem secunda, quia hæc mendacium non importat, quod includit prima; & insuper hæc dicit defectum audientis, non loquentis, quem altera includit. Modo ad peculiares casus devenientes, dicimus, Christum usum fuisse equivocatione materiali, quando dixit Apostolis, se nescire diem judicii, quia ex circumstantiis loquentis poterant Apostoli cognoscere, diem illum a Christo fuisse cognitum, sed non revelasse, quia revelare nolebat, non enim sciebat, ut illis revelaret. Insuper Christus dixit, se non ascensurum in templum palam & coram omnibus, ut petebant cognati, ascendisse tamen secreto. Denique mystice verificantur illa omnia, quæ Raphael Angelus utrique Tobiæ dixit; erat enim ex filiis Israel, quatenus erat unus ex electis, qui per filios Israel intelliguntur; & erat videns Deum, quod per Israel importatur; tandem erat Azarias, qui dicitur *Auxilium Dei*, quia per officium suum divini auxilii beneficia Tobiæ tribuerat.

Ad IV. Principium non petimus, quia non asserimus illa Sacræ Scripturæ verba, nisi ut probemus, quod res est de fide, id, quod non supponimus, & probamus. Aliud tamen est rem sic esse, aliud vero est esse de fide, quod res sic sit. Nos ex rationibus probamus, ex Patrum testimoniis, &c. Deum mentiri non posse; ex Scripturis vero probamus, quod de fide sit, Deum mentiri non posse.

Ad V. Species semper repræsentat objectum, cujus est species, atque adeo semper ex sua natura determinat potentiam ad veram cognitionem. Unde quanvis Deus possit producere in organo sensus speciem aliquam rei ibi non existentis, nihilominus in eo casu ad falsum non inclinaret, quia in ipso sensu exteriore non potest esse falsitas, & intellectus potest corrigere sensum, itaut non judicet ibi esse re vera puerum. In intellectu vero non potest Deus producere se solo speciem repræsentativam objecti alio modo, ac est in se, neque habitum inclinantem ad assensum falsum; sicque Deus nullo modo esset author falsitatis, & deceptionis. Cæterum hæc doctrina S. Thomæ optime comprobatur sententia P. Magnani circa species Eucharisticas, quatenus agendo Christus in sensus, ut ageret puer, si adesset, sensui immittitur species impressa pueri, quæ est ejus actio objectiva, ac proinde quæ puerum repræsentat, & non Christum. Sicuti agendo modo Christus, ut ageret panis si adesset, videtur panis & non Christus, quia actio Christi agentis, ut panis, est species impressa panis & non Christi.

Ad VI. Sufficientissimum fundamentum dicimus esse ad id negandum, & sacræ Scripturæ authoritatem & Dei perfectionum coordinationem, & absurdorum sequelam, quæ necessario admitti deberent, si Deus esset falsitatis author, & mendacii. Cæterum ratio etiam a priori est, quia Deus est Deus; hoc est in omni genere, in omni linea, in omni gradu, perfectissimus. Maxima autem perfectio ei deficeret, si verax non esset.

Ad VII. Ezechiel loquitur de pœna æterna,

quæ nullo modo transit in Filios; Exodus vero intelligitur de pœna temporali,quam aliquando Deus transire facit in filios, & in posteros.

Ad VIII. Multa vaticinia, quæ in Scripturis continentur, intelligenda sunt sub conditione, quæ quum verificata non fuerit, nec etiam vaticinia ipsa suum fuerunt sortita effectum. Cæterum Deus non dixit Caino, quod nemo illum occideret, sed quod non occideret impune. Et ita de Lamech indicta fuit ultio: *Per septuplum punietur*. Genes. cap. 4.

Dicimus II. Fidei divinæ,nec etiam ex parte credentis, posse subesse falsum.

I. Probatur ex Scripturis. Actorum 26. *Secundum certissimam sectam nostræ Religionis*. Si ergo fides nostra dicitur certissima,talis est etiam respectu credentis: igitur neque ex parte credentis potest ei subesse falsum. Insuper 2. ad Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum*. Si certus est qui credit, & de iis, quæ credit, & de illo, cui credit, impossibile est, ut ex parte credentis fidei suæ possit subesse falsum.

II. Probatur ex Concilio Tridentinum sess. 6. cap.9.hæc docet: *Quilibet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*. Quibus verbis dicitur, fidei divinæ non posse subesse falsum ex parte credentis, quia credens est qui credit certitudine fidei, cui non potest subesse falsum.

III. Probatur ex Patribus. Basilius in Moral. regula 80. cap.21. *Fides est certissima animi expletio de divinorum veritate verborum*; ubi & veritas Divini Verbi asseritur, & certitudo animi credentis affirmatur. Chrysostomus homil. 21. in cap. 11. ad Hebræos: *Fides dici non potest, nisi cum circa ea, quæ non videntur, certitudinem quis habuerit, amplius quam circa ea, quæ videntur*; quibus verbis importatur major certitudo in credente, qui non videt, quam in eo, qui videt. Bernardus epist. 190. *Fides non est opinio, sed in veritate certa subsistit*. Igitur si assensus fidei est certus ex parte credentis, est etiam verus; quia certitudo importat adhæsionem firmam intellectus assentientis, & connexionem necessariam assensus ipsius cum objecti propositi veritate; ac proinde si assensus non potest esse verus, neque poterit esse certus. Unde si assensus fidei ex parte credentis necessario debet esse certus, necessario etiam ex parte ejusdem debet esse verus; proindeque fidei divinæ neque ex parte credentis potest subesse falsum.

IV. Probatur rationibus. I. Fide divina credi non potest illud, quod Deus revelare non potest; sed Deus non potest revelare falsum: ergo fidei divinæ ex parte credentis non potest subesse falsum. II. Virtus, quæ sit vera, non potest inclinare ad aliquid, quod sit malum, per se; sed assensus falsus est per se malus: ergo non potest ad illum inclinare fides divina, quæ est vera virtus. III. Si fidei divinæ posset ex parte credentis subesse falsum, hujuscemodi falsitatis Author esset Deus; sed hoc dici non potest: ergo &c. Probatur major. Si habitus primorum principiorum inclinaret ad falsum, hujus falsitatis caussa esset Deus, quia ipse est qui tribuit habitum illum, ut Author naturæ: ergo etiam si fides divina inclinaret ad assensum falsum, falsitatis illius esset caussa Deus quia Deus est, qui fidem divinam infundit, ut Author gratiæ. IV. Si fidei divinæ possit subesse falsum ex parte credentis, vel hoc esset, quia nobis proponeretur aliqua revelatio tanquam divina, quæ non esset talis, vel quia fides ferret intellectum ad præbendum assensum conclusioni, quæ inferretur ex duabus præmissis, quarum una esset de fide,alia vero naturalis & falsa, quam tamen putaremus esse veram; sed in neutro casu hoc potest esse: ergo &c. Probatur minor. In utroque casu assensus, quamvis putaretur verus, re vera tamen esset falsus: ergo in utroque casu fides divina nos ferret in assensum falsum; atqui hoc ex præcedenti conclusione fieri non potest: ergo &c. V. Ex vero nequit sequi falsum: ergo sicuti si per discursum, ex eo quod prima veritas dixit, inferremus rem ita esse,in hoc assensu non posset esse falsitas; ita etiam de facto non potest esse falsitas in assensu fidei, qui sine discursu innititur eidem motivo formali omnino infallibili. VI. Ille assensus falsus, qui putaretur verus, vel esset meritorius, vel non esset? Si secundum: ergo non esset assensus fidei divinæ, qui semper est meritorius: Si primum, sequeretur, quod nos mereremur apud Deum vitam æternam per falsitatem, quod dici non potest, nec debet.

Arguunt I. De fide tenemur credere Concilia Generalia, debite congregata, fuisse legitima; sed fieri potuit, ut non fuerint veri Episcopi, qui illis interfuerunt, vel propter defectum Baptismi, vel propter defe-

defectum ordinis : ergo per fidem divinam possumus credere illud, quod a parte rei falsum est. II. Fide divina pariter credimus hostiam consecratam esse adorandam; & tamen potest esse falsum, quod hostia sit valide consecrata, vel ratione defectus intentionis ministri, vel defectu prolationis verborum, vel sacerdotalis characteris defectu: ergo per fidem possumus credere falsum. III. Doctrina sophistica, quanvis sit a Deo, inclinat tamen ad falsitatem & errorem: ergo pariter fides divina, quanvis sit a Deo, inclinare potest ad assensum falsum. IV. Non implicat, quod aliarum virtutum supernaturalium, & moralium, actus versentur aliquando circa aliquod objectum fictum & falsum: ergo neque implicat, quod fides divina inclinet ad assensum falsum ex parte credentis. Probatur antecedens; quando scilicet jejunamus, putantes esse præceptum jejunandi, quod non sit; vel quando solvimus ex justitia, quod ex justitia non debemus; vel quando veneramur ut Sanctum aliquem hominem, qui est perversus. V. Potest aliquis Episcopus proponere Populo sibi subjecto aliquod tanquam fide divina credendum, quod tale non sit; immo quod sit omnino falsum; sed in tali casu Rustici saltem ex populo illud crederent fide divina: ergo tunc fidei divinæ subesset falsum ex parte credentis. VI. Potest saltem Deus caussare in intellectu assensum falsum, sive actualem, sive habitualem; quum possit producere in intellectu creato vel actum erroneum, vel habitum ad productionem hujusmodi actuum inclinantem: ergo saltem in hoc casu fidei divinæ subesset falsum ex parte credentis.

Respondemus ad I. de fide quidem esse Concilia Generalia debito ordine congregata esse legitima, sed non esse de fide, quod hoc aut alterum Concilium sit debito ordine congregatum, ac proinde legitimum sit dicendum. Etenim pro hoc, aut altero Concilio evidentia habet locum, quod fuerit a Summo Pontifice congregatum, quod sub ejus præsidentia perstiterit, & quod Episcopi omnes qui composuerunt illud, fuerint veri & legitimi Ecclesiarum Pastores, pro talibus a tota Ecclesia habiti, qui in illo actu unanimi consensu universalem Ecclesiam repræsentarunt. Hæc autem evidentia, quæ convincit præsentes de illius Concilii legitima authoritate, suadet etiam aliquos, qui sequuntur, ut idem de Concilio illo teneant. Cæterum hypothesis illa, quæ in argumento fit; nunquam eveniet, quia Deus nunquam deseret Ecclesiam suam; quam sane desereret, si permitteret Episcopos illegitimos esse, vel per defectum baptismi, vel per defectum Ordinis, vel alio ex quocunque defectu. Et eo vel magis, quia Deus pollicitus est infallibilitatem Conciliis Generalibus legitime congregatis, ac recto ordine convocatis.

Ad II. Fides divina præcipit, hostiam rite consecratam esse adorandam, sed non jubet ut credamus, quod hæc vel illa hostia sit rite consecrata, ac proinde ut hæc, vel illa hostia in particulari adoretur. Cæterum nos prudenter credimus hanc, vel illam hostiam fuisse valide consecratam, quando videmus eam consecrasse Sacerdotem, de cujus ordinatione nullum est dubium, & de cujus intentione, aut de aliis ad consecrationem requisitis, nullum habemus prudens motivum, ut dubitemus. Sicque semper stat, quod quum fides præcipiat hostiam valide consecratam esse adorandam, non vero hanc, vel illam hostiam, de qua potest aliquando dubium esse, nunquam vere dici possit, quod fidei divinæ, neque ex parte credentis, possit subesse falsum.

Ad III. Negat Frasen, quod doctrina sophistica inducat in errorem per se, quanvis concedat, quod inducit in errorem per accidens. Et explicans suam distinctionem, hæc subdit: „ Doctrina enim sophistica per se solum ordinatur ad detegendas, & cavendas discursus & ratiocinationis fallacias, ne videlicet quis, verisimile pro vero accipiens, decipiatur: Unde per accidens est, quod qui novit illam doctrinam, ea utatur ad fallendos, & decipiendos minus cautos; & consequenter si quæ per illam doctrinam fiat deceptio, potius erit refundenda in ipsum docentem, quam in doctrinam. „

Ad IV. Idem Frasen negat paritatem, & disparitatis hisce verbis assignat: „ Ratio disparitatis est inter virtutes intellectuales, & morales, quod illæ versantur circa verum; unde tota earum perfectio consistit in conformitate cum objecto, a quo veritas, aut falsitas in intellectu immediate desumitur: at vero virtutes voluntatis, seu morales, versantur circa bonum propositum; & earum perfectio non consistit in conformitate cum objecto, prout est a parte rei, sed prout proponitur per rationem: tunc enim operatur bene voluntas, quando sese conformat dictamini ratio-

„ tionis, sive internum objectum sit re vera „ bonum, vel non, a parte rei. Unde virtus „ voluntatis potest interdum versari circa „ falsum repræsentatum ab intellectu, ut „ bonum verum, quia tunc conformatur „ suæ regulæ, nempe dictamini rationis; „ virtus autem intellectualis non potest „ versari circa falsum; sic enim non con- „ formaretur cum sua regula, quæ non est „ alia, quam veritas objecti. „

Ad V. Si daretur unquam casus ille, qui in argumento proponitur, Rudes de populo, qui Episcopo insanienti crederent, non crederent fide divina, sed fide humana. Et ratio est, quia fides divina est virtus intellectualis, quæ semper tendit in objectum verum, quemadmodum virtus moralis semper tendit in objectum bonum. Si ergo deficit veritas in objecto, non est amplius fides divina, sed humana; ac proinde Rudes illi de Populo non crederent, quæ Episcopus enunciaret illis, tanquam essent a Deo revelata Ecclesiæ, & ab Ecclesia illis proposita, sed solum ut ab Episcopo illis dicta, & sub sola ipsius Episcopi auctoritate.

Ad VI. Asserunt Suarez, Medina, Coninch, Turrianus, aliique, quod Deus non potest infundere habitum erroris; adeoque etiam tenent, quod non possit infundere erroris actum immediate. Vasquez vero, aliique pauci, volunt Deum de potentia absoluta posse se solo infundere tam actum, quam erroris habitum, ex hypothesi quod actus vitalis possit produci a solo Deo sine ullo potentiæ concursu. Smisingus defendit, quod Deus possit quidem infundere habitum erroneum, non vero actum. Arriaga denique, Poncius, & secundum aliquos, etiam Vasquez, docent non repugnare Deo infundere tam habitum, quam erroris actum, supposito quod non repugnet Deum per se solum, & sine ullo concursu potentiæ, posse producere vitalem actum. Hæc omnia referuntur a Frassen, qui ultimæ sententiæ cum Scotistis suis subscribit. At nos hypothesim illam impossibilem putamus; tum quia actus ille esset vitalis, & non vitalis; vitalis quidem, ut dicitur; non vitalis vero, quia re vera non dependeret a potentia vitali, quum ab ipsa non produceretur, quia produceretur a solo Deo, ut Adversarii supponunt. Insuper, si a solo Deo produceretur: ergo soli Deo tribuendus esset error ille, quem contineret, & includeret. Denique accidens illud, productum a Deo, inhæreret potentiæ tanquam subjecto, a qua non esset productum, & esset actio realiter distincta ab agente, a quo denominative tantum diceretur dependens, non vero reipsa, quatenus tota, ut in se est, a Deo dependeret. Quæ quidem omnia in principiis nostris nullum possunt habere locum.

DISSERTATIO CCLXVIII.

De obscuritate Fidei. An Fides theologica necessario habeat annexam obscuritatem, tam ex parte objecti, quam ex parte subjecti? An evidentia revelationis sit compatibilis cum obscuritate fidei?

Nomine obscuritatis intelligimus inevidentiam, & illud dicitur obscurum, quod ex perspecta necessaria prædicati cum subjecto connexione non innotescit; illud vero dicitur evidens, quod continet claram & perspicuam objecti veritatem, quæ ex prædicta connexione innotescit. Et quemadmodum duplex est evidentia, ita etiam obscuritas est duplex. Evidentia quidem primo est duplex, scilicet ex terminis, & ex principiis; Prima consistit in clara connexione prædicati cum subjecto, quæ habetur sine discursu; altera vero, quæ habetur per discursum. Ulterius evidentia altera est intrinseca, altera extrinseca; Prima est illa, quæ habetur per caussam a priori; secunda vero per caussas a posteriori. Denique obscuritas est pariter duplex, scilicet alia quæ est ex

parte.

parte objecti, & quæ eſt ex parte ſubjecti. Prima reſpicit objectum formale, ſeu medium, cui innititur, & conſiſtit in eo, quod medium illud, quamvis efficiat cognitionem certam, non tamen efficit claram, perſpicuam, & intuitivam. Secunda vero ſe tenet ex parte ſubjecti, ſeu ex parte intellectus, in quo eſt fides; & conſiſtit in eo, quod intellectus credat quidem Deum, & quæ Deus revelat, ratione divini ejus teſtimonii, tamen Deum ipſum, & quæ ipſe revelat, non videt. Modo ergo quæritur, an fides theologica, quæ ut eſt certa, ita etiam debet eſſe obſcura, ita neceſſario habeat obſcuritatem annexam, ut ſit obſcura, tam ex parte objecti, quam ex parte ſubjecti?

Primo ſcribuntur Manichæi, & poſt ipſos Petrus Abailardus, Franciſcus de Marchia, & ſecundum aliquos Raymundus etiam Lullius, qui voluerunt, aſſenſum ipſum fidei eſſe cognitionem omnino evidentem, atque adeo objectum fidei eſſe evidens per ipſam fidem.

Secundo Alexander de Ales, Albertus Magnus, Altiſiodorenſis, S. Bonaventura, Durandus, Gabriel, voluerunt, idem ſecundum idem poſſe ſimul credi fide divina, & cognoſci evidenter per demonſtrationem.

Tertio Thomiſtæ plures poſt Petrum Lombardum exiſtimarunt, implicare omnino, etiam reſpectu potentiæ Dei abſolutæ, ut ſit cognitio fidei ſupernaturalis, ſimul cum cognitione evidente de eodem objecto.

Quarto alii Theologi voluerunt, id non poſſe contingere naturaliter, poſſe tamen contingere de potentia Dei abſoluta. Verum nos ad Diſſertationem noſtram, & ad illud, quod in ejus titulo exprimitur, devenientes

Dicimus I. fidem theologicam neceſſario habere annexam obſcuritatem, tam ex parte objecti, quam ex parte ſubjecti.

I. Probatur ex Scripturis. 1. ad Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*: ergo ne evacuetur fides, neceſſe eſt ut non veniat, hoc eſt ut non videatur. Ad Hebræos 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*: ergo fidei objectum ita debet eſſe obſcurum, ut non appareat. & fidei ſubjectum ita debet in obſcuritate ſua permanere, ut non videat. Et denuo 1. ad Corinth. cap. 13. *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: ergo obſcuritas quæ ſignificatur per ænigma, ita debet eſſe in objecto, & in ſubjecto, ut illud nullo modo videatur, & hoc nullo modo videat.

II. Probatur ex Patribus. Author libri de myſtica theologia, qui Areopagitæ tribuitur cap. 1. *Non niſi per ſacræ caliginis tenebras humanæ mentes nec poſſunt, nec debent divina contemplari myſteria*. Chryſoſtomus homil. 22. in Epiſt. ad Hebræos: *Si fides eſt argumentum eorum, quæ non videntur, quid eſt, quod vultis ea videre, ut exeidatis a fide?* Auguſtinus tract. 4. in Joannem: *Fides eſt credere, quod non videtur*. Et ad illa Joann. 14. *Vado parare vobis locum*, addit: *Eat, ut videatur, lateat, ut credatur*. Et tract. 19. in Joannem: *Hæc laus fidei, ſi quod creditur, quod non videtur, ſecundum illam Domini ſententiam, quando diſcipulum arguit, dicens: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt*. In eodem loco loquens de S. Thoma Apoſtolo, addit: *Non hoc credidit, quod vidit, ſed aliud vidit, aliud credidit: vidit enim hominem, credidit Deum*. In eodem quoque loco: *Nam quid magnum eſt, ſi id creditur, quod videtur?* Gregorius Magnus homil. 2. in Evang. *Quæ enim apparent, jam non habent fidem, ſed agnitionem. Hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri*. Bernardus lib. 5. de conſiderat. cap. 3. *Fides eſt voluntaria quædam certa prælibatio, necdum propalata veritatis*. Leo Magnus ſer. 2. de Aſcenſ. *Magnarum hic vigor eſt mentium, & valde fidelium lumen eſt animarum incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitui, & ibi figere deſiderium, quo nequeas inferre conſpectum*.

III. Probatur Rationibus. I. Nequit fides diſtingui a ſcientia, & a viſione beatifica, niſi per obſcuritatem: ergo neceſſario fides debet includere obſcuritatem, tam ex parte objecti, quam ex parte ſubjecti. Probatur antecedens. Scientia habet evidentiam in principiis, & in Concluſionibus; & viſio beatifica habet illam in ſuo objecto, tum formali quod, tum formali ſub quo: ergo ut diſtinguatur fides a ſcientia, & a viſione beatifica, nullam debet habere evidentiam, ſed obſcuritatem, tam ex parte objecti, quam ex parte ſubjecti. II. Fides nequit ſtare cum eo, quod tollit difficultatem credendi; ſed evidentia, ſeu non obſcuritas, tollit difficultatem credendi: ergo cum evidentia, ſeu cum non obſcuritate, nequit ſtare fides: ergo neceſſario ſtare debet cum inevidentia, & obſcuritate, tam ex parte objecti, quam ex parte ſubjecti. III. Ideo in Patria locum non habet fides, quia in Patria videmus ea, quæ credimus

dimus in via: ergo a pari in via, ubi locum habet fides, nequit locum habere evidentia, quæ habet locum in Patria: ergo in via locum habet obſcuritas. IV. Fides tota innititur revelatione: ergo ejus actus talis eſt, quale eſt medium, vel motivum, per quod in objectum tendit; atqui hæc eſt divina revelatio, quæ eſt omnino inevidens, & obſcura: ergo inevidens etiam & obſcurus omnino debet eſſe actus fidei. V. Actus fidei eſt meritorius; ſed talis non eſſet, ſi non eſſet obſcurus, tam ex parte objecti, quam ex parte ſubjecti: ergo utroque modo eſt obſcurus. Minor eſt Gregorii Magni hom. 26. in Evang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio prebet experimentum.* VI. Fides, & viſio beata, maxime inter ſe diſtinguuntur; ſed non diſtinguuntur ratione objecti formalis quod, quia hoc utriuſque eſt idem objectum: ergo diſtinguuntur ratione objecti formalis ſub quo; ſub quo ſcilicet fides & viſio feruntur in ſuum objectum formale quod, quatenus fides percipit illud obſcure, viſio vero beatifica intuitive.

Arguunt I. Adducti Patres intelligi debent, quod non per idem motivum, vel medium, attingatur objectum a fide, ac percipitur a ſcientia, & a viſione beatifica, ſed per aliud, & diverſum: ergo ipſorum mens eſt, quod poſſit ſtare evidentia cum fide, quamvis per unum medium, ſeu motivum, ſtet fides, per aliud vero evidentia. II. Per obſcuritatem intelligitur negatio viſionis & evidentiæ; ſed per negativum nequit conſtitui poſitivum: ergo per obſcuritatem nequit conſtitui fides. Et revera aliquod poſitivum ſunt, tam actus fidei, quam ejus objectum; & inſuper aliquod negativum eſt negatio evidentiæ, & viſionis. III. Si quis haberet evidentiam revelationis ſibi factæ, jam actus fidei, quem eliceret, non eſſet obſcurus: ergo ſaltem in hoc caſu poſſet ſtare cum actu fidei evidentia; atqui hic caſus non ſolum eſt poſſibilis, ſed fuit etiam de facto: ergo &c. Probatur minor ſubſumpta, & quidem de pleriſque Prophetis, qui evidentiam revelationis habuerunt, exemplum eſt in Davide 2. Regum cap. 23. dicente: *Dixit Deus Iſrael mihi: locutus eſt fortis Iſrael, dominator hominum, juſtus dominator in timore Dei; ſicut lux auroræ, oriente ſole, mane abſque nubibus rutilat, & ſicut pluviis germinat herba de terra.* Et de Apoſtolis, & de Evangeliſtis loquitur Joannes epiſt. 1. cap. 1. *Quod audimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ .... teſtamur & annuntiamus vobis &c.* IV. Quanvis evidentia ſit lux, fides tamen ex Patribus etiam eſt lumen; ſed duo lumina poſſunt ſtare ſimul: ergo non repugnat, quod cum fide poſſit ſtare evidentia: ergo non includit neceſſario obſcuritatem. V. Primus Angelus, exiſtens in via, habuit a Deo immediatam revelationem illorum, quæ credere debebat per fidem, & inſuper cognoſcebat hoc evidenter, quia ſciebat, non eſſe alium Angelum ſupra ſe, & ſciebat etiam, Deum mentiri non poſſe: ergo actus fidei ſuæ fuerunt cum evidentia, & ſine obſcuritate. VI. Beatus in Patria credit futuram hominum reſurrectionem, quia ſcit, Deum illam revelaſſe: ergo eliciendo actum fidei, quoad hoc, habet ſimul fidem, & evidentiam.

Reſpondemus ad I. quod Adverſarius ad aliam tranſit quæſtionem, nimirum, an poſſit idem objectum credi per fidem, & videri per ſcientiam, circa quam nos in ea ſumus ſententia, ut hoc ipſum affirmemus, dummodo motivum ſit aliud ex parte fidei, & aliud ex parte ſcientiæ, & actus ſint omnino diverſi. Sed controverſia de qua loquimur, non eſt hæc; eſt autem, an ad fidem ita requiratur obſcuritas tam ex parte objecti, quam ex parte ſubjecti, ut minime dici debeat actus fidei, qui obſcurus non eſt? Et de hoc Sancti Patres loquuntur, & nobis favent. Si ſenſus autem illorum eſſet ille, quem Adverſarii obtendunt, ridiculus omnino eſſet, quod non eſt dicendum; idem enim eſſet, ac ſi dicerent: Id, quod videtur, quatenus creditur, non videtur, & quatenus videtur, non creditur.

Ad II. Quanvis obſcuritas per vocem negativam exprimatur, re vera tamen quid poſitivum eſt, quatenus importat revelationem rei, quæ per ſcientiam non attingitur, & per fidem ſolummodo creditur. Et hoc non mirum, quia plures ſunt res, quæ re vera poſitivæ ſunt, & nihilominus negativis nominibus exprimuntur.

Ad III. Concedimus caſum, quem arguens ſupponit; ſed in hujuſmodi caſu eſſet evidentia extrinſeca, non intrinſeca, hoc eſt, evidentia revelantis, non vero evidentia rei revelatæ. Sicque quanvis mihi evidenter conſtaret, Deum mihi revelare immortalitatem animæ, & Deum, qua Deus eſt, mentiri non poſſe, non per hoc tamen præciſe ego cognoſcerem animam eſſe immortalem.

Ad IV. Fides dicitur lumen a Patribus; non

prout

prout est in se, & formaliter, sed præsupposfitive; quatenus scilicet ex motivis evidentibus credibilitatis præsupponit divinæ revelationis cognitionem, supra quam addit hoc certum & evidens judiciū, quod adhærere debemus iis, quæ nobis Deus revelat. Cæterum non desunt, qui negent, in rigore fidem esse lumen, quia positam supponunt fidem in cæco intellectus assensu, qui prudenter ex credibilitatis motivis a voluntate imperatur.

Ad V. Sunt qui respondent non fuisse evidens primo Angelo, quod Deus non poterat dicere falsum de supernaturalibus mysteriis; & ob hoc, subdunt, quod reprobi Angeli non crediderunt, & in obstinatione sua perierunt. Nos tamen dicimus cohærenter ad illa, quæ nuper respondimus, in primo Angelo fuisse evidentiam attestantis, hoc est evidentiam extrinsecam, non vero evidentiam rei attestatæ, hoc est evidentiam intrinsecam, quæ est illa quæ vere pugnat cum obscuritate, quæ ad fidem theologicam est necessaria.

Ad VI. Assensus ille Beati in Patria non fundatur in testimonio divino, secundum quod habet rationem testimonii, quod requiritur ad actum fidei; sed fundatur in illo, tanquam in objecto primario, in quo videntur alia objecta secundaria eodem actu visionis omnino evidentis; & ideo actus ille non exstat ut fidei, sed ut visionis.

Pro secunda vero Dissertationis parte præsupponit P. Boucat, evidentiam esse triplicem, objectivam scilicet, subjectivam, & alteram, quæ se tenet ex parte loquentis. Evidentia objectiva habetur, quando objectum de se patet; Subjectiva vero quando potentia clare videt objectum; altera vero, quæ se tenet ex parte loquentis, est, quando videtur ut loquens, & proponens veritatem. Evidentia objectiva stare potest sine evidentia subjectiva, quia potest aliquod prædicatum esse de ratione objecti sui, sed quod a nobis ut tale non cognoscatur. Insuper evidentia in attestante potest esse sine aliis duabus, & est, quando Mathematicus proponit demonstrationem geometricam alicui imperito, qui de illius scientia certam habet cognitionem, sed mathematices est prorsus ignarus. In hoc quidem casu iste talis geometricæ demonstrationis evidentiam haberet, sed non objectivam, neque subjectivam, sed tantum evidentiam, quæ dicitur in attestante.

Dicimus II., Evidentiam revelationis cum obscuritate fidei compati posse. Est communis apud Du Hamel, contra Durandum, aliosque paucos; inter quos adnumerantur a Mastrio Suarez disp. 3. sect. 8. pun 3. Turrianus disp. 8. dub. 1. Coninch disp. 9. dub. 8. Hurtadus disp. 27. sect. 1. Lugo disp. 2. sect. 1.

I. Probatur ex Scripturis. Exod. 3. Deus loquebatur ad Moysen in rubo, & nihilominus Moyses nesciebat, quod Deus ad eum alloqueretur: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Moyses vero dixit ad Deum: *Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. Si dicant mihi: Quod est nomen ejus? Quid dicam eis?* Dixit Deus ad Moysen: *Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* In quo quidem casu evidentiam habuit Moyses in attestante, hoc est evidentiam revelationis, non vero evidentiam rei revelatæ, quatenus obscura ei remanserunt quæcunque in colloquio illo revelaverat ei Deus. Insuper Isaiæ 9. vidit Isaias Deum, qui sedebat super thronum excelsum, & elevatum, at non ideo intuitive vidit, vel Trinitatis, vel Incarnationis mysterium, quod ei in colloquio illo revelatum est. Unde S. Thomas cohærenter ad hæc scribebat hic qu. 5. art 2. *Si aliquis Propheta prænunciaret in sermone Dei aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando; ex hoc signo convinceretur ille intellectus videntis, ut cognosceret manifeste, hoc dici a Deo, qui non mentitur, licet illud futurum, quod prædicitur, in se evidens non esset; unde per hoc ratio fidei non tolleretur.*

II. Probatur Rationibus. I. Cum evidentia revelationis compati potest obscuritas tum objectiva, tum subjectiva; sed hæc utraque obscuritas sufficit, uti est necessaria, ad fidem theologicam: ergo cum evidentia revelationis compati potest fides theologica. Probatur major. Per hoc quod credens clare videat, Deum revelare mysterium Eucharisticum, non per hoc ipsum tamen videt Christum sub speciebus panis, vel vini, exsistentem, quæ est evidentia objectiva; & neque per hoc intellectus ejus videt connexionem prædicati cum subjecto in hoc, quod creditur de hujusmodi Sacramento: ergo non habet evidentiam neque objectivam, neque subjectivam. II. Etsi adsit evidentia in attestante, veritas tamen revelata remanet eo modo obscura, ut erat prius in credente;

te; sed hoc sufficit ad fidem: ergo fides stare potest cum evidentia in attestante. Probatur major. Veritas revelata remanet intrinsecus obscura, etsi adsit evidentia in attestante; sed prius erat etiam intrinsecus obscura, & nihilominus credebatur per fidem; ergo remanet obscura, ut erat prius. III. Potest mihi esse evidens testimonium, quod mihi reddit aliquis homo de aliqua re; sed non per hoc est mihi evidens res ipsa, quam testis ille mihi testatur: ex. gr. Cajus mihi testatur, se vidisse Lutetiæ Parisiorum equestrem statuam Ludovici Magni in Platea, quæ dicitur Victoria, & esse opus numeris omnibus absolutum. Ego jam video, & scio testimonium Caji de percelebri illo simulachro; at non per hoc video simulachrum ipsum, neque illius ullam habeo speciem, quæ mihi ipsum tanquam de præsenti repræsentet: ergo pariter potest quis habere fidem theologicam de mysteriis revelatis, quanvis habeat evidentiam revelationis. IV. Prophetæ, qui ex mysteriis fidei aliqua prænuntiarunt, non per hoc illa prænuntiando, amiserunt fidem, quam de iisdem prius habebant: ergo bene compati possunt in uno eodemque intellectu, & evidentia revelationis, & evidentia fidei. V. Assensus, qui datur propter evidentiam attestantis, non fundatur in principiis intrinsecis rei, neque in effectibus, qui ab ea procedunt, neque in aliqua specie, seu similitudine illius rei, sed fundatur tantum in testimonio extrinseco rem ipsam testificante: ergo si res in seipsa non cognoscitur, neque in ejus effectu, neque in ejus similitudine, semper in se manet obscura. VI. De fidei theologicæ essentia tantum est, ut nitatur authoritate dicentis, sive evidenter constet de dicente, sive non: ergo si semel habemus, quod assensus fidei nitatur authoritate revelantis, semper est assensus fidei divinæ, sive evidens nobis sit authoritas revelantis, sive non. Et quidem assumptum patet paritate fidei humanæ. Possum enim ego assentiri alicui propositioni naturali, quæ mihi inevidens est, propter auctoritatem Doctoris, quem Ego in summa veneratione habeo, & quanvis sciam Doctorem illum mihi rem ipsam dicere, non per hoc tamen res ipsa, seu propositio, sit mihi evidens, quanvis ob authoritatem prædictam certa reddatur.

Opponunt I. Ab evidentia in attestante caussatur evidentia rei attestatæ; sed cum evidentia rei attestatæ nequit componi fides: ergo pariter nequit componi fides cum evidentia in attestante. Probatur major. Si fiat hoc argumentum: Quicquid revelat Deus verum est; sed Deus revelat sub speciebus Eucharisticis contineri verum Christi corpus: ergo verum est sub speciebus Eucharisticis contineri verum Christi corpus: Duæ præmissæ sunt evidentes, & continentur in evidentia attestantis: ergo pariter conclusio, quæ ex illis infertur, evidens est; sed conclusio continet evidentiam rei attestatæ ergo evidentia attestantis caussat evidentiam rei attestatæ. II. Actus fidei est liber, & non necessarius, adeoque ab imperio voluntatis dependet; sed quando est evidentia in attestante, actus fidei est necessarius, & non liber: ergo nequit actus fidei componi cum evidentia in attestante. Probatur minor. Supposita evidentia in attestante, intellectus absque voluntatis actu necessitatur ad assensum: ergo supposita evidentia in attestante, actus fidei non est liber, sed necessarius. III. Fides theologica fundatur in revelatione Dei: ergo hæc revelatio debet esse necessario obscura; sed si revelatio esset evidens, fides fundaretur in fundamento, vel medio evidenti: ergo non esset actus fidei. IV. Nulla evidentia, nec extrinseca, nec intrinseca, potest simul stare cum obscuritate fidei: ergo nec etiam evidentia in attestante, quæ est evidentia extrinseca. V. Nequit fides stare simul cum demonstratione a posteriori; sed demonstratio a posteriori habet evidentiam extrinsecam: ergo nequit fides compati cum evidentia in attestante, quæ est evidentia extrinseca. VI. Revelatio ingreditur rationem objecti formalis fidei; sed quando objectum formale fidei est evidens, etiam est evidens objectum materiale ejusdem: ergo supposita evidentia attestantis, habetur etiam evidentia rei attestatæ; sed cum evidentia rei attestatæ nequit componi fides: ergo nec pariter componi potest cum evidentia in attestante.

Respondemus ad I. In præfato Syllogismo non bene deduci consequens; non enim inferri debebat: ergo Christi corpus contineri sub speciebus eucharisticis, verum est: sed potius: ergo verum est testimonium Dei, quod Christi corpus sub speciebus eucharisticis contineatur. Et hoc pacto evidentia semper remanet extrinseca, & nunquam fit intrinseca; semper stat, quod sit evidentia in attestante, & nunquam fieri potest, quod sit evidentia

rei

rei atteſtatæ. Cæterum inevidentia fidei nunquam tollitur per evidentiam atteſtationis divinæ; quia inter atteſtationem divinam, & rem ipſam atteſtatam ſecundum se, nulla eſt intrinſeca connexio.

Ad II. In Syllogiſmo propoſito in primo argumento certum eſt, quod neceſſitatur intellectus ad concluſionem, quam deduximus nos, non vero neceſſitatur ad illam, quam adverſarii deducunt; videlicet neceſſitatur ad affirmandum, quod verum ſit teſtimonium Dei de exiſtentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus euchariſticis, non vero quod verum ſit, aut evidens, Chriſtum ſub ſpeciebus euchariſticis contineri; Unde quum hæc propoſitio ſemper remaneat in ſeipſa obſcura, inde eſt quod intellectus ſemper remanet liber ad aſſentiendum ei, & nunquam ad aſſenſum dandum ab evidentia neceſſitatur.

Ad III. Diſtinguitur minor ſubſumpta; fides noſtra, facta illa ſuppoſitione, fundaretur in evidenti medio extrinſeco, non habente intrinſecam connexionem ex ſua natura cum re atteſtata, conceditur; in evidenti medio, habente cum ea ex ſe intrinſecam connexionem, negatur. Unde ſemper remanet res revelata inevidens inevidentia, quæ ſufficiat ad fundandum aſſenſum obſcurum fidei; hæc enim inevidentia nunquam tollitur per atteſtationis evidentiam.

Ad IV. Verum eſt, quod evidentia rei in ſeipſa ſimul cum fide ſtare non poſſit, & quod res ipſa, quæ revelatur, ſemper ignota remaneat; ſed nihil obſtat, quod nobis de ipſa revelatione evidenter conſtet. Ad quæ hæc ſubdit Du-Hamel: „ Fieri igitur poteſt, ut nobis evidenter „ conſtet, rem nobis eſſe revelatam, quæ „ licet in ſeipſa vera ſit, tamen id non cernimus; illud enim ex teſtimonio Dei tantum exploratum habemus, neque objectiva illius veritas percipitur: objectum quippe ipſum, circa quod verſatur fides, „ ſemper obſcurum manet, tametſi objectum, cui credimus, evidens eſſe poſſit. „ Angelus cum eſſet in ſtatu viæ, non fide, „ ſed ſcientia quadam illuſtratus, de Deo „ revelante certus fuit: ſed Trinitatem ipſam, & beatitudinem ſupernaturalem, fide ſola, non intellectus acumine, perſpectas habuit. Veritas itaque illa, quæ revelat, nobis obſcura eſſe debet, quanvis „ declaratio ipſa clara ſit. *Id videtur*, ait „ vir illuſtriſſimus (Huetius) *ſignificaſſe*, „ *nubes illa, ex qua Deus Hebræos alloquebatur*. Clara quippe erat allocutio, Deus „ vero, qui loquebatur, abſconditus, *atque Hebræi prona fide id credebant*.„

Ad V. negatur paritas; ratio eſt, quia inter cauſſam, & effectum, intrinſeca eſt connexio, unde cauſſa videtur in effectu, & effectus omnis exprimit cauſſam ſuam; proinde videntes effectum, non credimus exiſtere cauſſam, ſed ſcimus. Diverſa tamen eſt ratio in revelatione, quia ex revelante audimus, non videmus rem ipſam, quæ revelatur. Nec de teſtimonio Dei loquentis dubitamus, captivamus tamen intellectum in obſequium fidei, & non ſcimus, nec videmus, rem ita eſſe, ſed tantum proprie credimus. A primo ad ultimum res manet in ſeipſa obſcura, intellectus noſtri ſuperans omnem vim, quia non eſt per ſe connexa cum teſtimonio, quanvis ex teſtimonio recte inferatur ejus exiſtentia.

Ad VI. negatur minor; falſum enim eſt, quod ex evidentia atteſtantis inferatur evidentia rei atteſtatæ; quod nos nuper pluries diximus, & probavimus.

DISSERTATIO CCLXIX.

De credibilitate mysteriorum Fidei. An Christianæ Fidei mysteria sint credibilia? An sint evidenter credibilia? Ex quibus motivis, & argumentis, sint credibilia, & evidenter credibilia?

ALIA est scibilitas, alia est credibilitas; scibilitas enim petitur a mediis intrinsecis, & necessario cum re demonstrata connexis: credibilitas vero ex testimoniis extrinsecis petitur. Et quia testimonia hæc vel sunt universalia, & quæ non possunt rejici, vel sunt peculiaria, & quæ non sunt ita sufficientia, ut apud omnes ponderent; hinc est, quod duplex constituitur credibilitas, evidens nimirum, quæ a primis testimoniis formatur, & inevidens, quæ formatur a secundis. Certum est, quod Sanctus Thomas 3. par. qu. 42. art. 4. ad 2. aperte docet, ea, quæ subsunt fidei, esse evidentis credibilitatis. Docet pariter, quod illud dicitur evidenter credibile, quod est hujusmodi, ut de ipso possimus evidenter judicare, quod sit revelatum a Deo, atque adeo credendum, ut a Deo revelatum. Quo posito, quæritur, an de rebus fidei haberi possit hujusmodi evidentia, qua nobis sit evidens, non ipsa veritas fidei, sed credibilitas ipsius veritatis; ut enim aliquid sit evidenter credibile, non est necesse, ut sit evidens res ipsa revelata, sed testimonium Dei revelantis. Denique aliud est aliquam propositionem esse evidenter credibilem, & aliud esse evidenter veram. Hæc secunda evidentia importat manifeste videre veritatem propositionis illius, quia quum scientia procedat per principia intrinseca, & caussas, vel per effectus, qui necessario a caussis suis dependent, inde est, quod posita evidentia principiorum, vel caussarum vel effectuum, statim veritatis evidentia manifestatur. Prima vero evidentia importat, quod habeatur evidentia, & moralis saltem certitudo, quod aliqua veritas prudenter credi debeat & oppositum ipsius non debeat prudenter credi; immo nec possit probabiliter credi, quanvis interim veritas ipsa, quæ evidenter cognoscitur credibilis, in sua obscuritate permaneat; ut observat Mastrius; qui subdit pariter, per evidentiam moralem intelligi illam, „ Qua aliqua veritas, quæ non est nota ex terminis, nec ex principiis sic notis deducta, nec ab ullo sensu externo percepta, ita tamen intellectui apparet, ut nullam prorsus rationem habeat, vel probabilem dubitandi; imo ab omnibus imprudentissimus judicaretur ille, qui de ea veritate, sic sibi apparente, dubitaret, vel oppositum sentiret; quæ evidentiæ moralis descriptio inde patet, quia ita prorsus se habent, quæ communiter habentur pro evidentibus moraliter, ut verbi gratia, quod sit Roma, respectu eorum, qui nunquam ibi fuerunt; quod olim in ea regnaverit Nero, vel Julius Cæsar, & similia, quæ non viderunt, sed communem opinionem audierunt omnium, illa affirmantium absque ulla contradictione; quod talibus Parentibus nati sumus, in tali loco; quod hæc bona ad nos pertineant, illa ad alios, & alia hujusmodi, de quibus nulla prorsus est dubitandi ratio, nisi quod non sint physice evidentia, aut quod non repugnet physice illa esse falsa. Et in hoc sensu loquendo de evidentia morali, communis est Catholicorum sententia, contra Hæreticos, mysteria nostræ fidei esse evidenter credibilia. „

Dicimus I., Christianæ fidei mysteria esse credibilia, & evidenter credibilia, immo credenda, non solum absolute, sed etiam comparative considerata. Est communis fere omnium Scholasticorum, contra solum Capreolum, qui nimis pueriliter S. Thomæ verba interpretatur, ut mox videbimus.

I. Probatur ex Scripturis. Psalm. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, Nimiam credibilitatem aliqui volunt accipiendam esse pro evidentia; ita ut nimis credibile dici

dici non possit illud, quo datur aliud credibilius; at credibile evidenter est credibilius credibile non evidenter: ergo credibile evidenter idem est ac nimus credibile. Ad Hebræos 2. De fide æternæ salutis hæc scribit Apostolus: *In nos confirmata est, protestante Deo, signis & portentis*. Quæ quidem signa & portenta nimiam efficiunt credibilitatem, hoc est, evidentiam, de qua loquimur. Joan. 15. Christus Dominus dicebat: *Si opera non fecissem Judæis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem & viderunt, & oderunt me*. Post quæ subdit, contra se ipsum odium fuisse conceptum gratis: *Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*. Hoc autem, quod dicitur gratis, idem est ac si dicatur; sine ratione ulla, quæ malitiam excuset. Si autem per opera Christi, & per ejus miracula, non appareret evidenter sola credibilis doctrina ipsius, relinqueretur locus prudenti credibilitati contradictoriæ doctrinæ, atque adeo Adversarii potuissent odisse non gratis, & potuissent pariter doctrinam Christi respuere non sine ratione, malitiam excusante.

II. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. de præscription. Hæreticorum cap. 37. *Qui estis? Quando, & unde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique, Marcion, jure sylvam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio: quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea possessio, olim possidea, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum: sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exhæredaverunt semper, & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos*. Et lib. de carne Christi: *Natus est Christus, non pudendum, quia pudendum est: mortuus est, credibile, quia incredibile: resurrexit, possibile, quia impossibile judicatur. Quid enim est universum Evangelium, nisi mera stultitia, si cum humana ratione conferatur?* Et contra Marcionem: *Assumpsisse Deum quædam sibi indigna, nobis autem necessaria, & ideo jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quam salus hominis*. Justinus martyr in Dialogo cum Tryphone: *Nullum hominum genus est, sive Barbarorum, sive Græcorum, aut eorum, qui plaustris pro domibus utuntur, vel qui domorum usum non habent, apud quos Jesu, qui crucifixus est, nomine, preces & Eucharistiæ omnium rerum*

Creatori non fiant. Chrysostomus serm. 3. Pentecostes: *Peragrarunt Piscatores orbem terrarum, & infirmum cum invenientes, ad sanitatem reduxerunt, & in ruina positum, ad stabilitatem revocaverunt; non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam exigentes, non in eloquentia confidentes; pecunia indigentes, sed regnum cælorum possidentes; non habentes humana solatia, habentes autem Dominum secum. Peragrarunt universum orbem, oves simul cum lupis, & vulneratæ a bestiis non sunt oves, sed magis lupi ad ovium mansuetudinem sunt conversi*. Lactantius Firmianus lib. 3. cap. 25. *Dei præcepta, quia & simplicia, & vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ovem, reddam*. Augustinus lib. 18. de Civit. cap 41. *Auctores nostri sane pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod charum religione esse oporteret: nec tamen ita pauci, ut eorum non miranda sit consensio. Neque enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam litterario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facile quis invenerit, quod inter cuncta, quæ sensere, conveniant*. Et in libro contra Epistolam Manichæi cap. 4. *In catholica Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt, ut eam ex maxima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas, tutissimam facit. Ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica, non creditis, multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio Populorum, atque gentium, tenet auctoritas, miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, veritate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. Tenet postremo ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ipsa Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen Peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum, audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta nominis Christiani charissima vincula recte hominem tenent, credentem in Catholica Ecclesia, etiam si propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas non dum se*

apertissime ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est, quod me invitet, ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio: quæ quidem, si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, præponenda est omnino illis rebus, quibus in Catholica teneor. Si autem tantummodo promittitur, & non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus, Christianæ Religioni adstringit. Richardus Victorinus lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Sane quæ revelata sunt nobis cælitus, tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis confirmata sunt, ut genus videatur esse dementia in his vel aliquantulum dubitare. Utinam attenderent Judæi, utinam animadverterent Pagani, cum quanta conscientiæ securitate, pro hac parte, ad divinum judicium poterimus accedere. Nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus? Domine, si error est, a te decepti sumus. Ista enim in nobis sunt tantis signis & prodigiis confirmata, & talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.*

III. Probatur rationibus. I. Volens Deus ut nos credamus, quæ nobis ipse revelat, debet illa talibus signis indicare, & talibus motivis nos movere, ut evidenter nobis appareat illa fuisse a se ipso revelata; aliter non credentes non posset cum justitia punire: ergo vere Deus fecit nobis nostræ fidei mysteria evidenter credibilia, immo & credenda, non solum absolute, sed etiam comparative. II. Sine evidentia scibilitatis nihil est certo & evidenter cognoscibile, & sine evidentia probabilitatis nihil est certo & evidenter probabile: ergo sine evidentia credibilitatis nihil est evidenter credibile. III. Motiva credibilitatis conferunt ad fidem: ergo debuit Deus illa nobis præbere, ut promoveret in nobis fidem. Probatur antecedens. Illa conferunt ad fidem, sine quibus assensus fidei datus non esset prudenter datus; sed sine motivis credibilitatis assensus ad fidem datus non esset prudenter datus: ergo &c. Probatur major. Quemadmodum non est virtus sine prudentia, ita nec est virtutis actus sine prudentia elicitus: igitur nisi essent motiva credibilitatis, assensus intellectus nostri ad fidem non essent prudenter, sed temerario eliciti. IV. Quanvis motiva credibilitatis non conferant ad fidem per modum caussæ, conferunt tamen per modum necessariæ cognitionis: ergo stat, quod semper conferant. Probatur antecedens. Non conferunt quidem per modum caussæ formalis, quia non sunt formale objectum fidei; neque conferunt per modum caussæ efficientis, quia non determinant mentem nostram ad credendum; ergo conferunt per modum necessariæ conditionis, sine qua revelatio non cognosceretur, & per consequens nemo posset prudenter credere. V. Illud est evidenter credibile, quod probatur, testificatur, ac confirmatur, testimoniis, rationibus, & signis, quæ sint fide digna; sed sic sunt mysteria fidei nostræ: ergo sunt evidenter credibilia. Minor probabitur, adducendo motiva credibilitatis, quod in sequenti Conclusione præstabitur. VI. Motiva fidei nostræ non solum inducunt evidentem credibilitatem nostræ Religionis in se ipsa, sed etiam exhibent evidentem incredibilitatem aliarum superstitionum, quæ sunt contra illam: ergo mysteria fidei nostræ non solum sunt evidenter credibilia absolute, sed etiam comparative. Antecedens clarum apparebit, quando motiva ipsa adducentur.

Objiciunt I. Illa mysteria non sunt evidenter credibilia, quæ creduntur ob alias rationes, quam ob revelationem Dei dicentis; sed mysteria nostræ fidei creduntur ob alias rationes, quam ob revelationem Dei dicentis: ergo non sunt evidenter credibilia. Probatur major. Principes aliquando amplectuntur fidem catholicam, ut alicujus Regni coronam assequantur; Populi catholici fiunt, quia Principes religionem catholicam amplectuntur: ergo &c. II. Si mysteria nostræ fidei essent evidenter credibilia, omnes Gentes nostram fidem amplecterentur; sed hoc est falsum, quia major Orbis pars Christianam fidem nō recipit: ergo &c. III Actus credibilitatis circa mysteria nostræ fidei non est a quo eliciatur: ergo re vera non est. Probatur antecedens. Non elicitur a fide, quæ non supponitur in homine gentili, vel hæretico; neque elicitur a ratione, quia mysteria nostræ fidei omnem rationem excedunt: ergo non est a quo eliciatur. IV. Si mysteria nostræ religionis essent evidenter credibilia, essent quoque evidenter vera; sed non sunt evidenter vera: ergo &c Probatur minor. Si essent evidenter vera, non essent obscura; sed si non essent obscura, ad fidem non pertinerent: ergo non sunt evidenter vera. V. Si fides nostra esset evidenter credibilis, nemo posset eam respuere; sed multi, etiam considerantes credibilitatis nostræ fidei motiva, eam respuunt: ergo fides nostra non est evidenter credibilis. Probatur major. Motiva credibilitatis convincunt in-

tel-

intellectum, ut credat: ergo si sunt intellectus, qui non credunt, motiva credibilitatis non convincunt: ergo quia sunt multi, qui fidem nostram non amplectuntur, inde est, quod fides nostra non est evidenter credibilis. VI. Evidentiam credibilitatis fidei nostræ, si quæ esset, omnes deberent assequi, qui fidem nostram amplectuntur; sed non omnes eam assequuntur, & nihilominus amplectuntur fidem nostram: ergo &c. Probatur minor. Rustici nullo modo cognoscunt evidentiam credibilitatis fidei nostræ, immo nec de ea cogitant; & tamen amplectuntur fidem nostram. VII. Fides nostra continet multa, quæ sunt Deo indigna: ergo non est evidenter credibilis. Probatur antecedens. Docet, Deum esse hominem, fuisse in mulieris utero clausum, ejus lacte enutritum, cruci affixum, mortuum, & in sepulchro repositum; sed hæc sunt Deo indigna: ergo &c. VIII. Si mysteria nostræ religionis essent evidenter credibilia, Philosophi possent illorum possibilitatem naturali lumine cognoscere; sed non possunt: ergo &c. Probatur major. Quod judicatur impossibile, est incredibile: ergo quod judicatur evidenter credibile, judicatur etiam evidenter non impossibile; sed quod non est impossibile, est possibile: ergo judicatur possibile.

Respondemus ad I. quod etsi aliqui Principes amplexi fuerint catholicam religionem, ut alicujus Regni coronam assequerentur, hic tamen non fuit finis primarius illam amplectendi; quod si ipsi pro primario habuerunt, error fuit ipsorum mentis, quæ non ratione, sed passione potius ducta est, ut religionem eligeret. Cæterum quid mirum quod ubi diversi sunt fines, unus præ alio eligatur, & qui est per accidens, & secundarius, per se & primarius fiat? Hoc in cæteris rebus etiam videmus, in quibus eligendis pervertuntur fines, & qui est primarius, vel secundarius evadit vel ita fit, ut ad illum nullo modo attendatur. Per hoc tamen nullo modo fit, quod ille, qui est primarius finis talis non sit. Primarius finis studendi, est erudire mentem; potest tamen quis studere ut lucrum faciat. Quis autem ex hoc inferat, quod primarius finis studendi non sit erudire mentem?

Ad II. dicit P. Boucat, quod sufficiat ad universalitatem Religionis nostræ, ut omnes linguæ, Populi, & Nationes, tenuerint illam, & adhuc teneant. Christiani enim ubique reperiuntur; immo ante Mahumetum totus Oriens, & ultimæ terræ nationes, doctrinæ Apostolorum, & eorum in pastorali officio successorum, adhærebant. At nos dicimus, quod si omnes homines considerarent animo, nec prævento, nec præoccupato, motiva credibilitatis nostræ Religionis, omnes illam amplecterentur. Quod autem non amplectantur, defectus est ex parte ipsorum, vel quod scilicet non advertant motiva credibilitatis fidei nostræ, vel quod a Sectarum suarum præjudiciis occupati, liberam mentem non habeant ad considerandum ea, quæ ipsorum æternæ saluti magis sunt necessaria, vel quod in sceleribus & flagitiis implicati, in pœnam perversitatis eorum, Deus eis deneget lumen, quo videant quæ videnda sunt, & considerent, quæ sunt consideranda.

Ad III. Idem P. Boucat hæc reponit: „ Dico „ actum credibilitatis esse solum objective „ & extrinsece actum fidei, in quantum ter„ minatur ad objectum fidei: Sed non in„ trinsece, tum quia non procedit a fide, „ & a motivo intrinsece supernaturali; unde „ manet procedere a Metaphysica, quæ di„ scurrit demonstrative de existentia Dei, & „ conjecturaliter de aliis mysteriis: nullus „ enim est, qui audiens & videns motiva „ credibilitatis, non faciat aliquem discur„ sum, quo conjecturaliter cognoscat my„ steria nostra esse evidenter credibilia. „ Re vera actus ille est actus rationis; nec valet quod objicitur, quia non est sermo de re revelata, quæ est supra omnem rationis captum, sed de evidentia revelationis, quæ naturali lumine attingi potest.

Ad IV. Cohærenter ad ea, quæ nunc nunc diximus respondet Jueninus „ quod evi„ dentia credibilitatis non tollit obscurita„ tem ab articulo, qui creditur; scilicet evi„ dentia credibilitatis afficit quidem revela„ tionem, seu demonstrat, Deum revelasse „ articulum, qui creditur, sed nequaquam „ afficit objectum revelatum, hoc est, objecti „ revelati naturam evidenter non subjicit „ apprehensioni intellectus: unde licet evi„ denter cognoscamus, Trinitatem nobis „ esse revelatam, illius tamen naturam evi„ denter non cognoscimus. „

Ad V. Idem Jueninus dicit, quod si qui sunt viri acutissimi, qui nostris credibilitatis motivis non moventur, hoc evenit defectu rei, quæ ex parte ipsorum requiritur, non vero evidentiæ motivorum defectu. Et explicans hanc distinctionem subdit, quæ nos in responsione ad I. diximus, verbis hisce: „ Nam 1. homines illi, de qui„ bus argumentum, victi difficultatibus, quas

„ rea

,, res, quæ in nostris mysteriis includuntur, in se ipsis continent, non satis advertunt ad motiva, quibus eorum credibilitas nititur. 2. Rectitudo judicii inordinatis hominum illorum affectibus, & iniquis eorum præjudiciis impeditur. 3. in pœnam peccatorum, quibus se se commacularunt, destituuntur auxilio necessario, ut quis evidentiam motivorum credibilitatis actu percipiat: *Sic enim Judæi*, inquit Augustinus lib. 12. contra Faustum, cap. 44. *noverant illos Christos suos, ut tamen unum sperarent, per quem demum liberarentur; sed excæcati occulta justitia Dei, dum solam ejus virtutem cogitant, infirmitatem, in qua pro nobis mortuus est, non intellexerunt.* ,, An autem judicium illud de credibilitate fidei christianæ sit naturale, idem Jueninus respondet: ,, illud esse naturale, sumptum secundum substantiam: scilicet habet pro objecto evidentiam miraculorum, & aliorum motivorum: quæ quidem evidentia est aliquid ordinis naturalis. At vero judicium, de quo agitur, est supernaturale secundum executionem; tum quod ad salutem conferat; tum etiam quod, ut superius dictum est, difficultates, quæ se tenent ex parte mysteriorum, impediant, ne intellectus ad evidentiam motivorum credibilitatis attendat; tum denique quod iniqua adversus fidem præjudicia, quæ judicii rectitudinem impediunt, sine gratiæ auxilio depelli minime possint. ,,

Ad VI. negatur minor; ad cujus probationem negatur antecedens. Ratio est quia Rustici etiam sine doctrina possunt advertere miraculorum veritatem, quæ in fidei nostræ confirmationem facta sunt, veritatem Resurrectionis Dominicæ, qua Evangelium fuit plenissime confirmatum, Evangelii propagationem, Sectarum dissipationem, & alia multa, quæ sine mentis acumine, & sine doctrinæ præstantia, percipiuntur. Cæterum Rustici se remittunt in fide Pastorum, qui eos docent illa, quæ in fide nostra continentur, tanquam a Deo nobis tradita, & tot credibilitatis signis a Deo confirmata.

Ad VII. Illa, quæ dicuntur Deo indigna, & si ex parte Dei significent depressionem & humilitatem, commendant nihilominus summopere divinam etiam majestatem. Etenim Christus conceptus est, sed ex Spiritus Sancti opera; natus est, at ex Virgine, illæsa virginitate manente; in præsepio positus, at a Regibus adoratus; crucifixus & mortuus, sed terra tremente, sole obscurato, & conturbatis omnibus elementis; in sepulchro clausus, sed tertia die resurgens.

Ad VIII. dicit Frassen,, hanc consequentiam non valere: aliquid judicatur evidenter esse credibile: ergo judicatur evidenter non esse impossibile; sed inferri debet: ergo evidenter judicatur illud non apparere impossibile; ut enim aliquid sit credibile, non est necesse quod judicetur non esse re vera impossibile, sed sufficit, quod ejus impossibilitas non appareat. Unde ad illam regulam Logices: Ab opposito consequentis bene arguitur ad *oppositum antecedentis*, dico, illam dumtaxat intelligi de opposito contradictorio, non vero de opposito contrario: v. g. *Petrus est homo: ergo est animal*; non bene argueretur: *Petrus non est animal: ergo est brutum*, cum tamen brutum sit oppositum hominis, quia nimirum brutum non opponitur homini contradictorie, sed contrarie. Solum ergo potest inferri: non est animal: ergo non est homo; sic enim arguitur ad propositionem contradictoriam antecedentis, seu ad negativam illius. Idem dicendum in præfato argumento. ,,

Dicimus II. motiva credibilitatis nostræ fidei esse puritatem doctrinæ, efficaciam & concordiam, sanctitatem vitæ & morum antiquitatem, nostræ Religionis propagationem, miracula, & martyria.

I. Probatur de doctrina. I. quia Christiana Religio ita sublimiter & perfecte loquitur de Deo, ut de eo non sic loquantur modo Judæi, postquam a vera fide defecerunt, nec unquam loquuti fuerint Gentiles, qui indignis suis sacrificiis scelera adorabant, & Dæmones, ceu Numina, venerabantur, nec pariter loquuti fuerint, aut loquantur Hæretici, qui multa indigna Divinitati tribuerunt & tribuunt. II. apparet etiam efficacia doctrinæ Religionis nostræ, quatenus per eam conversi sunt ad fidem nostram Philosophi plures ex Ethnicis, qui cognoverunt inanitatem suæ scientiæ ad nostram sublimem sapientiam comparatæ; nullus autem ex nostris, qui fuerit vere doctus, Religionem christianam deseruit, ut Gentilium fabulas amplecteretur. III. apparet concordia doctrinæ fidei nostræ & in connexione librorum novi Testamenti cum veteris Textibus, & in consensione Scriptorum Catholicorum in iis, quæ respiciunt substantiam nostræ fidei, & in solutione omnium argumentorum, quæ contra nos congerunt Adversarii nostri, ita ut nos omnes conveniamus in unum, quando illis nos ipsos opponere debemus pro defe-

sione

fione propriæ Religionis; etsi in iis, quæ adiaphora sunt, & quæ Religionis substantiam non spectant, inter nos acerrime digladiemur.

II. Probatur de sanctitate vitæ & morum. I. Quia quovis seculo, immo quovis tempore, in Religione nostra homines sanctitate præstantes, & virtutum laude præcellentes, floruerunt, quod nec in Gentilibus videbatur, nec modo apud Acatholicos videtur. II Quia multi, qui antea in infidelitate scelesti erant, & pessimorum morum, statim ac nostram Religionem amplexati sunt cum fidei veritate, morum etiam sanctitatem induerunt, & Christiani facti sunt non tantum nomine tenus, sed vita, opere, & veritate. III. Quia apud nos virtus afficitur laudibus & præmiis, vitium vero opprobriis & suppliciis; saltem hoc Religio nostra præcipit; apud Gentiles vero adulteria laudabatur & stupra, furta adorabantur & rapinæ, odia in pretio erant & cædes. Quæ omnia sanctitatem nostræ Religionis ostendunt, aliarum vero superstitionum impuritatem ac fœditatem.

III. Probatur de Religionis nostræ antiquitate. Religio nostra & si non sub eodem nomine, sub eadem tamen re, præcessit omnes Judæos, omnes Gentiles, omnes hæreticos. Hæc enim fuit Religio, quam professi sunt vetusti illi homines qui in mundo fuerunt, & quam etiam ipsi eum posteri, qui a vera fide non defecerunt, prosequuti sunt profiteri. Et ob hanc rationem Tertullianus temporis sui Hæreticis objiciebat verba illa, quæ in secunda probatione primæ conclusionis exscripsimus, & quæ ille scripsit in libro de præscriptione cap. 7. & quæ hic tandem rescribere extra rem esse, non judicamus: *Qui estis? Quando, & unde, venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique, Marcion, jure sylvam meam cadis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate Apelles limites meos commoves? Mea est possessio, quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum: sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo, Vos certe exhæredaverunt semper, & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos.*

IV. Probatur de nostræ Religionis propagatione. I. Hæc propagatio facta est brevi quidem tempore, & per totum ferme Orbem; quod quidem sine peculiari Dei auxilio fieri non poterat. Unde Apostolus 1. ad Colossenses asserit, quod suo tempore Evangelium per universum mundum pervagaverat: *Evangelium, quod pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit, sicut & in vobis* Et Justinus Martyr initio seculi secundi scribens in Dialogo cum Triphone, inquit, Sicut nuper retulimus: *Nullum hominum genus est, sive Barbarorum, sive Græcorum, aut eorum, qui plaustris pro domibus utuntur, vel qui domorum usum non habent, apud quos Jesu, qui crucifixus est, nomine, preces & Eucharistia omnium rerum Creatori non fiant.* II. Quia propagatio hæc facta fuit per homines rusticos, viles, & ignaros, & ad illam perduxerunt homines nobiles, clarissimos, ac doctissimos; & nihilominus doctrina, quam prædicabant, carni & sensui implacabile bellum minabatur, dominandi æstum, & acquirendi cupiditatem damnabat, & his omnibus minime obstantibus, homines rustici, viles, & ignari, Philosophis & Principibus prævaluerunt, & christiana Religio parvo temporis intervallo propagata est. III. Quia hæc propagatio facta fuit non vi, non violentia, non potentia, neque armis, neque opibus, neque oblectamentis, sed per injurias & tormenta, per opprobria & cædes, per persequutiones & mortem, & nihilominus de his omnibus, hoc est de Imperatoribus, de Judicibus, de Philosophis, despecti, rudes, & viles, Piscatores nostri triumpharunt.

V. Probatur de miraculis. I. Miracula sunt opus solius Dei; dicitur enim psalm 135. *Qui facit mirabilia solus*; & de Christiana Religione scripsit Apostolus ad Hebræos 2. *In nos confirmata est, contestante Deo, signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus.* Et quanvis miracula Christianorum nullum non moverint lapidem Ethnici ut perturbarent, vel de medio tollerent, aut saltem imminuerent; illis tamen omnibus ora clausit Augustinus, sic contra eosdem arguens, quod & nos quoque alibi recitavimus: Aut miracula, quæ facta sunt in Christianæ fidei propagatione, vera fuerunt, aut non vera? Si vera: ergo Christiana Religio est vera, quia miraculis veris, quæ non nisi a Deo fieri poterant, confirmata est; Si non vera; & quodnam majus miraculum, quam Christianam Religionem disseminari, dilatari, propagari, & ab omnibus fere nationibus acceptari sine ullo miraculo? En verba Augustini orat. contra Infideles, quem refert Frassen; *Cum*

constet, Romanorum imperium, universumque Orbem, tot potentibus viris, Philosophis, Oratoribus, refertum, Christi doctrinæ ante repugnantem, ad eam postmodum fuisse conversum: quæro, an virtute signorum, & prodigiorum, ab antiquis ritibus, dinque observata Religione, in hanc novam & inauditam sit hæc facta mutatio? Si fateberis, mundum ad hanc persuasionem tractum fuisse vi miraculorum, quibus contradicere nequaquam poterat, fateri oportebit, a Deo authore miraculorum, & qui facit mirabilia magna solus, Religionem hanc processisse: Sin autem negas ullis miraculis mundum ad hanc recipiendam fidem fuisse provocatum, negando miracula, ingens miraculum iugeris: quid enim poteſt dici mirabilius, quam Romanum Imperium, totamque Gentilitatem, Religionem, quam tam acriter impugnabant, subvertereque moliebantur, desertis paternis ritibus, nullis visis signis, mirandisque operibus, sponte suscepisse, & in ea retinenda tam constantes fuisse?

VI. Probatur de martyrio. Furebant quidem Gentiles, furebant Heterodoxi, sicut furunt modo Turcæ, & nostrorum temporum Hæretici, pro erroribus suis mortem oppetientes; quod ex Apollinari Nicephorus refert lib. 4. histor. cap. 23. *Plures hæreses de suis martyribus gloriantur, non tamen propterea in eorum sententias imus*: at diversa omnino sunt Christianorum martyria ab Infidelium cædibus, & ea quidem diversitate, ut nostra omne faciant pro nostra Religione argumentum; cædes vero illorum pro suis superstitionibus nullum. Et quidem hoc probatur I ex multitudine Martyrum Christianorum, quæ innumerabilis pene fuit; quum pro sectis rarissimi etiam a Professoribus illarum inveniantur. Hieronymus in epist. ad Heliodorum scribebat, se tantum Martyrum numerum in Pontificum annalibus invenisse, ut si singulorum memoriam celebrare vellemus, singulo quoque die plus quam trium millium deberet celebrari solemnitas. Et Gregorius Magnus homil. 17. in Evangel. Christianos verbis hisce alloquebatur: *Totum mundum, Fratres, aspicite, Martyribus plenus est, jam pene tot, qui videamus, non sumus, quot veritatis testes habemus: Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt; quia quanti sunt a nobis comprehendi non possunt*. II. In Christianis Martyribus admirabantur etiam Gentiles non tantum mortem, sed moriendi desiderium, quod in aliarum Sectarum hominibus nec visum fuit unquam, nec modo videtur. Proinde Tertullianus initio libri ad Scapulam scribebat: *Nos quidem neque expavescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur; cum ad hanc sectam utique suscepta conditione ejus pacti venerimus, ut etiam animas nostras auctorati, in has pugnas accedamus, ea, quæ Deus repromittit, consequi optantes, & ea, quæ diversæ vitæ comminantur, pati timentes. Denique cum omni sævitia vestra concertamus, ut etiam ultro erumpentes magisque damnari, quam absolvi, gaudeamus*. III. est Martyrum Christianorum non solum animi constantia & virtutis robur, sed etiam alacritas in subeunda morte, & in cruciatibus perferendis; & hoc non solum in viris, & in ætate provectis, at etiam in mulieribus, in pueris, in infantibus. Quibus quidem convictus & convincens Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 17. scribebat: *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque, videamus, dubitamus nos ejus Ecclesiæ, condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circum etiam latrantibus: & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate, damnatis, culmen authoritatis obtinuit?.... Quid est aliud, quod tam ingratum poteſt esse opinioni, atque auxilio divino, quam tanto labore prædictæ authoritati velle resistere?*

Opponunt I. Plato, degens in Gentilitate Philosophus, ita bene scripsit de Deo, ut Divini nomen habuerit; Pariter Seneca ita ad rem de moribus loquutus est, ut moralis titulum receperit: ergo etiam in Gentilitate homines congruum, dignum, atque perfectum, de Deo judicium habuerunt. II. Morum rectitudo, ac vitæ probitas, sic admiratione digna visa est in Ethnicis quibusdam, ut omnibus in venerațione fuerit: ergo non est solius Christianæ Religionis character vitæ sanctitas & morum integritas. Probatur antecedens exemplo Scipionis, qui pulcherrimam Carthaginensem puellam ante se allatam, ut pulchritudinis miraculum admiraretur, nec uno intuitu dignatus est inspicere; Attilii insuper, qui in fidelitate fuit omni exceptione major; Aristidis, qui in justitia parem non habuit, &c. III. Gratis asseritur, quod Religio Adæ & Evæ fuerit Religio Christianorum; & dato, quod fuerit, non probatur tamen, quod in posteris permanserit, saltem in omnibus usque ad Moysen, vel usque ad Christum. IV,

Etiam

Etiam Arianismi propagatio brevi temporis intervallo peracta est, & adeo quidem, ut, Hieronymo teste, universus Orbis ingemuerit, se videns Arianum esse. V. Etiam Magi coram Pharaone fecerunt miracula, quæ faciebat Moyses; unde miraculorum effectio Moysi non proderat pro populi sui liberatione. VI. Non sunt pauci, sed plurimi quidem aliarum Sectarum Martyres, qui pro superstitionibus suis subeunt mortem; Et sunt sane tot Turcarum millia, qui in Exercitibus suis pro Religione pugnant, & moriuntur; totque pariter millia Hæreticorum, qui certant pro defensione suorum errorum, & moriuntur; tot denique millia Schismaticorum, qui bellum gesserunt pro erroribus suis sustinendis, ac propugnandis, & mortui sunt.

Respondemus ad I. quod aliud est, quod dicitur de peculiaribus hominibus, aliud, quod dicitur de tota communitate & Secta, quam homines profitentur. Rectum de Deo judicium, quod fortassis habet aliquis homo particularis, non habent cæteri homines, qui ejusdem sunt Religionis, vel superstitionis. Nec judicium illud habuit Plato, habuit Seneca, habuerunt alii, si qui fuerunt, tanquam ab ipsorum Paganismo ipsis propositum, atque dictatum. Christiani vero omnes conveniunt in judicio recto, quod de Divinitate habent, & in regula morum, quam omnes servare tenentur. Cæterum valde dubium est, an Gentiles illi, qui bene de Deo, & de virtutibus scripserunt, ita operati fuerint, uti scripserunt; quum de Seneca præcipue dicatur, aureo calamo ipsum scripsisse, sed deinde ferreo stylo operatum fuisse fere quæcunque operabatur. Denique nec in omnibus Plato bene opinatus est de Deo, nec omnia Seneca de virtutibus recte scripsit.

Ad II. Eadem est responsio; quia illi peculiares homines, qui in exemplum adducuntur, quæ bene operabantur, non faciebant, nec tanquam ab ipsorum Religione dictata, nec tanquam a suis Numinibus operata, nec eo fine facta, ut Deo placerent. Sed omnia faciebant, ut inanem gloriam assequerentur. & ut virtutes illæ ipsorum utilitati, dominationi, ac felicitati, deservirent. Unde nec veræ virtutes fuerunt, quia non æterno præmio dignæ.

Ad III. Hoc tantum erat discrimen inter primorum Parentum Religionem, aliorumque illam sequentium, & nostram, quod quæ nos credimus facta, illi credebant facienda, & quem nos credimus Messiam venisse, illi credebant venturum. Insuper illi, qui de populo erant, in Religione naturæ & in illa Legis scriptæ, credebant implicite omnia, quæ nos explicite credimus; quæ nihilominus Patriarchæ & Prophetæ, aliique de populo Primates, quibus a Deo explicita facta fuerat revelatio, explicite quoque credebant. Nec verum est, quod omnes Adæ Posteri veram Religionem deseruerint, quum in filiis Seth, atque Nepotibus, semper servata fuerit, & differentia tantum erat in nomine, quod ipsorum Religio non appellaretur Christiana, uti nostra vocatur; in re vero omnia credebant, quæ nos credimus, & vitæ sanctitatem sectari tenebantur, uti nos quoque tenemur.

Ad IV. Verba illa Hieronymi sunt per hyperbolim intelligenda, quia re vera Arianismus nunquam sic late patuit, ut Catholica Ecclesia late patebat, & modo etiam late patet; nec in Arianismo fuit unquam consensio doctrinæ, scriptorum conformitas, traditiones constantes, quæ pro Catholichismo afferebantur, & afferuntur. Cæterum Arianismus Imperatorum violentiis suam latitudinem debebat, quam, illis vitam cum morte commutantibus, illico deperdebant.

Ad V. Ipsemet Moyses facto suo ostendit, Ægypti Magorum prodigia inania fuisse, ficta, & falsa; quia serpens, quem Moyses produxit, Magorum omnium serpentes devoravit, & ipse solus vivus remansit. Insuper nec Magi potuerunt in statum pristinum reducere elementa, quæ fuerant antea transmutata; sicut Moyses aquas, quas sanguineas effecerat, aquas denuo reddidit, illis colorem pristinum ac saporem restituendo.

Ad VI. Non est Religionis zelus, qui Turcas, Schismaticos, & Hæreticos, ad bellum vocat, eosque ad mortem inducit; sed potius est irrationabilis, quam Principibus suis exhibent, obedientia cum metu, ac tremore, conjuncta, vel acquirendi, aut dominandi æstus, vel denique furor, aut odium, quo contra Christianos, vel Catholicos, inique & immaniter, exardent. Ac proinde multitudo illorum, qui in Exercitibus pereunt, non est veritatis argumentum pro superstitionibus, quas profitentur. Christiani vero, & Catholici, qui pro Religione bellum gerunt, Deo primum placere quærunt, deinde Principibus, justum bellum præcipientibus, obedire, ac tandem charitate, qua proximum

prosequuntur, moventur ut illos e tenebris eruant, & ad veritatis lumen adducant. Quod si illis accidat mori, a Deo præmium expectant, quod Deus illis impertitur, tanquam pro fide tuenda, & pro Religione dilatanda, mortuis, & pro conversione illorum, qui si veritatis lumen non recipiunt, moriuntur, & pereunt.

DISSERTATIO CCLXX.

De habitu Fidei infusæ. An habitus fidei infusæ sit supernaturalis? An sit qualitas permanens per modum habitus? Et an sit habitus speculativus vel practicus, discursivus vel assensivus, & veram ac perfectam virtutis rationem habens?

PRIMO contra infusionem virtutum theologicarum erravit Petrus Joannis, qui sub Innocentio III vixit, & male docuit, *in Baptismo gratiam, & virtutes, quas theologicas vocant, minime infundi*; propter quos errores damnatus, & exhumatus fuit. Referunt Prateolus, lib. 14. Elenchi hæresum in Petro Joannis, Alphonsus de Castro adversus hæreses, verbo *Baptismus* hæresi 4 & Bzovius tom. 13. Annal. Ecclesiasticorum anno 1199. num. 39.

Secundo Lutherani, & Calviniani, errant, asserentes, in justificatione nihil reale divinitus nobis infundi, & nos justificari solum per peccati non imputationem, ac per extrinsecum Dei favorem, qui in ejus acceptatione consistit. Unde constanter denegant omnem habitum supernaturalem, aut qualitas sit, aut quid aliud, ac omnem virtutem divinitus infusam, quæ nos non solum adjuvet ad supernaturales actus eliciendos, verum quoque facultatem tribuat, ut illos eliciamus. Testatur Frassen tom. 3. Theologiæ tract. 3. de virtutibus theologicis disp. 1 art. 2.

Tertio omnes Catholici Theologi conveniunt, ut admittant habitum fidei supernaturalem, qui confortet, adjuvet, potentiam, ac simul cum ea, tanquam comprincipium, eliciat supernaturales actus fidei; & hoc de fide tenendum esse docent contra Lutheranos, & Calvinianos, quos adduximus. Disputationi autem Theologorum de Schola remissum putant inquirere ac disputare, an hic habitus sit per modum qualitatis, quæ est accidens physicum Peripateticorum, potentiæ inhærens, & cujus esse sit tantummodo inesse; an vero per alium modum, quem ipsi explicant.

Quarto Theologi de Schola, qui Aristotelerum sententias amplectuntur, ac sectantur, mordicus tuentur, hunc habitum esse per modum qualitatis, quæ sit accidens physicum in Aristotelico systemate, a substantia realiter divisum, quodque accidens prædicamentale vocant, cujus esse est tantum inesse ad accidentis prædicabilis differentiam, quod absolute esse suum substantiale habet, & postea dicitur accidens respective, quia alteri inest, & inhæret; ut est vestis respectu hominis vestiti; calceamentum, respectu hominis calceati. Et hanc sententiam Peripatetici omnes Theologi sequuntur.

Quinto Theologi omnes, qui extra Peripateticorum castra deambulant, in ea sunt opinione, ut admittant quidem, esse in anima credentis habitum fidei, ab ipsa anima distinctum, qui intellectum, & voluntatem adjuvet, confortet, & cum eis concurrat ad actus fidei divinæ eliciendos; & hoc contra Lutheranorum, & Calvinianorum errorem; attamen deinde explicantes hunc habitum, dicunt, esse substantiam spiritualem a Deo productam & infusam animæ, cui inhæreat; ratione cujus infusionis accidens quidem dici potest, sed non physicum, bene tamen metaphysicum, vel logicum, nec prædicamentale, sed prædicabile, quum præter illud, quod animæ inhæreat, quod est esse respectivum, hoc est esse ad aliud, habeat etiam esse absolutum, quod est esse in se ipso, quod quidem ad esse respectivum præsupponitur.

Pro rei autem discussione præmittimus I. de fide

fide esse, quod dentur habitus supernaturales, & virtutes infusæ, quæ simul cum baptismate hominibus, sive adultis, sive parvulis, a Deo infunduntur. Et quanvis virtutes etiam dentur, & habitus, qui dicuntur acquisiti, multa tamen est inter utrosque diversitas, quanvis etiam aliqua sit convenientia. Conveniunt quidem, quia uterque habitus ad actus sibi proprios respective concurrunt, quanvis acquisitus, quia est a potentia realiter indistinctus, vix discernere faciat concursum suum a concursu potentiæ distinctum; potentia enim est, quæ concurrit cum majori quidem facilitate ac promptitudine, quando habitum acquisitum retinet, cum minori vero, quando non habet. At habitus infusus, tam in sententia illorum, qui eum dicunt accidens distinctum, quam in aliorum hypothesi, qui eum volunt esse substantiam inhærentem, vere concurrit concursu ab illo potentiæ distincto, quia concurrit ut conprincipium. Differunt vero inter se in duobus; & quidem primo, quod habitus acquisitus præstat potentiæ virtutem facilius agendi, habitus vero infusus dat virtutem simpliciter agendi; quia sine primo possumus quidem agere, sed non ita expedite prompte, & faciliter, ut cum illo agimus; Secundo vero, quod habitus acquisitus continet potentiam intra suæ activitatis fines, & extra illos eam progredi nun facit; infusus vero sic potentiam elevat, ut elicere faciat eam actus, qui sunt extra spheram ipsius; facit enim ut potentia, quæ est naturalis, supernaturales actus eliciat.

Præmittimus II. dupliciter aliquod posse supernaturale dici; primo quoad substantiam, secundo quoad modum. Supernaturale quoad substantiam est illud, quod est tale in sua propria entitate, itaut ipsum nulla caussa naturalis secunda possit producere, quanvis sit debite ad agendum parata & applicata; & quidem nullo modo produci potest, nisi detur caussæ secundæ jam dispositæ, & paratæ ad actus suos naturales eliciendos per generalem Dei concursum aliquod conprincipium, quod eam adjuvet, confortet, & cum ea producat actus illos vel effectus, qui supernaturales vocantur. Et revera potentia naturalis semper indiget concursu Dei, ut producat actus sibi debitos, & connaturales; sed quanvis ad hos sit disposita, & habeat etiam auxilium Dei generale, hoc est generalem concursum, quem ob subjectionem caussæ secundæ ad primam, omnis caussa secunda habere debet; non per hoc tamen est potens, ut sine altero supernaturali auxilio producat actus sibi indebitos, qui sunt superioris ordinis, & sunt supernaturales. Supernaturale vero quoad modum illud est, quod quanvis naturæ viribus fieri possit a caussa secunda, hic & nunc tamen fit a Deo præter, vel potius supra, naturæ exigentiam. Et hujusmodi sunt sanitas restituta infirmo, loquela muto, cæco visio, & cætera hujusmodi.

Dicimus I. fidem infusam esse habitum supernaturalem, & quidem supernaturalem quoad substantiam, non vero de genere qualitatis.

Prima pars Conclusionis I. probatur ex Scripturis. Joannis 6. *Hoc opus Dei est, ut credatis in eum, quem misit ille.* Ad Philippenses I. *Quia vobis donatam est pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ad Hebræos 11. *Sine fide autem impossibile est placere Deo*; atqui multi placuerunt Deo: ergo habuerunt fidem: & quidem a Deo; subdit nanque: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et quod loquatur Apostolus de fide infusa afferunt 1. ad Corinth. 12. *Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Tandem Deus auget fidem nostram: ergo & donat. Antecedens patet Lucæ 17. ubi Apostoli Christo Domino dixerunt: *Adauge nobis fidem.*

II. Probatur ex Pontificibus Romanis. Innocentius III., qui & refertur in cap *majores*: *Illud vero, quod opponentes inducunt, fidem, aut charitatem, aliasque virtutes, parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur absolute, eam propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur, aliis asserentibus per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus dimitti peccatum, & infundi virtutes, habentes illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Viennense, & refertur in Clementina *de Summa Trinitate*: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam, qua dicit tam parvulis, quam adultis, conferri baptismo gratiam informantem, & virtutes, tanquam probabiliorem,*

rem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ, magis consonam, & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. Quæ verba aperte ostendunt fidem infundi, adeoque esse habitum supernaturalem; & quia Concilium rationem desumit ex efficacia mortis Christi, & mors Christi efficaciam suam habet tam pro adultis, quam pro parvulis; inde est, quod approbat sententiam, quam dicit esse conformiorem Patribus, & Theologis, & quæ asserit fidem infundi tam adultis quam parvulis. Idem asserunt Concilium Milevitanum can.4, Arausicanum II. can. 25., & Concilium Tridentinum sess. 6. can.3. & cap.7. ubi postquam enumeravit dispositiones justificationem præcedentes, in ipsis posuit actum fidei, & spei: *Hanc dispositionem, & præparationem, justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio etiam, & renovatio interioris hominis per susceptionem gratiæ, & donorum*. Et infra hæc infert: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia accipit homo simul infusa per Jesum Christum, cui inseritur: fidem, spem, & charitatem*. Concilium Moguntinum, quod annis tantum duobus post Tridentinum celebratum fuit: *Justificatio cum remissione peccatorum, etiam sanctificationem, & interiorem renovationem, confert, quatenus per meritum Christi, quod jam credenti communicat, cum venia peccatorum, Dei gratiam, & per Spiritum Sanctum, una cum fide simul, spem, & charitatem, in corde diffusam, accepit; hisque donis in ipso permanentibus, non solum reputatur, sed vere existit justus*.

IV. Probatur ex Patribus. Expresse hoc ipsum docent Ambrosius lib. de vocatione Gentium cap. ultimo Augustinus lib. *de natura, & gratia* cap.2. 3. & 4. ex quibus concludit Scotus apud Frassen, *quod oportet ponere fidem infusam propter auctoritatem Scripturæ & Sanctorum*; qui & paulo post in eodem loco in III. dist. 23. nu. 14. concludens pariter subdit: *Inde fit, quod non potest demonstrari, fidem infusam inesse alicui, nisi præsupposita fide, quod velit credere Scripturæ, & Sanctis: Sed infideli nunquam ostenderetur; sed sicut credo, Deum esse trinum & unum, ita credo, me habere fidem infusam, qua hoc credo, & hoc a Deo, ut perficiat animam in actu primo, quia Dei est perfecte perficere, quando perficit. Unde sicut quando sanat aliquem secundum corpus, perfecte sanat pro statu, in quo est: ita etiam secundum animam: & quia in anima est imago Dei secundum tres potentias, quæ deformatæ erant per peccatum, ideo Christus reformando, sicut perfecit voluntatem per charitatem, sic intellectum per fidem*. Idem Augustinus lib. de *Spiritu & littera* cap. 32. *Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur; & Domini salus, qua nos salvos facit; & fides Jesu Christi, qua nos fideles facit*. S. Prosper, qui fuit fidelis, & perpetuus Augustini discipulus, in libro *contra Collatorem*, cap. 38. *Charitas ex Deo est diffusa per Spiritum Sanctum in cordibus nostris: hoc de fide, hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia conjugali, hoc de continentia virginali, omnibusque virtutibus, sine exceptione profitemur*.

V. Probatur rationibus. I. Illam doctrinam credendum est fuisse a Conciliis definitam, quam Scriptores, qui Conciliis interfuerunt, testantur, ita fuisse; sed Scriptores, qui Concilio Tridentino interfuerunt, & fuerunt testes oculati & auriti, hoc testantur de fidei infusione: ergo &c. Probatur minor. Vega lib. 7. in Tridentinum cap. 24., qui est fidelis Concilii Tridentini Interpres, quum ipsi interfuerit, docet, de fide esse post Tridentinum infundi virtutem fidei, quæ sit distincta ab actu credendi, & hæc habet: *Visum est huic Sanctæ Synodo acceptare sententiam istam, & asserenti oppositum anathema indicere: intellexit enim, hanc esse communem fidem, tametsi non sub nomine habituum*. Hoc ipsum testatur Sotus, qui pariter Tridentino interfuit lib. de *natura, & gratia* cap. 18. II. Concilia decernunt infundi nobis fidem; sed nequit Concilium intelligi de actu fidei: ergo intelligitur de habitu. Probatur minor. Quod infunditur, a solo Deo producitur; sed actus fidei producitur etiam a nobis: ergo nequit intelligi de actu fidei: ergo intelligitur de habitu. III. Illa fides a Deo infunditur, quæ per peccatum mortale non amittitur, sed tantum amittitur per infidelitatem, ut idem Tridentinum docet cap. 15., & can. 28., ubi definit quod non amittitur fides per peccatum mortale, per quod amittitur gratia justificans; sed amittitur per solam infidelitatem, adeoque post peccatum mortale remanet vera fides; atqui hæc omnia convenire non possunt actui, sed habitui: ergo &c. Probatur minor; quia actus fidei nec amittitur per peccatum, nec remanet idem ante & post peccatum. IV. Tridentinum eodem modo loquitur de infusione gratiæ justificantis, ac de infusione dono-

rum,

rum, ut visum est: ergo sicut per infusionem gratiæ justificantis intelligitur gratia habitualis, ita per infusionem fidei, quæ est unum ex donis, intelligitur fidei habitualis infusio.

Secunda Conclusionis pars Probatur I. Actus fidei est ordinis supernaturalis: ergo produci debet ab habitu supernaturali, & quidem quoad substantiam. Antecedens a nemine negatur. Probatur consequentia. Debet dari proportio inter actum & habitum; sed non daretur inter habitum fidei, & actum fidei, nisi habitus fidei esset quuad substantiam supernaturalis: ergo si actus fidei est supernaturalis, etiam habitus fidei est entitative supernaturalis. Probatur minor Actus fidei ita est supernaturalis, ut nullo modo elici possit sine principio vel conprincipio supernaturali: ergo est entitative supernaturalis: ergo ut detur proportio requisita inter actum & habitum, habitus fidei debet esse quoad substantiam supernaturalis.

II. Probatur. Quando aliqua causa effectui producendo est improportionata, proportionari debet per aliquod auxiliū, per quod improportio illa tollatur; sed non tollitur improportio per auxilium, quod sit supernaturale, quoad modum tantum, & non quoad substantiam, quando potentia est substantialiter & entitative improportionata: ergo debet tolli per auxilium, quod sit entitative & substantialiter supernaturale; sed talis est habitus fidei infusæ, quia per ipsum tollitur improportio entitativa & substantialis, quæ est inter potentiam, quæ credit, & actus fidei, quos elicit: ergo habitus fidei theologicæ & infusæ est habitus supernaturalis entitative, & quoad substantiam.

Tertia Conclusionis pars Probatur. I. Si quæ esset ratio, quæ nos adstringeret ut poneremus habitum fidei per modum qualitatis juxta hypothesim Aristoteleorum, tanquam accidens, quod esset a substantia realiter distinctum, esset potissimum, quia Scripturæ, vel Patres, vel Concilia, ita explicant, vel declarant, vel definiunt; sed nullo modo Scripturæ, Concilia, & Patres, declarant, explicant, definiunt, quod fides habitualis sit habitus per modum qualitatis, tanquam accidentis realiter a substantia distincti: ergo nulla ratio nos cogit, ut id afferamus. Probatur minor. Etsi Scripturæ, Concilia, & Patres, doceant, quod fides habitualis sit donum, sit virtus, sit habitus, non explicant tamen, in quo genere sit habitus, in qua acceptione sit virtus, in qua ratione sit donum: ergo non explicant, nec decernunt, esse habitum per modum qualitatis, quæ sit accidens a substantia realiter distinctum, & cujus esse sit tantum inesse: ergo semper remanet Philosophorum & Theologorum disputationi remissum, ut afferatur, in quo genere sit habitus, sit virtus, sit donum. Antecedens ex solutione argumentorum patebit. Consequentiæ legitime inferuntur.

II. Probatur. Fidei habituali explicatæ per modum substantiæ spiritualis, quæ inhæreat animæ credentis, conveniunt ratio habitus, ratio virtutis, ratio doni, & cætera omnia, quæ a Conciliis, & a Patribus, ad rationem fidei habitualis prærequiruntur: ergo cohærenter ad Concilia & Patres explicatur fides habitualis per substantiam spiritualem, quæ inhæreat animæ credentis. Probatur antecedens. Concilia & Patres, docent de fide habituali, quod sit habitus, sit virtus, sit donum, & quod inhæreat animæ, & quod a solo Deo producatur, & quod per amissionem fidei deperdatur; sed hæc omnia conveniunt fidei habituali, prout a nobis explicatur: ergo &c. Probatur antecedens. De ratione formali habitus est, si est acquisitus, ut producatur ex actibus sibi similibus & multiplicatis, & quod ad eosdem inclinet, & faciliter potentiam; si vero est infusus, quod a Deo in potentia producatur, & potentiæ talem det virtutem, ut simul cum ipso supernaturales actus eliciat; sed in his omnibus nullum continetur Aristotelici accidentis nomen vel ratio: ergo de ratione habitus infusi non est, quod sit accidens Aristotelicum: ergo fidei habituali, explicatæ per modum substantiæ spiritualis, &c. convenit ratio habitus, convenit pariter ratio virtutis, ut explicabitur infra, & convenit denique ratio doni, quia sive sit accidens, sive substantia semper est donum a Deo nobis liberaliter & gratis datum.

III. Probatur. De fide habituali, explicata a nobis per modum substantiæ spiritualis, quæ inhæreat animæ &c. verificantur etiam omnia modo suo, quæ de illa dicunt Theologi de Schola, explicantes illam per modum accidentis in Aristoteleorum systemate explicati: ergo explicatio ista etiam est conformis menti Theologorum de Schola, quamvis non sit in illa hypothesi, quam ipsi sequuntur. Probatur antecedens. Fides habitualis sic explicata, est accidens, quamvis non prædicamentale, sed

sed prædicabile, quia potest adesse & abesse sine subjecti corruptione; inest animæ, quamvis præter inesse, habeat esse etiam suum absolute; producitur a Deo immediate, & destruitur, sive annihilatur, quando per infidelitatem deperditur. Posito igitur, quod verificentur omnes loquutiones Conciliorum, Patrum, & Scholasticorum Doctorum, in fide habituali ita a nobis explicata, parum aut nihil refert, ut ipsa dicatur substantia, vel accidens, accidens prædicamentale, vel prædicabile, & alia hujusmodi, quæ ad substantiam rei, & ad dogmatis verificationem, non faciunt.

Obstant I. Ut a potentia naturali eliciatur actus entitative supernaturalis, non est necessarius habitus, qui sit pariter supernaturalis, sed sufficit auxilium aliquod transiens, & intrinsecum, quod dumtaxat sit actuale: ergo frustra ponitur habitus supernaturalis, & infusus. II. Clemens V. cum Concilio Viennensi non definivit esse omnino certum, quod virtutes in Baptismo infundantur etiam parvulis; sed tantum dixit, quod id sit probabilius, Patrum & Theologorum dictis magis consonum: ergo non declaravit illud esse de fide. III. Concilium Tridentinum non expresse definivit in nobis infundi habitus fidei, spei, & charitatis, sed solum nos ex quibusdam ejus dictis hoc inferimus; sed propositiones, quæ non expresse definiuntur in Conciliis, sed tantum ex aliquibus illorum dictis inferuntur, non sunt omnino certæ, adeoque nec sunt de fide, sed tantum sunt propositiones theologicæ: ergo &c. IV. Mens Tridentini Concilii fuit damnare Lutheranos, & Calvinianos, qui asserebant, justificationem nostram non fieri per aliquam formam, nobis intrinsece inhærentem, sed esse tantum extrinsecam Dei acceptationem: ergo Concilium solummodo definivit, nos esse formaliter justos per aliquam formam intrinsecam, sive hæc sit actus, sive habitus. V. Hæc fides explicata per modum habitus, esset inutilis & frustranea illis quibus infunderetur, & præcipue parvulis, qui non possent elicere actus supernaturales sibi consimiles; sed Deus nihil facit frustra, & inutile: ergo fides non bene explicatur per modum habitus, sed sufficit, ut explicetur per modum actus. VI. Si fides habitualis esset a Deo infusa, conferret nobis facilitatem ad actus sibi consimiles eliciendos; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur major. Habitus acquisitus confert nobis facilitatem ad producendos actus sibi consimiles: ergo multo magis habitus infusus. Minor prioris argumenti etiam probatur; quia pueri, qui fuerunt baptizati, quando erant infantes, & receperunt habitum fidei infusum, quando deinde perveniunt ad adultam ætatem, nullam experiuntur facilitatem, ut actus fidei eliciant, & si ad eos eliciendos a Magistris non instruantur, nullo penitus modo elicient. VII. Concilia & præcipue Tridentinum, Patres, & Doctores Ecclesiæ, & præsertim posteriorum temporum, & Theologi fere omnes de Schola, nomine habituum infusorum intelligunt habitus, qui sint accidentia prædicamentalia juxta hypothesim Aristotelеorum, apud quos in prædicamentorum numero decimo loco ponitur habitus: ergo explicatio nostra non est conformis menti Conciliorum, Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, & de Schola denique Theologorum. Probatur antecedens. Concilia, Ductores Ecclesiæ, & Theologi de Schola, secundum illas notiones loquebantur in divinis rebus explicandis, quæ tunc communiter in Scholis usurpabantur; sed tunc communiter in Scholis usurpabantur termini, & nomina, explicationes & suppositiones, secundum Aristoteleorum principia: ergo &c. VIII. Connaturalius est dicere, quod in homine, qui per infidelitatem amittit fidem, corrumpatur accidens, quam annihiletur substantia; sed explicato habitu fidei per modum accidentis, corrumperetur accidens, & explicato per modum substantiæ annihilaretur substantia: ergo non esset naturalis, at potius dura & violenta nostra explicatio. Probatur major. Sicut non sunt ponendæ sine necessitate creationes, ita nec sunt admittendæ sine necessitate annihilationes, & eo magis, quia creatura esset caussa creationum, & annihilationum hujusmodi; quod non est dicendum. IX. Ex P. Saguens sanctificatio animæ, quæ ex parte perficitur per fidem, vel saltem fidem comitatur, est quædam motio passiva intellectualis; sed motio passiva intellectualis debet correspondere saltem terminative motioni activæ intellectuativæ: ergo non possunt correspondere entitatibus illis, sive sint accidentia, sive substantiæ spirituales. Probatur consequentia. Entitates illæ quum non sint intellectivæ, sunt incapaces cujuscunque motionis activæ intellectuativæ: ergo non potest illis correspondere sanctificatio passiva animæ. X. Si virtutes essent entitates in anima sanctificata productæ, es-

fet profecto in eadem congeries innumerabilium entitatum, quæ illam deturparet omnino, & faceret esse acervum. ut dicunt, per accidens, entitatum scilicet five accidentalium, five substantialium, fine ordine, fine modo, & fine connexione; quod non est dicendum. Et est etiam hoc argumentum P. Saguens.

Respondemus ad I. cum Scotista Fraffen hæc scribente: „ Respondeo, id equidem fieri „ posse, sed non ita connaturaliter; quippe „ cum habitus, seu qualitas jugiter in anima „ perseverans, se habeat per modum com„ principii, hinc est, quod convenientiori „ ordine animam constituat in eo gradu, & „ statu supernaturali, ut sic re vera sit pro„ portionata, & commensurata dignitati „ actus supernaturalis eliciendi: licet enim „ hæc proportio, & commensuratio etiam „ fieri posset per auxilium actuale. & tran„ siens, nihilominus cum auxilium istud „ non esset perseverans in anima; ita nec „ videretur sic esse in ejus potestate, ut eo „ posset uti pro libito ad eliciendum actum: „ quemadmodum uti potest habitu sibi in„ fuso, & in ea diu perseverante. „ Verum quicquid de hac responsione sit. quia nos non quærimus quid sit de possibili, sed quid sit de facto, & in præsenti providentia, in qua quidem nequit esse sufficiens auxilium transiens, & actuale, ad servandam rationem fidei habitualis; & hoc tum quia per auxilium actuale transiens salvari nequeunt loquutiones Conciliorum, & Patrum, qui semper intelligunt fidem habitualem concurrere ad actus suos tanquam conprincipium, a quo illi actus rationem supernaturalitatis participant; hoc autem nequit esse auxilium duntaxat actuale; tum etiam, quia quum fides dicatur virtus theologica, quæ inest potentiæ operanti, nequit explicari per auxilium transiens, quod nec inest, nec perseverat.

Ad II. Clemens V. dixit, illud esse probabilius, & Sanctorum Patrum, & Doctorum Theologiæ dictis magis consonum. Insuper Clemens V. asseruit, in æquali gradu certitudinis esse conferri in baptismate tam parvulis, quam adultis, gratiam informantem, & virtutes; sed ex eodem Clemente V., & ex Concilio etiam Viennensi, certum omnino est, infundi gratiam sanctificantem: ergo ex iisdem pariter debet certum omnino esse, infundi virtutes, quarum una est fides.

Ad III. Fraffen citatus distinguit: „ Si infe„ ratur tantum ratione alicujus connexio„ nis. quam haberet illa propositio. cum re „ in Concilio definita, non esset omnino „ certa, transeat; Si inferatur ex vi signi„ ficationis verborum, & identitate signifi„ cati; sive quia res utrisque verbis signifi„ cata est eadem, nego. At, ut diximus, „ Concilii verba si proprie sumantur, non „ significant actum, sed habitum fidei: Igi„ tur &c. „

Ad IV. Non est novum in Conciliis, quod damnando Hæreticorum errores, catholicam etiam doceant veritatem, atque definiant. Verum est, quod Concilium Tridentinum damnavit Lutheranorum, & Calvinianorum errorem, dicentium justificationem nostram non fieri per aliquam formam intrinsece inhærentem, sed tantum per extrinsecam Dei acceptationem; at voluit etiam docere fideles quod quum justificatio nostra fiat per formam nobis intrinsece inhærentem, simul cum hac forma nobis infundantur habitus fidei, spei, & charitatis; & hæc Concilii definitio ab omnibus, qui Concilii historiam texunt, vel Concilii verba interpretantur, hoc pacto intelligitur, ac refertur.

Ad V. Respondet S. Bonaventura in 4. dist. 4. qu. 2. quod incapacitas Infantium ad eliciendos actus non efficiat eos incapaces ad recipiendos habitus. Hæc sunt sua verba apud citatum Fraffen: *Notandum est enim, quod potentia animæ dupliciter impeditur ab habitu malo, & a concupiscentia, sive a culpa; Et contra hoc impedimentum est gratia, sive virtutes, per quas expediuntur ad operandum; virtutes ergo reddunt potentias faciles, ipsas perficiendo, & hoc removendo culpam, aliam autem expeditionem non faciunt. Unde cum parvulis sit habens utrumque impedimentum, alterum removetur per virtutes, non utrumque: & ideo non est omnino facilis ad operandum; hujusmodi autem habitus expeditivus habet multiplicem ortum. Nam quidam est innatus, quidam acquisitus, quidam infusus. Primus incipit cum natura, & ab ejus principiis ortum habet: & ideo est in natura imperfecta imperfectus, & cum natura crescente crescit, & cum natura perfecta perficitur, ut patet in naturali judicatorio. Secundus vero, scilicet acquisitus, ortum habet e libero arbitrio, qui non habet usum, donec natum aliquo modo perficiatur: & ideo sequitur naturam perfectam. Tertius vero ortum habet a Deo, non a natura, nec a libero arbitrio, & potest esse in parvulo ante usum liberi arbitrii: quia vero non habet ortum a natura, potest esse perfectus, natura existente imperfecta.*

Ad

Ad VI. Hæc est differentia, ut diximus, inter habitum acquisitum, & infusum, quod acquisitus confert facilitatem, infusus vero activitatem; ratio autem, quare acquisitus conferat facilitatem, hæc est, quia acquisitus producitur ex actibus sibi similibus, replicatis, & multiplicatis; & ideo producit facilitatem ad actus pariter similes producendos. Infusus vero quum non producatur ex actibus similibus, replicatis, & multiplicatis, sed tantum a Deo in totum infundatur, inde est, quod non tribuit facilitatem ad actus, ex quibus non fuit productus, sed tantum confert activitatem, quam potentia antecedenter ad ipsum minime habebat. Facilitatem deinde potentia acquirit, vel ex magisterio illorum, qui eam instruunt, vel ex repetitione actuum, quos post habitus infusionem semel & iterum elicit; vel alio quocunque modo, qui facilitatem ei tribuit, quam habitus infusio per se non tribueret.

Ad VII. concedimus ultro, postquam in scholas Christianorum introducta fuit Peripatetica doctrina, Scriptores nostros loquutos fuisse de habitibus, prout Peripatetici loquuntur; at negamus omnino, sic etiam loquutos fuisse Patres, & Concilia, qui longe ante floruerunt, quam Peripatetica doctrina in Scholis nostris admitteretur. Et quanvis adduci possit Concilium aliquod, quod admissionem illam sequutum fuerit, illud tamen Concilium dicendum est præcedentium Conciliorum, & Patrum, potius usurpasse verba, quam Peripateticæ Scholæ, cujus nec erat approbare ne reprobare. Re vera tamen in omnibus Conciliis & Patribus non est reperire verbum, quod accidens peripateticum clare exprimat, sed potius ea, quæ scribunt, possunt æque applicari, & ad illud, & ad nostram substantiam spiritualem, quam accidens prædicabile diximus, ut etiam per hoc, si qua ratio accidentis requisita unquam fuit, in ea salvetur.

Ad VIII. Deus, qui est Author hujusmodi creationum & annihilationum, nihil haber durum, nil violentum, nil difficile, ut eas replicet, atque multiplicet, prout sanctificationi animarum necessariæ sunt, vel utiles. Et sicut in productione hominum animas rationales quotidie creat, quæ illos informent, ita pariter substantias hasce spirituales absque suo labore, vel tedio, continuo de novo producit, ut easdem animas sanctificet. Eadem est ratio de earundem entitatum annihilatione, quæ, utpote spirituales substantiæ, nec generari possunt, nec corrumpi, sed necessario debent creari, & annihilari. Quæ quidem omnia libere facit Deus, quatenus ipsemet libere determinavit, & libere voluit, easdem in tali, vel tali circumstantia creare, vel in tali circumstantia destruere.

Ad IX. Deus, qui est primum intellectivum omnium substantiarum, quæ sunt intellectivæ, est pariter principalis author sanctificationis passivæ animarū, & est qui utitur illis entitatibus, tanquam instrumentis, & quidem aptissimis, ad eas sanctificandas. Nulla autem est repugnantia ut ad hoc opus Deus iisdem utatur; quæ si adesset, utique P. Saguens eam adduxisset, & quum non adduxerit, præstat nobis dicendi rationem, quod nullo modo adsit.

Ad X. Fingit sibi P. Saguens, quod entitates illæ sint in anima, ad modum acervi, & tanquam congeries sine ordine, modo, & connexione, quum potius sint un gemmæ, quæ animam exornant, & summopere illustrent, atque decorent. Deus enim, qui est Author illarum, & eas ponit in anima ad exornandam illam, non ad deturpandam, nihil omnino facit sine ordine, modo, & connexione. Et ex eo magis, quia entitates illæ deserviunt animæ, ut cum iisdem supernaturaliter, & meritorie operetur.

Dicimus II. Fidem habitualem esse habitum speculativum, non practicum, assensivum non discursivum, & veram rationem virtutis habere, at non perfectam.

Prima Conclusionis pars, quæ est Thomistarum contra Scotistas, I. probatur. Ille dicendus est habitus speculativus, qui non ordinatur ad opus, sed ad contemplationem; sed fides habitualis ordinatur ad contemplationem, & non ad opus; ergo est habitus speculativus, & non practicus. Probatur minor. Fides habitualis ordinatur ad visionem beatificam; sed visio beatifica est contemplatio & non opus: ergo fides habitualis ordinatur ad contemplationem, & non ad opus. Major non negatur; minor est certa; Consequentia sequitur. II. Actus, quos elicit fides habitualis, sunt mere speculativi: ergo & ipsa est habitus speculativus. Probatur antecedens. Actus fidei habitualis non feruntur ad objectum cooperabile, sed ad objectum tantummodo contemplabile, nec circa illud operando, sed tantum contemplando se gerunt, nec aliquid aut faciunt, aut dirigunt. nec intra, nec extra intellectum; sed hæc sola satis sunt, ut actus mere speculativi, & nullo modo practici, dicantur: ergo &c. III. Objectum

jectum fidei habitualis est factum, non faciendum, est necessarium, non contingens; sed habitus speculativus est, qui habet pro objecto aliquod factum, & non faciendum, aliquod necessarium, & non contingens: ergo &c.

Secunda Conclusionis pars probatur. I. Patres docent, fidem habitualem esse habitum assensivum, non discursivum; quia rebus revelatis immediate assentimur, quatenus revelatæ sunt. Probatur antecedens. Tertullianus lib. de præscription. cap. 7. *Nobis curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Evangelium: cum credimus, nihil ultra desideramus credere*. Ambrosius lib. I. de fide: *Aufer te hinc argumenta, ubi fides quæritur*. Augustinus lib. 18. de Civitate cap. 41. scribit de iis, quæ in Scriptura continentur, quod illa *commendata sunt nobis divinis eloquiis, quamvis per homines, non argumentorum concertationibus inculcata; ut non hominis ingenium, sed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognosceret*. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 12. probat, fidem nostram non esse inquisitivam, & per consequens nec esse discursivam. II. In assensu fidei unicus est actus, qui constat ex duobus, ex adhæsione scilicet revelanti, & ex adhæsione rei revelatæ; sed si fides esset discursiva, plures essent actus, quia deberent præcedere præmissæ ad Conclusionem, & præmissas deberet subsequi conclusio: ergo &c. III. Fides respectu Theologiæ est sicut scientia immediata, vel habitus primorum principiorum, respectu scientiæ, quæ dicitur mediata: ergo quemadmodum habitus primorum principiorum, seu scientia immediata, est habitus adhæsivus, ad differentiam scientiæ mediatæ, quæ est habitus discursivus; ita pariter fides est habitus adhæsivus ad theologiæ discrimen, quæ est habitus discursivus.

Tertia Conclusionis pars probatur. I. Quia de ratione virtutis est, quod perficiat potentiam ad actum bonum, & honestum; ulterius, quod actus ille sit difficilis & arduus; denique, ut dicat ordinem ad finem ultimum, ut ad illum ex natura sua referatur; sed hæc omnia reperiuntur in habitu, & actu fidei, etiam seorsim a charitate: ergo &c. Probatur minor. Fides perficit potentiam intellectivam, & dando illi notitiam præstantissimam, & inclinando illam ad operationem rectissimam; ulterius, actus fidei est arduus, & difficilis, quia est contra evidentiam; deinique ordinatur ad finem ultimum, hoc est ad Deum, ut patet. II. Perfectio virtutis habetur a charitate: ergo si fides formatur seorsim a charitate, est vera virtus, sed non perfecta. Antecedens negari nequit, quia charitas est, quæ cæteras virtutes informat, atque vivificat.

Obstant I. Fides habitualis ordinatur ad visionem beatificam; sed visio beatifica est practica: ergo &c. Probatur minor. Visio beatifica comprehendit fruitionem in voluntate; sed fruitio in voluntate est practica: ergo & visio beatifica. II. Fides est argumentativa: ergo est discursiva. Antecedens est Apostoli, ad Hebræos 11. scribentis: *Fides est argumentum non apparentium*. Consequentia sequitur, quia omne argumentum fit cum discursu. III. Fides humana est discursiva: ergo pariter fides divina. IV. In Scripturis videmus, unam propositionem de fide deduci ex alia: ergo fides est discursiva. Probatur antecedens. Joannes cap. 4. suæ primæ epistolæ deducit dilectionem, quam inter nos habere debemus, ex dilectione, quam erga nos habuit Deus: *Diligamus nos invicem, quoniam ipse prior dilexit nos*. Et Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. ex Resurrectione Christi infert resurrectionem nostram: *Si mortui non resurgent: ergo Christus non resurrexit*. V. Propositio definita in Concilio Constantinopolitano VI. quod in Christo duæ sint voluntates, est de fide, & est deducta ex duplici etiam propositione, nimirum: ubi est duplex natura intellectualis, ibi est duplex voluntas; sed in Christo sunt duæ naturæ intellectuales, divina & humana: ergo est duplex voluntas: ergo fides habitualis est discursiva. VI. In quocunque actu fidei virtualiter continetur hic discursus: Deus revelat, Verbum factum esse carnem; sed Deus non revelat nisi quod verum est: ergo verum est, quod Verbum factum sit caro: ergo omnis actus fidei est discursivus:

Respondemus ad I. Quicquid sit de sententia illorum, qui dicunt, quod visio beatifica concomitanter contineat fruitionem voluntatis, non vero formaliter, certum tamen nobis est, quod fruitio voluntatis nec est opus, nec est aliquod operabile, quia totum illud intra animam continetur, & nihil extra; & intra animam ipsam nihil est, quod dici possit aut operari, aut dirigi; fruitio enim voluntatis consequitur ad visionem, & complet beatitudinem vel concomitanter, vel for-

formaliter, quod nec etiam pro modo est ad rem.

Ad II. Apostolus dixit fidem esse argumentum, non quod sit discursua; seu quod sit probatio, & certitudo veritatis, quam continet. Unde distinguitur propositio illa: Omne argumentum fit cum discursu: omne argumentum proprie dictum, hoc est quod continet præmissas, & conclusionem, conceditur; omne argumentum improprie dictum, cujus nomine venit certitudo, & convictio rerum, quæ nec sensu, nec ratione, comprehendi possunt, negatur.

Ad III. Hoc est discrimen inter fidem divinam, & humanam, quod per fidem divinam assentimur revelanti immediate, & per se ipsum; per fidem vero humanam credimus attestanti, vel quia scimus esse hominem probum, vel quia experientia hoc ipsum aliunde nos docuit, vel ex aliquo alio motivo, quod nobis innotescit, quando per fidem humanam credimus; & hinc est, quod fides humana est discursiva, non vero fides divina.

Ad IV. Illationes illæ in prædictis locis Scripturarum, non ideo fiunt, ut attestantes, qui loquuntur, unam propositionem inferant ex alia, sed potius, ut audientibus innotescat connexio propositionum inter se, & quasi concatenatio ipsarum, per quam propositiones illæ ostenduntur de fide esse, non immediate solum, sed etiam mediate. Unde inferunt Doctores, quod omnes propositiones, quæ eliciuntur ex aliis in Scriptura, sive una sit de fide sive utraque, nullatenus ut sic deductæ, censeri debent de fide; & ratio est, quia assensus illa sic datus non nititur immediate revelationi, seu testimonio Dei, ut ait Frassen, sed præcipue innititur discursui, ac illationi.

Ad V. Ex principiis revelatis, vel ex una revelata, & ex altera naturaliter, & evidenter cognita, deducere propositionem certam, non est opus fidei, sed Theologiæ; & conclusio illa sic deducta, si utraque præmissa non sit de fide, non dicitur conclusio de fide, sed theologica. Theologiam non negamus esse discursivam, sed fidem; quæ cum immediate assentiatur rebus revelatis, non eget discursu ad assentiendum illis.

Ad VI. Possunt unico actu attingi duo, quæ tamen inter se ordinem habeant; & quidem duplici modo possunt; uno modo, ut unum in altero contentum, & ex altero illatum; altero modo, ut inter se necessario connexa, & uno ad aliud ordinem dicente. In primo modo certum est, quod continetur discursus; non sic vero in secundo modo. Nos autem dicimus, quod in actu fidei comprehendimus, & veracitatem attestantis, & veritatem rei attestatæ, non tanquam unam in alia contentam, & ex illa deductam, sed tanquam duo inter se necessario connexa, & ordinem ad invicem dicentia; itaut si unum, aut alterum præscindatur, nullo modo actus supernaturalis fidei infusæ haberi possit.

DISSERTATIO CCLXXI.

De habitu fidei infusæ. An Angeli in via, & primi Parentes in statu innocentiæ, habuerint fidem infusam? Et an perdiderint eam per peccatum? An Beati in Patria illam retineant? Et quid de Animabus in Purgatorio existentibus sit dicendum? An illam habeant Dæmones & Damnati in Inferno? An perseveret in Peccatoribus, qui spoliantur gratia sanctificante, & charitate? Et an remaneat in Hæreticis?

Dicimus I. Angelos in via, & primos Parentes in statu innocentiæ, habuisse fidem infusam, & illam per peccatum perdidisse.

I. Probatur ex Scripturis. Ex Apost. ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo;* sed primi Parentes in statu innocentiæ placebant Deo: ergo non erant sine fide.

II. Probatur ex Pontificibus Romanis, qui damnaverunt hanc propositionem Baji: *Absurda est sententia eorum, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito, super conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate, supernaturaliter Deum coleret...*

III. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. 1. adversus Marcionem cap. 12. *Quis dubitabit illud ipsum Adæ delictum hæresim pronuntiare, quod per electionem suæ potius, quam divinæ sententiæ admisit; nisi quod Adam nunquam figulo suo dixit: Non prudenter dfinxisti me: confessus est seductionem, non occultavit seductricem: rudis admodum hæreticus fuit &c.* Ambrosius epist. 33. quæ est ad Marcellinam sororem, ubi Dei nomine sic Adamo loquitur: *Agnoscis te nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.* Prosper in responsione ad excepta Genuensium dub. 3. *Quid est autem, quod eidem naturæ solam fidem non vult esse præreptam, quam nisi primam amisisset, cæteri bonis omnibus non carerent? Credendo enim Adam Diabolo, non credidit Deo.* Et post pauca: *Quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum ejus inveniretur, nisi eam idem Spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet?* Et deinde concludens, ait: *Omnes igitur, quos Adam perdidit, perdiderunt; perdidit autem primitus fidem, quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam debemus accipere.* Eadem scribit lib. contra Collatorem cap. 19. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Christi: *Primus homo diabolica est persuasione dejectus in humilitatem; quia perdidit fidem; perdens autem fidem, perdidit divinam protectionem.*

IV. Probatur rationibus. I. In eo statu primi Parentes poterant mereri: ergo potius habuerunt fidem, quam scientiam. Consequentia sequitur, quia congruentior ad merendum est fides, quam scientia; De antecedente non dubitatur. II. Quia Protoparentes non poterant tendere in Deum ut remuneratorem sine fidei auxilio, etiam in illo statu: ergo etiam in illo statu habuerunt fidem. III. In illo statu debebant Protoparentes Deo reddere cultum ei debitum; sed sine fide hoc præstare non valebant: ergo in eo statu habuerunt fidem. IV. In eo statu Adam & Eva debebant bonis operibus vacare, ut vitam consequerentur æternam; sed non poterant bonis operibus vacare sine fide: ergo in illo statu non fuerunt sine fide. V. Angeli in via meruerunt beatitudinem; atqui nullum est meritum sine fide: ergo Angeli in via habuerunt fidem. VI. Quanvis Angeli ratione summæ lucis ingenitæ, quam in ipsorum creatione participarunt, habuerint evidentem cognitionem existentiæ Dei, & aliquorum attributorum ejus, attamen de Trinitate, de Incarnatione, aliisque similibus, habuerunt reve-

lationem: ergo revelationi illi credentes, habuerunt fidem. VII. Primis hominibus aperte constabat, Deum illis comminatum fuisse mortem, si comederent de fructu, quem illis vetaverat Deus ipse; sed dederunt fidem Diabolo dicenti illis: *Nequaquam morte moriemini*: ergo denegaverunt fidem Deo, qui dixerat Adæ: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas; in quacunque enim hora comederis, morte morieris*.

Dicimus II. Beatos in Patria fidem non retinere; Animas vero in Purgatorio existentes retinere; nec Dæmones & Damnatos habere fidem infusam.

Prima Conclusionis pars, quæ est contra Alensem, Durandum, & Sententiarum Magistrum, & est inter Theologos communior, I. probatur ex Scripturis. Apostolus 1. ad Corinth. cap. 13. docet; *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum venerit autem quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*: ergo ex Apostolo omnis cognitio imperfecta est a beatifico statu eliminanda; Sed cognitio ex fide est imperfecta ex parte inevidentiæ, quanvis sit perfecta ex parte certitudinis: ergo est a beatifico statu eliminanda. In eodem loco subdit Apostolus: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, & charitas*: ergo si nunc manet fides, quod exprimitur per ly *autem*: ergo tunc non manebit. In eodem loco Apostolus addit: *Charitas nunquam excidit*: ergo fides excidet; quia quod dicit de charitate non dicit de fide.

II. Probatur ex Patribus. Hieronymus ad verba ultimo loco citata, illa explicans, scribit, *Charitas nunquam excidit, idest, ipsa sola permanet in futuro*. Chrysostomus homilia 34. in locum illum, dicit, Charitatem esse majorem, quia Fides, & Spes transeunt, Charitas autem semper durat. Eadem docet Augustinus serm. 53. de tempore; eadem Anselmus in citatum Apostoli locum; eadem quoque alii.

III. Probatur rationibus I. Nequit habitus fidei consistere cum lumine gloriæ, quia lumen gloriæ ex se exigit habitus fidei negationem: ergo Beati, qui habent lumen gloriæ, non habent habitum fidei. II. Actus fidei, & actus visionis beatificæ inter se pugnant: ergo qui habet hos, nequit habere illos; sed Beati in Patria habent actus visionis beatificæ: ergo non habent actus fidei. Major est certa, quia evidens & obscurum inter se pugnant. III. Si Beati in Patria haberent fidem habitualem, actus fidei, quos elicerent, vel essent meritorii, vel non? Non primum, quia in Patria non est meritum; neque secundum, quia actus fidei ex se sunt meritorii.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Animæ in Purgatorio existentes, sunt etiamnum in statu viæ: ergo habent illas omnes virtutes, quæ conducunt ad hujusmodi status sanctitatem; sed sic sunt virtutes theologicæ: ergo &c. II. Animæ in Purgatorio existentes, nihil habent, quod sit incompossibile cum habitu vel actu fidei: ergo in ipsis permanet fides habitualis. III. Non repugnat statui Animarum in Purgatorio existentium, revelatio obscura: ergo non repugnat fides. Antecedens patet, quia Animæ illæ sunt obscuritatibus involutæ, & status illarum est tenebrosus cum sollicitudine & anxietate, quanvis cum propriæ salutis certitudine. Consequentia sequitur, quia fides stricte sumpta in obscuritate fundatur.

Tertia Conclusionis pars, quæ est etiam communis inter Theologos, quanvis contra Durandum, asserentem, fidem in Damnatis manere; I. probatur ex Scripturis. Matthæi 7. Christus Dominus dicebat: *Sanctum non datur Canibus, nec margarita projiciuntur ante porcos*; nomine Sancti, & margaritarum, veniunt dona, & auxilia gratiæ, quæ non communicantur Dæmonibus & Damnatis: ergo fides infusa in Dæmonibus & Damnatis non est.

II. Probatur ex Patribus. Author libri de *Divinis Nominibus* cap. 4. docet: *Damnatos carere omnibus divinis donis*: ergo carent etiam fide. Augustinus lib. 9. de Civitat. Dei cap. 21. asserit, Dæmones cognoscere Christum non lumine fidei, sed efficacia signorum. Idem Augustinus in epist. ad Xistum docet, convicti fidem esse in Diabolis, sed non fidem proprie dictam. Hæc sunt sua verba: *Ita quippe fides, est Christianorum, non dæmoniorum; nam & dæmones credunt & contremiscunt; sed numquid & diligunt? Nam si non crederent, non dicerent: Tu es Sanctus Dei. Si autem diligerent, non dicerent: Quid nobis & tibi?*

III. Probatur rationibus. I. Fides habitualis prærequirit actum pium voluntatis, ut actus fidei theologicæ eliciatur; sed actus pius voluntatis nullus potest esse in Dæmonibus & in Damnatis: ergo neque potest esse fides habitualis. Minor est certa, quia actus pius voluntatis provenit a gra-

tia.

tia, in Dæmonibus autem & in Damnatis, nulla potest esse gratia. De majori propositione non dubitatur. II. Fides habitualis conceditur a Deo illis, qui sunt capaces, ut fiant membra Christi in corpore ejus mystico, quod est Ecclesia; sed Dæmones & Damnati non sunt Capaces, ut fiant membra Christi in Corpore ejus mystico, quod est Ecclesia: ergo non possunt habere fidem habitualem. III. Fides habitualis est radix justificationis, & fundamentum spei theologicæ: sed Dæmones & Damnati, nec possunt habere justificationem, nec spem theologicam: ergo non possunt habere fidem infusam. IV. Fides habitualis si esset in Dæmonibus & Damnatis, esset frustranea; sed Deus nihil facit frustra: ergo non finit esse in Dæmonibus & Damnatis fidem habitualem. Probatur major. Fides habitualis conceditur ad eliciendos actus fidei theologicæ; sed Dæmones & Damnati nullo modo possunt elicere actus fidei theologicæ: ergo fides habitualis esset in illis frustranea. Probatur minor. Actus fidei theologicæ elici non possunt sine auxilio gratiæ; sed auxilium gratiæ nullo modo habere possunt Dæmones & Damnati: ergo &c.

Dicimus III. Peccatores, gratia sanctificante, & charitate, spoliatos, retinere fidem habitualem, hæreticos vero non retinere.

Prima Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis 1. ad Corinth. cap. 13. habetur, quod fides possit esse sine charitate; dicitur enim: *Si habuero omnem fidem.... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* ergo fides sine charitate in homine peccatore subsistit. In epist. S. Jacobi cap. 2. *Fides sine operibus, mortua est*; atqui per Apostolum ad Galatas 5. Fides viva *est fides, quæ per charitatem operatur*: ergo fides mortua est, quæ a charitate separatur.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 15. definit: *Asserendum esse non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* Et can. 23. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.*

III. Probatur ex Patribus. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 18. docet: Fidem sine charitate *esse posse, non prodesse*. Idem Augustinus in Epist. ad Xistum probans, fidem esse donum Dei, scribit: *Restat igitur, ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona, quæcumque sunt merita; sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, idest sine meritis, cogitamus.* Bernardus serm. 2. de Resurrectione: *Sicut corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus: ita & fidei vitam ex bonis operibus. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur & sentit: vita vero fidei charitas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis: Fides, quæ per dilectionem operatur: unde & refrigescente charitate, fides moritur, sicut corpus, anima recedente.*

IV. Probatur Rationibus. I. Peccatum mortale nec opponitur physice, nec moraliter fidei habituali: ergo per ipsum fides habitualis non destruitur: ergo potest homo in peccato mortali existens credere fide theologica. II. Peccatum mortale non destruit rationem formalem objecti fidei infusæ: ergo cum ipsa est compatibilis. Antecedens est certum, quia in peccato mortali existens, credit, & Deo revelanti, & iis, quæ a Deo revelantur. III. In peccato mortali existens potest habere spem theologicam, religionem supernaturalem, & supernaturalem pariter attritionem; sed hæc sine fide infusam haberi non possunt: ergo in peccato mortali existens, conservare potest fidem infusam. IV. Fides non habet necessariam connexionem cum gratia sanctificante, qualem habet charitas: ergo per amissionem gratiæ sanctificantis non deperditur fides, sicut deperditur charitas. Probatur antecedens; quia fides non est gratiæ sanctificantis proprietas, neque compars, sed solum est fundamentum; sed destructo ædificio, potest remanere fundamentum: ergo &c. V. Fides tantum deperditur per infidelitatem, ut probabimus mox; sed peccatum mortale, de quo loquimur, non est peccatum infidelitatis: ergo per ipsum non deperditur fides. VI. Fides, quæ remanet in Peccatore, vocatur informis & mortua, sicut illa, quæ est in homine justo dicitur formata & viva; atqui non ideo sic vocantur, quia charitas est forma perficiens fidem physice, sed tantum moraliter; & hoc quia per charitatem actus fidei fiunt meritorii vitæ æternæ, quæ sine charitate non datur; & quia etiam fides informis est tanquam radix, vel arbor, quæ non

fert

fert fructum; ac proinde dicitur mortua: ergo quum fides possit esse informis & mortua, & nihilominus esse fides, poterit etiam in homine habente peccatum mortale, perseverare fides, quæ quidem sit informis & mortua, & nihilominus non desinat esse fides, theologica quidem supernaturalis & infusa.

Secunda Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Lucæ 8. dicitur, quod erant quidam, qui ad tempus credebant, & in tempore tentationis recedebant: *Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*; quæ verba de Hæreticis communiter intelliguntur, qui fidei radicem non habent. Item 1. ad Timoth. 1. dicitur de Hymenæo & Alexandro, quod habebant fidem, sed quod postea naufragaverint: *Habens fidem & bonam coscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt: ex quibus est Hymenaus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare*: at non naufragant, nisi qui deserunt, perdunt, & derelinquunt navem, quæ est Ecclesia; ut exponit Chrysostomus homil. *Sicut ille, qui naufragium facit, amissis omnibus, nudus evadit; ita is, qui ex fide excidit, nihil sibi ex Dei donis ac virtutibus amplius retinet.* Item 1. ad Timoth. cap. 6. de hæretico dicitur: *Superbus est, nihil sciens*; & proinde Apostolus ad Timotheum scribit: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*. Pariter in 1. S. Joannis cap. 2. Hæretici vocantur Antichristi, & dicitur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Denique in epist. Jacobi cap. 2. habetur: *Offendat autem in uno, factus est omnium reus*.

II. Probatur ex Patribus. Cyprianus explicans præfata verba Jacobi lib. 1. epist. 3. scribit: *Nulla societas fidei cum perfidia esse potest*; sed in homine hæretico est perfidia: ergo fides esse non potest. Adduci possunt verba Chrysostomi, quæ nuper attulimus.

III. Probatur rationibus. I. Verbum divinum æque est infallibile in una ex rebus revelatis, ac in cæteris: ergo si in una ei non creditur, neque in cæteris creditur. II. Fides est una, & non per aliud, nisi quia unicum est fidei motivum, scilicet divina veritas revelans: ergo qui uni veritati non credit, quam divina Veritas revelat, neque aliis veritatibus dicendum est credere, quas eadem divina veritas revelat. III. Per fidem divinam credimus & ob revelationem Dei, quæ est ratio formalis credendi; & ob propositionem Ecclesiæ nobis factam, quæ est conditio, sine qua non; sed propositio Ecclesiæ est pro omnibus, quæ creduntur: ergo qui illam non attendit pro una, neque pro aliis attendere dicitur. IV. Hæreticus non potest dici fidelis: ergo in eo fides non perseverat. Probatur antecedens: Fidelis non est, qui in omnibus non credit Deo revelanti, & in omnibus non conformatur Ecclesiæ proponenti; sed talis est hæreticus: ergo hæreticus non potest dici fidelis. V. Hæreticus non credit, Ecclesiam esse infallibilem in iis, quæ nobis credenda proponit: ergo non habet fidem. Consequentia sequitur. Sine enim hac fide, qua credimus Ecclesiam esse infallibilem, quando proponit credenda, nequit persistere fides habitualis infusa. VI. Si quis infidelis esset paratus suscipere fidem Catholicam, credendo omnes articulos, & unum solummodo non credendo, hoc est illum de sacramentali confessione, iste talis baptizari non posset; atqui hoc non aliunde, quam quia infidelis censeretur: ergo pariter, quando baptizatus unum articulum credere deserit, quanvis alios credat, censendus est infidelis.

Objiciunt I. Angeli ex Augustino nunquam fuerunt peregrinati: ergo nunquam habuerunt fidem: II. Ex eodem, Angeli antequam peccarent, non fuerunt miseri; sed fuissent miseri, si habuissent fidem, quia non habuissent beatitudinem, & habuissent beatitudinis desiderium, quod reddens animum anxium, & sollicitum, illum omnino cruciat. III. Ex eodem, Adam antequam peccaret, habuit Dei visionem; dicit enim in psalm. 70. *Illi magnæ deliciæ erant ipsa visio Dei*: ergo pariter Angeli in via habuerunt Dei visionem: ergo non habuerunt fidem. IV. Protoparentes in statu innocentiæ nihil habuerunt imperfectum; sed fides est cognitio imperfecta: ergo non habuerunt fidem. V. Protoparentes non fuerunt Hæretici: ergo non amiserunt fidem. Probatur antecedens. Primi parentes nullum habuerunt errorem fidei contrarium cum pertinacia: ergo non fuerunt Hæretici. VI. Adam peccavit a mulieris amore victus, Eva vero a serpente decepta: ergo non peccaverunt in fide. Antecedens est doctrina

Au-

Augustini pro Adamo lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. *Adamus eum inexpertus esset divinæ severitatis, in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum*. Et cap. 13. *Putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vita sua sociam non desereret etiam in societate peccandi*. Et lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 42. *Adamus noluit Evam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, & omnino illa interire discordia; non quidem carnis victus concupiscentia, quam non dum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicali quadam benevolentia, qua fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus*. Et pro Eva est doctrina Epiphanii in hæresi Cajanorum, quæ est 38. VII. Irenæus lib. 4. cap. 25. docet, in statu beatitudinis remanere tres virtutes theologicas, & Paulum pro teste adducit: *Paulus inquit, omnibus evacuatis, manere Fidem, spem, dilectionem*. Et cum eo Tertullianus lib. de patientia circa finem: *Merito charitas nunquam excidet, cætera evacuabuntur, consummabuntur; exhaurientur linguæ, scientia, prophetia, permanent fides, Spes, dilectio*. VIII. Beati in Patria, quanvis credere non possint, quæ vident, tamen credere possunt, quæ nesciunt; & hæc sunt, quæ facta fuerunt ab initio mundi, quæ modo fiunt, & quæ inposterum fient usque ad judicii diem; & hæc possunt a Deo revelante intelligére: ergo credere. IX. Fides non est incompossibilis cum beatitudine ex nullo capite, ex una parte; ex alia vero fides est virtus, quæ debet perfici, non deficui in Patria: ergo debet in Beatis perseverate. X. In Damnatis remanet character Baptismi, confirmationis, & ordinis: ergo pariter remanet fides. XI. Jacobus in sua epist. cap. 2. docet, in Dæmonibus esse fidem actualem: ergo est pariter habitualis. Probatur antecedens. Verba Jacobi sunt: *Dæmones credunt, & contremiscunt*. Quæ verba expendens Salvianus lib. 4. de providentia hæc habet: „ Hunc ipsum fidei „ fructum infructuosum Apostolus fine „ operibus bonis esse testatur, dicens: *Fi*„ *des sine operibus bonis mortua est*. Et iterum: „ *Sicut enim corpus sine spiritu, sic fides sine* „ *operibus mortua est*: addit quoque aspe„ riora quædam ad confundendos eos, qui „ sibi præsumptione Christianæ fidei blan„ diuntur. Sed dicet aliquis: *Tu fidem habes,* „ *& ego opera habeo. Ostende mihi sine operibus* „ *fidem tuam, & ego ostendam tibi ex operibus* „ *fidem meam*. Quo utique hoc indicat, actus „ honos Christianæ fidei quasi testes esse, „ quia Christianus nisi opera bona fecerit, „ fidem suam penitus probare non posset, „ ac per hoc quod probare non valeat quia „ sit, sic omnino habendum esse quasi non „ sit. Nam quam pro nullo hoc habendum „ existimaret, in subditit statim ipse de„ monstrat, dicens ad Christianum: *Tu* „ *credis, quia unus est Deus, bene facis, & Dæ*„ *mones credunt, & contremiscunt*. Conside„ remus quid hoc loco voluerit Apostolus „ dicere, ne irascamur in divinis testimo„ niis, sed acquiescamus: nec contradica„ mus, sed proficiamus; *Tu credis*, inquit „ ad Christianum sermo divinus, *quod Deus* „ *unus est; bene facis; & Dæmones credunt,* „ *& contremiscunt*. Numquid erravit Apo„ stolus, ut hominis Christiani fidem Dæ„ moni compararet? Non utique; sed „ ostendere illud volens, quod supra di„ ctum est; quia sine operibus bonis nihil „ sibi per fidei supercilium usurpate debe„ ret. Idcirco autem ait a Dæmonibus „ Deum credi, scilicet ut sicut Dæmones „ cum esse Deum credant, tamen in per„ versitate perdurant: ita & quosdam ho„ mines quasi credulitatem dæmoniacam „ habere, qui cum se Deum credere affe„ tant, tamen a malo opere non cessant. „ XII. In Damnatis remanet pia affectio ad credendum: ergo pariter remanet fides. Probatur antecedens. In Damnatis remanet inclinatio ad bonum: ergo remanet pia affectio ad credendum. Antecedens patet exemplo Epulonis, qui volebat, fratres converti ad pœnitentiam per Lazari prædicationem. XIII. Postquam quis fit hæreticus, habet eandem facilitatem circa illos actus fidei, quos credebat prius: ergo fidem non amittit. XIV. Potest quis perdere habitum scientificum circa unum objectum, & non perdere circa alia: ergo pariter potest amittere fidem habitualem circa unum objectum, & non circa alia. XV. Si hæresis destrueret habitum fidei, vel hoc faceret physice, vel moraliter; sed neutro modo facere potest: ergo nullo modo hæresis potest destruere habitum fidei habitualis. Probatur minor. Non potest destruere physice, quia physice unus actus non potest tollere unum habitum sibi contrarium; neque potest tollere moraliter, quia non est assignabilis ratio, quæ moveat Deum, ut habitum illum destruat.

Respondemus ad I. quod Augustinus vel pro

pro *nunquam* intellexit *parum*, quia parum pro nihilo reputatur; & hoc propter brevitatem viæ, quam Angeli habuerunt; vel quod Augustinus intellexit sub peregrinationis nomine charitatis defectum, vel mentis distractionem a Deo; & in hoc sensu certum est, quod Angeli nunquam a Deo fuerunt peregrinati.

Ad II. Beatitudinis carentia non fuit in Angelis miseria, quia erat potius beatitudinis dilatio, sicut de Adamo innocente scripsit idem Augustinus in libro de Correptione, & gratia cap. 10. *Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miserum fieri, in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine ullo mortis, & infelicitatis experimento, acciperet illam, merito hujusmodi permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & Sancti Angeli sunt beati; idest ut cadere non posset ulterius, & hoc certissime sciret.*

Ad III. Dicitur, quod Augustinus sub visionis Dei nomine intellexit eminentem Dei contemplationem, quæ pro illo statu posset viatori convenire, non vero intuitivam Dei visionem, quam Beati in Cœlis habent.

Ad IV. Distinguitur major. Protoparentes in statu innocentiæ nihil habuerunt imperfectum, prout status viæ exigebat conceditur; prout status viæ comparatur ad statum beatitudinis, & Comprehensorum, negatur. Distinguitur pariter minor: Fides est cognitio imperfecta respectu status viatorum negatur; comparative ad statum Beatorum, conceditur minor, & negatur consequentia.

Ad V. Dicitur, quod quando veritas, cui aliquis adversatur, ipsi non constat, nec certus est, eam fuisse a Deo revelatam, hæreticus dici non potest. Protoparentibus aperte non constabat, quod si ipsi comederent de fructu arboris prohibitæ, Deus fuerat ipsis mortem comminatus; Unde Diabolo decipienti fidem dantes, nunquam illam Deo denegaverunt. Et quamvis primis Parentibus constaret, Deum sub mortis pœna prohibuisse illius fructus usum, pro certo tamen non habebant, divina illa sententia an fuisset tantum comminatoria, an executioni mandanda.

Ad VI. Quamvis in Adamo fuerit inordinata erga Evam affectio, & in Eva indebita serpenti fides data; attamen hæ vel comitatæ, vel subsequutæ fuerunt mentis utriusque a Deo discessum, per quem uterque saltem implicite fidem denegarunt Deo præcipienti, & minitanti. Quum enim, præcipue Adam dominium haberet in eo statu innocentiæ passionum suarum, credi non potest, ut ex inordinata illecebra erga mulierem ad comedendum vetitum fructum moveretur. Eva vero serpenti decipienti non credidisset, si Deo præcipienti, & minitanti, integre fidem servasset.

Ad VII. Irenæus, & Tertullianus non docuerunt remanere in Beatis fidem, & spem secundum ipsarum rationes formales specificas, quæ in una important inevidentiam objecti, & in altera absentiam; sed tantum voluerunt, quod utraque remaneret secundum aliquam rationem communem, quæ in fide est certitudo, & quæ pariter convenit visioni, & quæ in spe est objecti perfecta possessio, quatenus hoc possident Beati per fruitionem, quæ speciei succedit, & quidem possident ut præsens, quando antea ut absens per spem solam possidebatur.

Ad VIII. Assensus ad illa objecta non erit actus fidei theologicæ, sed vel Angelicæ vel humanæ, si revelatio fiat ab alio, quam a Deo: & si a Deo, objectis illis præbent assensum Angeli vel Beati, non quidem obscure, sed clare cognitis, quatenus Dei revelatio de iisdem evidentem revelationem, vel cognitionem exhibebit.

Ad IX. Adducimus repugnantias, quas visio intuitiva, & fides inter se habent; quarum prima est, quod idem objectum non potest simul clare videri, & obscure credi; Secunda, quod beatitudo excludit omnem formidinem circa objectum suum, fides vero & spes includunt; tertia, quia lumen gloriæ inclinat potentiam ad actus evidentes, fides vero ad actus inevidentes circa idem objectum; quarta quia lumen gloriæ parturit visionem intuitivam objecti, & per consequens exigit negationem habitus fidei, qui per se est omnino obscurus, & inevidens.

Ad X. Character non est per se operativus alicujus actus vitalis, sed tantum est signum Sacramenti suscepti ab illo, cui character imprimitur; Unde non mirum si remanet in Beatis, & in Damnatis, in illis quidem ad gloriam & honorem; in his vero ad confusionem, & ignominiam. Habitus vero fidei est operativus actus

vitæ

vitalis; unde in eo statu, in quo operari non potest, nullo modo remanet, quia esset inutilis, & supervacaneus.

Ad XI. Primo dicunt aliqui, quod Jacobus usus est verbo credunt, quod est temporis præsentis, pro præterito, & mens ejus fuit dicere, quod Dæmones, qui habuerunt fidem, quando erant in statu viæ, credebant; quia illam tamen solam habuerunt, & cum operibus bonis nõ sociarunt, ideo damnati sunt. Quod Christianis proponit, ut nec ipsi habeant fidem operibus vacuam. Secundo rectius alii respõdent, quod Jacobus loquutus est de fide, non theologica, & in Dæmonibus infusa, sed de fide acquisita, quam quidem Dæmones acquirere possunt vel per experientiam miraculorum, quæ vident, vel alio modo, qui sit nobis incognitus.

Ad XII. Nulla remanet in Damnatis pia affectio ad credendum, cujus sunt omnino incapsces, tum propter eorum obstinationem in malo, tum propter odium, quod erga Deum pertinaciter servant. Exemplum vero Epulonis, petentis a Deo, ut ad fratres suos Lazarum mitteret, qui iisdem inferni tormenta annunciaret, non est ad rem; quatenus finis petitionis Epulonis fuit, ne propter societatem Fratrum suorum ejus tormenta in inferno augerentur.

Ad XIII. Distinguitur antecedens; habet eandem facilitatem ad actus &c. propter fidem infusam, negatur; propter fidem acquisitam ratione multorum actuum, quos ante lapsum in hæresim exercebat, conceditur: Et sic in eo non remanet fides theologica, & infusa, sed tantum acquisita.

Ad XIV. Dicitur, quod habitus acquisitus, exempli gratia, scientiæ, quum non sit simplex, & indivisibilis, sed multiplex, & compositus ex variis habitibus distinctis, qui sunt circa diversa objecta partialia, quæ componunt unum objectum scientificum totale; non est mirum, quod uno habito partiali deperdito, remaneant alii, qui alia objecta partialia respiciunt. Habitus autem fidei omnino est indivisibilis, & simplex; ac proinde si deperditur, totus omnino deperditur.

Ad XV. Moraliter tantum habitum fidei expellit actus infidelitatis, sive hæresis, & quidem non solum moraliter demeritorie, sed etiam moraliter dispositive. Quam distinctionem sic explicat Frassen: „ Duplex enim genus destructionis
„ quantum ad præsens institutum distingui
„ potest; nempe demeritum, & indisposi-
„ tio; actus autem infidelitatis non solum
„ pugnat in fidem demeritorie, quatenus
„ videlicet movet Deum, ut ab infideli sub-
„ strahat fidem; sed etiam dispositive; qui
„ enim non vult assentiri uni propositioni
„ fidei propter authoritatem, & revelatio-
„ nem divinam ab Ecclesia propositam, eo
„ ipso habet impedimentum, ne assensum
„ præbeat fidei infusæ circa alias proposi-
„ tiones: siquidem authoritas, & revelatio
„ divina, proposita per Ecclesiam, est uni-
„ cum, & indivisibile motivum, quo assen-
„ timur per fidem infusam omnibus myste-
„ riis revelatis: ergo ubi motivum illud
„ censetur insufficiens, ut excitet intelle-
„ ctum ad assensum respectu unius, pari
„ ratione censeri debet insufficiens ad as-
„ sentiendum aliis propter idem motivum
„ credendi. „

DISSERTATIO CCLXXII.

De habitu Fidei infusæ. A quo hic habitus producatur? An infundatur semper cum habitu Charitatis? An possit sine illo infundi? An per actus suos possit aliquando producere in Viatoribus habitum naturalem, & acquisitum, circa idem objectum?

Supponendum hic omnino est, quod habitus fidei theologicæ, sicut & pariter spei, & charitatis, est infusus per se, & non solum per accidens. Ratio est, quia habitus virtutum theologicarum ex natura sua postulant non fieri ab actibus, quemadmodum producuntur habitus acquisiti; sed conceduntur divinitus ad modum potentiæ, quæ non ad faciendus, sed ad simpliciter operandum, ordinatur. Posito igitur, quod habitus fidei producatur a Deo, quæri potest insuper, an habitus fidei seorsim ab aliis habitibus, scilicet spei, charitatis, & gratiæ sanctificantis, possit a Deo produci?

Prima sententia est illorum, qui docent, habitum fidei sine habitu gratiæ sanctificantis sæpe a Deo infundi. Tribuitur hæc sententia Suarez disput.7.sect.5.n 6.

Secunda sententia est aliorum docentium, quod quamvis extra Sacramentum non infundatur fidei habitus, possit tamen infundi fides habitualis in Baptismo homini adulto, qui sit dispositus per fidem actualem, quantumvis habeat obicem ad gratiam sanctificantem. Et hujus sententiæ est Sotus lib. 2. de natura, & gratia cap. 8.

Tertia sententia est communis inter Theologos, qui volunt, habitum fidei theologicæ nunquam infundi posse absque habitu charitatis, & gratiæ sanctificantis.

Dicimus I., habitum fidei theologicæ a Deo tantum infundi. Est communis pariter inter Theologos.

I. Probatur. Habitus fidei theologicæ non generatur per actus sui similes: ergo producitur a Deo. Antecedens est certum, quia hæc est differentia inter habitum acquisitum, & habitum infusum, quod ille generatur per actus sui similes, hic vero non. Consequentia probatur. Si habitus fidei theologicæ non generatur per actus sui similes: ergo infunditur; sed non potest infundi ab alio, quam a Deo: ergo si non generatur per actus sui similes, infunditur a Deo. Antecedens patet, quia non est alius modus habendi habitus in anima, quam acquisitio, & infusio. Minor subsumpta etiam est certa; tum quia Deus est Author fidei theologicæ; tum etiam, quia hoc quod est infundere, opus solius Dei est; tum denique, quia nemo nisi Deus potest entitatem illam producere in anima, in qua, ut dictum est, fides habitualis consistit.

II. Probatur. Fides est donum Dei: ergo a solo Deo infunditur. Antecedens est communis & constans doctrina divinæ scripturæ, Conciliorum, & Patrum. Consequentia probatur. Cujus est donare aliquid, illius est infundere, quod nisi per infusionem donari non potest; sed quum fides sit donum Dei, sit, quod & solius Dei sit donare, & quod fides nisi per infusionem donari non possit: ergo ex quo fides est donum Dei, a Deo debet necessario infundi. Probatur illud, quod fides donari non possit nisi per infusionem. Fides, quia est donum Dei, non acquiritur, sed donatur; sed donari non potest alio modo, quam quando Deus illam infundit: ergo Deus nisi per infusionem fidem donare non potest, & ipsa fides donari nequit

quit alio modo, quam quando a Deo nobis infunditur.

III. Probatur. Fides est virtus theologica; sed solus Deus est Dominus virtutum; & nequit dici dominus, nisi virtutum sit dispensator; & virtutes non dispensat, nisi quando illas infundit: ergo si fides est virtus theologica, & Deus est Dominus virtutum, hoc ipso fides recipi a nobis non potest, nisi a Deo infundatur. Tota difficultas est in tribus partibus, quæ componunt minorem propositionem; & sic tres singulæ probantur. Prima, quia passim in Scripturis, & apud Patres, qui eas explicant & interpretantur, Deus dicitur Dominus virtutum. Altera pars probatur etiam, quia ad Dominum spectat dispensare, & aliis elargiri thesauros illos, quorum est Dominus. Tertia demum pars probatur quoque, quia hic est modus, quo Deus nobis virtutes concedit, atque dispensat, quando scilicet illas nobis infundit.

Dicimus II. Fidem de facto infundi simul cum charitatis habitu, posse tamen sine illo infundi.

Prima pars Conclusionis probatur I., quia Concilium Viennense definivit, per Baptismum infundi gratiam, & virtutes; sed nomine gratiæ, quæ est habitualis, venit charitas, & nomine virtutum venit fides; vel si mavis, nomine virtutum veniunt fides, spes, & charitas: ergo de facto fides semper cum charitate infunditur.

II. Probatur. Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. docet, in justificatione infundi simul fidem, spem, & charitem: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accepit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & charitatem.*

III. Probatur. Supponatur Subjectum dispositum ad recipiendam fidem, & ad recipiendam charitatem; in hoc casu non posset Deus illi infundere fidem, & non infundere charitatem: ergo de facto fides simul cum charitate infunditur. Probatur antecedens. Deus nihil facit imperfectum, sed omnia, quæ efficit, perfecte efficit; sed si in casu, in quo subjectum esset dispositum ad recipiendam fidem, & ad recipiendam charitatem, Deus infunderet fidem, & non charitatem, imperfecte, & non perfecte, ageret cum illo: ergo &c. Probatur minor, quia fides sine charitate est mortua, est informis, &c. Sed si Deus homini disposito ad recipiendum charitatem, infunderet fidem sine charitate, infunderet fidem mortuam, & informem; & hoc esset imperfecte agere: ergo si Deus omnia, quæ facit, perfecte facit, infundens fidem homini disposito ad recipiendam fidem & charitatem, eidem simul fidem & charitatem debet infundere.

Secunda pars Conclusionis probatur I. ex verbis Concilii Tridentini citato loco: *Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, qua ratione verissime dicitur, fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse.* Per quæ verba non intelligitur, quod nunquam fides & aliæ virtutes theologicæ seorsim infundantur, neque quod semper infundantur seorsim, sed quod possint seorsim aliquando infundi, quando scilicet homo adultus est dispositus ad fidem, sed non est dispositus ad charitatem.

II. Probatur ex Augustino lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. circa initium: *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum Cælorum. In quibusdam vero tanta est, ut jam corpori Christi & Sancto Dei templo deputentur. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes: non tamen solum concipi, sed & nasci opus est, &c.* quæ Augustini verba clare ostendunt, posse aliquem suæ conversionis initio habere fidem, & non habere spem, & charitatem.

III. Probatur ex illo Joannis 12., ubi de quibusdam Judæorum Principibus dicitur: *Verumtamen ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Per quæ verba aperte dicitur, quod Principes illi habuerint quidem fidem, non autem habuerint spem, & charitatem.

IV. Probatur. Potest dari casus, in quo adultus habeat omnes dispositiones ad habitum fidei, non habeat autem illas, quæ ad charitatem prærequiruntur: ergo in casu illo congruum est, ut ei fides infundatur, si Baptismum suscipiat cum dispositione hac, quanvis recipere non possit habitum gratiæ sanctificantis & charitatis propter indispositionem suam. Probatur antecedens: Aliquis adultus potest esse paratus ad credendum omnia, quæ Deus credenda revelat, & Ecclesia credenda proponit, sive explicite, sive implicite; & nihilominus potest retinere habitum pravum, vel odii erga proximum, vel impuritatis erga aliquod objectum, quod antecedenter carnaliter co-

gnovit, & de suo peccato perfectam non habere contritionem; in hoc casu iste talis erit dispositus ad recipiendam fidem, non erit autem dispositus ad recipiendum habitum gratiæ sanctificantis, & charitatis: ergo potest dari casus &c.

Dicimus III. Habitum fidei infusæ posse aliquando per actus suos producere in Viatoribus habitum naturalem & acquisitum circa idem objectum.

I. Probatur. Datur in nobis fides acquisita; sed hæc in nobis non producitur ex actibus naturalibus fidei humanæ: ergo ex actibus supernaturalibus fidei divinæ theologicæ. Probatur antecedens. S. Augustinus dicit, quod Evangelio non crederet, rebus scilicet in Evangelio contentis, nisi crederet Ecclesiæ Catholicæ: ergo potest aliquis rebus in Evangelio contentis credere ob solam Ecclesiæ authoritatem; atqui rebus ab Ecclesia approbatis possumus fide humana credere: ergo potest aliquis mysteriis fidei in Evangelio contentis credere fide humana & acquisita; sed hæc fides humana & acquisita non est producta ex actibus fidei naturalibus, & acquisitis, quos nunquam habuimus, quum habuerimus ab infantia fidem supernaturalem & infusam: ergo actus illi fidei naturales & acquisiti, ab habitu fidei supernaturali & infuso proveniunt.

II. Probatur. Ponatur casus, quod Puer Gentilis, vel Judæus, minime baptizatus, inter Christianos pueros educetur, qui nesciat, se esse baptizatum, hic puer crederet omnibus illis mysteriis fidei, quibus pueri baptizati crederent; at qui non crederet fide divina & infusa: ergo crederet fide humana & acquisita. Probatur minor. Non posset credere fide divina & infusa, quia nunquam illam habuisset: ergo non crederet fide divina & infusa. Probatur antecedens. Fides divina infunditur per baptismum; sed puer iste, ut supponitur, nullum habuisset baptismum: ergo non posset credere fide divina & infusa.

III. Probatur. Homo baptizatus potest aliquando credere mysteriis fidei, vel quia Parentes hoc sibi dixerunt, vel quia dixerunt Magistri, vel quia Episcopi & Parochi prædicaverunt, non autem, quia Deus revelavit illa Ecclesiæ suæ, & Ecclesia sibi ipsi proposuit; sed in ejusmodi casu iste talis non crederet fide divina & infusa: ergo crederet fide acquisita & humana. Probatur minor. Non habens objectum formale credendi fide divina; neque habet actum supernaturalem ipsius fidei divinæ: sed in hypothesi proposita non haberetur objectum formale credendi fide divina: ergo neque haberetur actus fidei divinæ & infusæ. Probatur minor. Objectum formale fidei divinæ est veracitas Dei revelans, seu Deus verax in cognoscendo, & in dicendo; Sed in casu ille non crederet propter Deum veracem in cognoscendo & in dicendo, quia crederet, vel ob narrationem Parentum, vel ob Magistrorum instructionem, vel ob Episcoporum & Parochorum prædicationem: ergo &c.

IV. Probatur. Fidelis Catholicus desinat credere mysterium Eucharistiæ cum errore & pertinacia; iste talis statim hæreticus evadet, adeoque alia mysteria nostræ fidei non amplius crederet fide divina; atqui crederet: ergo crederet fide humana & acquisita: ergo actus illi fidei, quos faceret post lapsum in hæresim, essent actus fidei naturalis & acquisitæ; sed hi actus provenire non potuissent ab habitu fidei naturali & acquisito: ergo ab habitu, quem prius sibi infusum receperat, fidei supernaturalis, & divinæ.

Arguunt I. Nequeunt actus produci ab habitu non suo; sed actus fidei, qui sunt naturales, non agnoscunt habitum supernaturalem ut suum: ergo ab illo habitu provenire non possunt. Probatur antecedens. Habitus suus, respectu actuum fidei acquisitorum & naturalium, est habitus fidei humanæ naturalis & acquisitæ: ergo non est habitus fidei supernaturalis & infusæ. II. Cap. *Sunt plures* dist. 3. de pœnitentia, dicitur, quod Deus neminem unquam sanavit, quem ex integro non fecerit sanum: ergo nequit Deus infundere fidem alicui, quin charitatem quoque eidem infundat. Probatur consequentia; quia in citato canone ratio hæc additur: *Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo, qui justus, & justitia est, dimidiatam sperare veniam.* III. Matthæi 9. habetur, quod Christus totum hominem sanum fecerit in sabbato: ergo si totum hominem sanavit, utique corpus ab infirmitate, & animam liberavit ab omni contagione peccati. IV. Ipsamet indispositio, quæ supponitur in homine adulto ad recipiendam charitatem, indignum quoque illum reddit, ut fidem supernaturalem a Deo recipiat: ergo propter eandem rationem nec potest

rest recipere charitatem, nec potest recipere fidem. V. Nullus est habitus acquisitus & naturalis, qui sine actibus producatur; sed in casu supponimus, nullos præcessisse actus naturales fidei: ergo in casu eodem nullus potest habitus naturalis & acquisitus fidei produci; atqui produci deberet, ut eliceret actus fidei naturales & acquisitos, qui non possunt elici ab habitu fidei supernaturali & infuso, qui supponitur amplius non esse: ergo &c. VI. Actus supernaturales fidei divinæ non possunt generare habitum naturalem ejusdem: ergo in nullo casu ab actibus supernaturalibus fidei divinæ potest generari habitus fidei naturalis & acquisitus. Probatur antecedens. Actus producunt habitus sibi similes; sed naturale & supernaturale nullam habent inter se similitudinem: ergo actus supernaturales fidei divinæ nequaunt producere habitum fidei naturalem & acquisitum. VII. Actus scientiæ nequeunt generare habitum opinionis, & actus opinionis, nequeunt producere habitum scientiæ: ergo pariter actus fidei supernaturalis & divinæ non possunt generare habitum fidei naturalis & acquisitæ. Probatur consequentia, quia non minus distinguuntur fides acquisita & infusa, fides humana & divina, fides naturalis & supernaturalis, quam scientia & opinio. VIII. Actus fidei naturalis & acquisitæ nullo modo possunt generare habitum fidei supernaturalis & theologicæ: ergo pariter actus fidei supernaturalis & theologicæ nequeunt generare habitum fidei naturalis & acquisitæ. Probatur consequentia; quia æque distant actus fidei naturalis & acquisitæ ab habitu fidei supernaturalis & theologicæ, ac distant actus fidei supernaturalis & theologicæ ab habitu fidei naturalis & acquisitæ.

Respondemus ad I. quod quanvis verum sit, quod nequeunt actus produci ab habitu non suo per se, possunt tamen produci per accidens. Quum enim habitus infusus, quando homo habet gratiam sanctificantem, producit simul cum homine actus supernaturales fidei, ea ipsa productione remanet semper in homine facilitas ad actus similes producendos; Unde homo quando amittit fidem per hæresim, producens actus fidei, illos primo ratione habitus antecedenter infusi producit, remote quidem, non proxime, & non per se, sed per accidens, quia per se, & proxime producit ratione illius facilitatis acquisitæ.

Ad II. Quanvis ita sit de facto, ut dicitur in Canone, de possibili tamen non repugnat casus, qui fuit propositus. Et quidem in illa hypothesi injuriam illi homini non faceret Deus, si integre illum sanum non redderet, infundendo ei scilicet fidem, & charitatem; quia defectus esset ex parte sui, non ex parte Dei; ipse enim esset dispositus ad fidem, & non dispositus ad charitatem; proindeque absque injustitia Deus illi infunderet fidem, & non infunderet charitatem.

Ad III. Totum quidem hominem sanavit, quia totus homo dispositus erat ad salutem recipiendam. At in hypothesi, quam proposuimus, non totus homo dispositus est ad virtutes omnes theologicas recipiendas. Dispositus enim est, ut supponitur, ad fidem, & fides ei infunditur; Non est dispositus ad charitatem, & charitas ei non infunditur. Unde si totus homo non sanatur, defectus non est ex parte Dei, vel nolentis, vel non potentis ipsum sanare, sed est ex parte hominis, qui sanari vult per unam virtutem, & non per aliam.

Ad IV. Quemadmodum demeritum seu indignitas, quæ hominem privat charitate, non eum privat fide, ita & indispositio, quæ facit, ut ipse non recipiat charitatem, non facit ut ipse non recipiat fidem. Alius enim est obex fidei, alius est obex charitatis; Obex fidei est hæresis, & infidelitas, quæ ab homine fideli amitti facit fidem, & ab homine infideli non facit eam recipi. Obex vero charitatis est peccatum mortale quodcumque, cum quo potest stare fides, quanvis cum eo stare non possit charitas; adeoque peccatum mortale est quidem obex ad recipiendam, vel ad conservandam charitatem, non tamen est obex ad recipiendam, & conservandam fidem, contra quam solus obex est, ut diximus, hæresis, vel infidelitas.

Ad V. Illi actus, qui fuerunt supernaturales fidei theologicæ, & infusæ, produxerunt in intellectu facilitatem ad assentiendum mysteriis a Deo revelatis; hæc facilitas, ut dictum est, producit deinde, quando fides deperditur, actus fidei naturales; unde habitus infusus dici potest, quod sit caussa remota actuum naturaliũ subsequentium fidei; facilitas vero illa acquisita sit caussa proxima, ut dictum est.

Ad VI. Debet quidem servari proportio inter habitum, & actus, sed non semper in

en-

entitate, quanvis semper in activitate. Habitus dubitandi non potest producere actus sciendi, sicut nec actus sciendi possunt generare habitum dubitandi; & hoc est quia non habent proportionem in vi activa, in vi operativa, &c. Quando tamen habent proportionem in activitate, parum refert, quod non habeant in entitate, quia si actus naturales non producuntur per se ab habitu supernaturali, possunt produci per accidens, & sic salvatur proportio in entitate.

Ad VII. Scientia, & opinio habent objecta formalia omnino distincta, & ideo non mirum si actus unius non possunt producere habitum alterius, & si habitus alterius non potest facere actus unius. Fides autem infusa, & acquisita, non distinguuntur ratione objectorum formalium, quia utraque tendit in idem formale objectum; quatenus nimirum, & per fidem divinam, & per fidem humanam, potest credi mysterium, ut a Deo revelatum, & distinctio est tantum, vel penes modum tendendi ad ipsum, vel ratione fidei, quæ potest esse informis, & formata, propter charitatem, quæ si adest in anima illam facit vivam, si vero ab anima abest, illam mortuam reddit.

Ad VIII. Disparitas est, quod actus fidei naturales non possunt elevari ad fidem supernaturalem producendam, neque remote, neque per accidens; habitus vero supernaturalis fidei potest remote, & per accidens, producere actus naturales fidei humanæ, & acquisitæ, quia ad hoc non requiritur elevatio.

DISSERTAT. CCLXXIII.

De actu fidei supernaturalis. Quot modis elici possit internus divinæ fidei actus? An sit certior quocunque assensu cujuslibet scientiæ naturalis? Et a quo proveniat major hæc certitudo?

PRIMO erravit Erasmus Roterodamus, asserens in annotationib. in epist. ad Hebræos cap. 11. ubi docet Apostolus: *Est autem fides substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*; quod nomine fidei in hoc loco non significetur actus intellectus, sed voluntatis, qui dicitur potius fiducia. Et quanvis Damascenus lib. 4. de fide cap. 11. videatur etiam hoc sensisse, explicatur tamen a Magistro sententiarum, asserente, quod licet in præfato loco fiat sermo de fiducia, non tamen est de illa sola, sed simul etiam de intellectuali fide. Quod & probat ex Apostoli contextu, qui postquam dixerat in fine capitis 10. *Justus ex fide vivit*, statim deinde initio capitis 11. subdit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; & deinde concludit: *Sine fide impossibile est placere Deo; quia accedentem ad Deum oportet credere, quia est*; quæ verba omnino important intellectus assensum.

Secundo Petrus Abailardus voluit, fidem esse æstimationem dubiam, non certitudinem, qua sit longe major ipsamet philosophia. Testatur S. Bernardus, qui & ipsum impugnat epist. 190. cap. 4.

Tertio Teologi non conveniunt in assignanda ratione, quare fides sit quacunque alia notitia certior. Cajetanus vult, quod assensus fidei sit certior scientia secundum se, non vero secundum nos. Alii vero dicunt, quod major certitudo fidei repetenda sit ex parte objecti, non vero subjecti; quatenus scilicet objectum fidei, quod est Deus, est certius quocunque alio, quatenus Deus nec fallere potest, nec falli; non sic vero ex parte subjecti, quia subjectum, scilicet intellectus, per scientiam excludit quamcumque dubitationem, non vero per fidem. Alii quoque certitudinem majorem in fide explicant per majorem radicationem ipsius in subjecto, hoc est in intellectu; quatenus scilicet fides firmius intellectui inhæret, quam scientia. Alii quoque dicunt, quod fides sit certior scien-

scientia appretiative, non vero aliter; quatenus nimirum homo paratus est omnes alias cognitiones potius negare, quam fidem. Demum aliqui asserunt, quod fidei assensua ideo sit certior quocunque assensu scientifico, etiam illo, qui procedit ab habitu primorum principiorum, quia eliciitur a principio effectivo, quod est longe certius, quam sit quælibet notitia naturalis, vel ingenita, vel acquisita.

Dicimus I. per fidem ab Apostolo definitam, vel explicatam, non intelligi fiduciam, sed proprie fidem, quæ est intellectualis virtus, & actum internum divinæ fidei tribus modis elici posse; credendo scilicet Deo, credendo Deum, & credendo in Deum.

Prima Conclusionis pars sic optime explicatur, & probatur a S. Bonaventura, dist.23. art.1 qu.5. „ Tunc definitio, sive notificatio, est recte assignata, quando „ nihil continet superfluum, nihil etiam „ diminutum. Et hoc est, quando per ipsam notificationem ipsius definiti essentia plane indicatur, & aperte manifestatur, & ab omnibus aliis separatur: hoc „ autem est reperire in proposito; si quis „ attendat, nam ipsa fides secundum essentiam suam aliquid respicit ex parte intellectus, & aliquid ex parte affectus. „ Habet enim affectum stabilire, & intellectum illuminare. Et in quantum affectum stabilit, dicitur *substantia*, sive fundamentum; in quantum autem intellectum illuminat, dicitur *argumentum*. Ut „ ergo plene fidei essentia explicaretur, „ oportuit eam definiri sive notificari, ut „ diceretur substantia simul, & argumentum; debet enim definitio totam essentiam definiti inter se claudere; debet „ etiam nihilominus aperte notificare. „ Quoniam ergo habitus virtutis dupliciter „ notificari habet, videlicet per finem „ ultimum, & per suum objectum: finis „ autem ipsius fidei consistit in æterna beatitudine, quam speramus, & ita in rebus sperandis: Objectum autem consistit „ in veritate non visa, & ita in rebus non „ apparentibus. Ideo opportunum fuit fidem definiri per res sperandas, & non „ apparentes, ut sic notificatio fidei non „ solum essentiam definiti explicaret plene per intellectum, & affectum, sed „ etiam manifestaret aperte per finem, & „ objectum. Debet etiam definitio definitum ab omnibus aliis separare. Et quoniam fides formata distingui habet a fide informi, distingui etiam habet ab habitu cujuslibet alterius virtutis: a fide, inquam, informi distinguitur, in quantum „ sustentat totam fabricam spiritualem, & „ ab aliis autem virtutibus in quantum veritati non visæ facit adhærere. Ideo „ quantum ad hæc duo dicitur substantia „ rerum sperandarum, ut distinguatur a „ fide informi. Et argumentum non apparentium, ut distinguatur ab habitibus „ aliarum virtutum; & sic patet, quod „ prædicta notificatio nihil continet superfluum, nihil diminutum, nec est in „ ea clausula, nec dictio, imo nec etiam „ syllaba otiosa. Fatendum est ergo, ipsam „ esse convenienter, & secundum artem „ assignatam; ita quod in se habet veritatem, convertibilitatem, evidentiam, & „ sufficientiam, adeo perfecte, & complete, ut ne peritissimi Philosophorum „ possent eam artificialius, & completius „ assignare. „

Secunda pariter Conclusionis pars explicatur, & probatur I. Fides tribus modis potest tendere in suum objectum, quod est Deus: ergo tribus modis elici potest actus internus fidei divinæ. Probatur antecedens. Primo modo tendit in Deum, ut in objectum attributionis, & ita credit Deum esse, vel existere, & sic credit Deum; Secundo modo tendit in Deum ut in suum objectum formale, quod est divina revelatio, seu authoritas Dei revelantis, & sic credit Deo, qui proponens veritatem credendam, nec falli potest, nec fallere; Tertio modo tendit in Deum per piam voluntatis motionem, qua inclinatur intellectus ad credendum, & sic credit in Deum.

II. Probatur ab Augustino serm.18. de tempore, &c. de verbis Domini: *Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & membris ejus incorporari*. Quod confirmatur ex illo Joannis 12. *Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei*. Hi autem erant peccatores, quia magis homines timebant, quam Deum; & tamen credebant in Deum. Unde Chrysostomus homil. 52. in Matthæum scripsit: *Nihil prodest, si credas in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, nisi recte vixeris*. Unde præter credere in Deum, est etiam credere Deum, & credere Deo, quod non faciebant Principes illi, qui credebant in Christum.

Di-

Dicimus II. Actum fidei supernaturalis esse certiorem quocunque assensu cujuslibet scientiæ naturalis.

I. Probatur ex Scripturis. Lucæ 21. *Cœlum, & terra transibunt; verba autem mea non transibunt*. 2. Petri cap. 2. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*. 1. epist. Joan. cap. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*, 1. ad Corinth. 10. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Et addit: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit, ut confundat fortia*, & 2. ad Corinth. 10. *Arma militia nostra non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*.

II. Probatur ex Patribus. Basilius concione in psalm. 115. *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahit*. Chrysostomus homil. 12. in epist. ad Hebræos: *Fides dici non potest, nisi cum circa ea, quæ non videntur amplius, quam circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit*. Augustinus lib. 7. confessionum cap. 10. *Facilius dubitarem vivere me, quam esse veritatem, quam audivi in corde*.

III. Probatur rationibus. I. Assensus fidei divinæ est determinatus ad veritatem respectu sui objecti, magis quam sit quicunque alius assensus naturalis; ergo est certior. Probatur antecedens. Assensus fidei divinæ innititur motivo magis immutabili quantum ad veritatem, quam sint motiva cujuscunque assensus naturalis; ergo est magis determinatus ad veritatem. &c. Probatur antecedens. Nititur divina revelatione ac veracitate; sed hoc motivum est certius, & magis immutabile, quam quæcunque alia motiva, &c. ergo, &c. II. Lumen, per quod habetur certitudo fidei divinæ, est infusum, & divinum; sed hoc ipso est certius quocunque alio lumine naturali; ergo pariter assensus fidei divinæ est certior, quam quicunque alius assensus cujuslibet scientiæ naturalis. III. Per lumen fidei divinæ homines ita credunt mysteria revelata, ut potius mori eligant, quam ipsam denegent; sed nunquam mori voluerunt, nec mori volunt, per quancunque naturalem, & certam scientiam: ergo homines jam fatentur, & quidem propriæ vitæ dispendio, certiorem esse actum fidei divinæ, quam quicunque actus omnium naturalium scientiarum.

Dicimus III. majorem hanc certitudinem provenire ab habitu infuso, & divino, & cum eo ab auxilio, quod infallibiter determinat ad veritatem.

I. Probatur confutando opiniones Theologorum de Schola, quas supra retulimus. Et quidem confutatur prima, quæ est Cajetani, ut diximus; quia si actus fidei est certior scientia secundum se, non vero secundum nos, Fides non reddit nos certos magis, quam reddant habitus naturales: ergo vere dici non potest, quod actus fidei sit certior actibus naturalium habituum: tum etiam, quia hæc major certitudo debet esse præcipue quoad nos, quia nos credentes debet facere certos de veritate illorum, quæ credimus. Confutatur etiam secunda, ratione nuper facta, quia certitudo debet afficere subjectum, adeoque se tenere ex parte subjecti, non objecti. Confutatur etiam tertia, quia major radicatio non præbet præstantiorem assensum, ut est compertum apud illos, qui negant majorem qualitatis intensionem provenire a majori radicatione in subjecto. Confutatur etiam quarta, quia fides non habet a voluntate certitudinem, adeoque nequit esse appretiative tantum magis certa, quam scientia; Confutatur denique quinta, quia illud principium effectivum certius, vel explicatur per habitum, vel per auxilium omnino, & infallibiliter ad veritatem determinans, vel alio modo, quem usque nunc non dixerunt; Si primum, coincidit cum nostra sententia; Si secundum, expectamus donec explicent.

II. Probatur, Ille actus est certior aliis, qui provenit a principio, quod infallibilius, & efficacius ad veritatem determinat; sic est actus fidei respectu cujuscunque cognitionis naturalis: ergo per hanc rationem actus fidei est certior quacunque naturali cognitione. Major est certa, quia actus scientiæ sive mediatæ, sive immediatæ, sunt certiores opinionis actibus; quia principia, ex quibus hujusmodi actus procedunt, ex se infallibiliter ad verum inclinant. Probatur minor. Habitus fidei sicuti in entitate sua est lumen præstantius omnibus aliis naturalibus luminibus, ita etiam in operatione sua efficacius, quam cæteri naturales habitus ad veritatem determinat: ergo actus fidei, prout ab eodem habitu proveniunt, efficacius, & infallibilius ad veritatem determinant. Probatur antecedens. Habitus

bitus fidei est nobilior, & intimior participatio luminis divini, quam sint omnes naturales scientiæ: ergo habitus fidei, & in entitate sua, & in operatione sua, est lumen præstantius, quam cæteræ aliæ naturales scientiæ. Probatur antecedens. Omnes aliæ naturales scientiæ participant dumtaxat divinum lumen secundum esse naturale, fides vero participat illud secundum esse supernaturale: ergo habitus fidei est nobilior, & intimior participatio luminis divini, quam sint omnes naturales scientiæ.

Arguunt I. Fides secundum sententiam Theologorum de Schola, qui sub Peripateticorum vexillis stipendia merent, est habitus de genere qualitatis: ergo non potest definiri, vel describi, quod sit substantia. II. Fides est virtus; sed nulla virtus est argumentum, nec ullum argumentum est virtus: ergo non bene definitur, nec describitur fides, quod sit argumentum. III. Infernales pœnæ non sperantur, sed timentur, & nihilominus creduntur: ergo non est verum, quod fides sit substantia rerum sperandarum. Consequentia probatur; quia si eliceremus actum fidei circa pœnas inferni, huic actui propter allatam rationem non conveniret, quod sit rerum sperandarum, &c. IV. Fides est fundamentum totius spiritualis ædificii; sed ad spirituale ædificium non minus concurrit spes, quam charitas, immo magis charitas, quam spes: ergo fides non minus dici debet substantia rerum sperandarum, quam substantia rerum diligendarum. V. Si tribus illis modis nos deberemus credere, quicunque actus fidei tres actus comprehenderet; adeoque ex tribus actibus deberet esse compositus; sed hoc dici non potest: ergo, &c. VI. Peccatores, quamvis possint credere Deum, credere Deo, non tamen possunt credere in Deum: ergo tres illi actus nequeunt esse communes omni credenti. Probatur antecedens. Credere in Deum importat pium voluntatis affectum; sed peccatores non habent hunc pium voluntatis affectum: ergo peccatores non possunt credere in Deum. VII. Illud est certius, de quo dubitari non potest, & illud est minus certum, de quo dubitatur; sed dubitatur de fide, de scientia autem non dubitatur; & præcipue de scientia immediata, quæ est intelligentia, seu habitus primorum principiorum: ergo fides non est magis certa, quam scientia, immo potius scientia est magis certa, quam fides. VIII. Certior est assensus, qui datur per evidentiam, assensu, qui datur per adhæsionem; sed assensus scientiæ datur per evidentiam, assensus vero fidei datur per adhæsionem: ergo certior est assensus scientiæ, quam assensus fidei. Probatur major. Assensus, qui datur per evidentiam est necessarius, & naturalis; proindeque immutabilis: assensus vero, qui datur per adhæsionem, est voluntarius, & liber; & per consequens mutabilis: ergo certior est assensus datus per evidentiam assensu dato per adhæsionem. IX. Potest dari casus, in quo assensus naturalis evidens majorem habeat intensionem in anima, quam assensus fidei: ergo in illo casu assensus naturalis evidens majorem haberet certitudinem. Probatur consequentia; quia quo assensus majorem habet intensionem, eo etiam majorem habebit certitudinem. X. Cognitio scientifica comparatur visioni, cognitio vero de fide comparatur auditioni, *quia fides ex auditu*, ut habetur ad Romanos 10. Sed visus certior est auditu: ergo cognitio scientifica certior est cognitione per fidem. XI. Lumen Solis est quidem intensius quocunque alio lumine artificiali, quod efformare possint homines; at nihilominus aliquando evenire potest, quod licet lumen Solis clarius sit in seipso, non tamen sit clarius apud nos, quia propter aeris impedimentum magis lucebit in hac aula lumen artificiale, quam lumen Solis; & per consequens lumen Solis clarius in seipso, non erit clarius apud nos. Ita pariter evenire potest in habitu fidei, qui sit certior in seipso, non autem sit certior apud nos. XII. Adhuc posita nostra conclusione, remanet nihilominus inexplicatum, unde proveniat in actu fidei major illa certitudo, quæ non habetur in actu scientiæ; dicere enim quod habeatur ab habitu, vel ab auxilio, omnino & infallibiliter determinante ad veritatem, non omnem tollit difficultatem, quia remanet adhuc explicandum, unde auxilium illud certo, & infallibiliter ad veritatem determinet, & a quo habeat.

Respondemus ad I. distinguendo antecedens: est habitus de genere qualitatis respectivæ, conceditur; absolutæ, negatur; quia, ut diximus, in se ipsa & absolute etiam est substantia; attamen S. Bonaventura juxta Aristotelicorum hypothe-

Dicimus II. Actum fidei supernaturalis esse certiorem quocunque assensu cujuslibet scientiæ naturalis.

I. Probatur ea Scripturis. Lucæ 21. *Cælum, & terra transibunt; verba autem me ɪ n n transibunt*. 2. Petri cap. 2. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*. 1. epist. Joan. cap. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*, 1. ad Corinth. 10. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Et addit: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit, ut confundat fortia*, & 2. ad Corinth. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*.

II. Probatur ex Patribus. Basilius concione in psalm. 115. *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahit*. Chrysostomus homil. 12. in epist. ad Hebræos ɪ *Fides dici non potest, nisi cum circa ea, quæ non videntur amplius, quam circa ea, quæ videntur, certitudinem quir habuerit*. Augustinus lib. 7. confessionum cap. 10. *Facilius dubitarem vivere me, quam esse veritatem, quam audivi in corde*.

III. Probatur rationibus. I. Assensus fidei divinæ est determinatus ad veritatem respectu sui objecti, magis quam sit quicunque alius assensus naturalis; ergo est certior. Probatur antecedens. Assensus fidei divinæ innititur motivo magis immutabili quantum ad veritatem, quam sint motiva cujuscunque assensus naturalis; ergo est magis determinatus ad veritatem. &c. Probatur antecedens. Nititur divina revelatione ac veracitate; sed hoc motivum est certius, & magis immutabile, quam quæcunque alia motiva, &c. ergo, &c. II. Lumen, per quod habetur certitudo fidei divinæ, est infusum, & divinum; sed hoc ipso est certius quocunque alio lumine naturali; ergo pariter assensus fidei divinæ est certior, quam quicunque alius assensus cujuslibet scientiæ naturalis. III. Per lumen fidei divinæ homines ita credunt mysteria revelata, ut potius mori eligant, quam ipsam denegent; sed nunquam mori voluerunt, nec mori volunt, per quancunque naturalem, & certam scientiam; ergo homines jam fatentur, & quidem propriæ vitæ dispendio, certiorem esse actum fidei divinæ, quam quicunque actus omnium naturalium scientiarum.

Dicimus III. majorem hanc certitudinem provenire ab habitu infuso, & divino, & cum eo ab auxilio, quod infallibiliter determinat ad veritatem.

I. Probatur confutando opiniones Theologorum de Schola, quas supra retulimus. Et quidem confutatur prima, quæ est Cajetani, ut diximus; quia si actus fidei est certior scientia secundum se, non vero secundum nos, Fides non reddit nos certos magis, quam reddant habitus naturales: ergo vere dici non potest, quod actus fidei sit certior actibus naturalium habituum: tum etiam, quia hæc major certitudo debet esse præcipue quoad nos, quia nos credentes debet facere certos de veritate illorum, quæ credimus. Confutatur etiam secunda, ratione nuper facta, quia certitudo debet afficere subjectum, adeoque se tenere ex parte subjecti, non objecti. Confutatur etiam tertia, quia major radicatio non præbet præstantiorem assensum, ut est compertum apud illos, qui negant majorem qualitatis intensionem provenire a majori radicatione in subjecto. Confutatur etiam quarta, quia fides non habet a voluntate certitudinem, adeoque nequit esse appretiative tantum magis certa, quam scientia; Confutatur denique quinta, quia illud principium effectivum certius, vel explicatur per habitum, vel per auxilium omnino, & infallibiliter ad veritatem determinans, vel alio modo, quem usque nunc non dixerunt; Si primum, coincidit cum nostra sententia; Si secundum, expectamus donec explicent.

II. Probatur, Ille actus est certior aliis, qui provenit a principio, quod infallibilius, & efficacius ad veritatem determinat; sic est actus fidei respectu cujuscunque cognitionis naturalis: ergo per hanc rationem actus fidei est certior quacunque naturali cognitione. Major est certa, quia actus scientiæ sive mediatæ, sive immediatæ, sunt certiores opinionis actibus; quia principia, ea quibus hujusmodi actus procedunt, ex se infallibiliter ad verum inclinant. Probatur minor. Habitus fidei sicuti in entitate sua est lumen præstantius omnibus aliis naturalibus luminibus, ita etiam in operatione sua efficacius, quam cæteri naturales habitus ad veritatem determinat: ergo actus fidei, prout ab eodem habitu proveniunt, efficacius, & infallibilius ad veritatem determinant. Probatur antecedens. Habitus

bitus

bitus fidei eſt nobilior, & intimior participatio luminis divini, quam ſint omnes naturales ſcientiæ: ergo habitus fidei, & in entitate ſua, & in operatione ſua, eſt lumen præſtantius, quam cæteræ aliæ naturales ſcientiæ. Probatur antecedens. Omnes aliæ naturales ſcientiæ participant dumtaxat divinum lumen ſecundum eſſe naturale, fides vero participat illud ſecundum eſſe ſupernaturale: ergo habitus fidei eſt nobilior, & intimior participatio luminis divini, quam ſint omnes naturales ſcientiæ.

Arguunt I. Fides ſecundum ſententiam Theologorum de Schola, qui ſub Peripateticorum vexillis ſtipendia merent, eſt habitus de genere qualitatis: ergo non poteſt definiri, vel deſcribi, quod ſit ſubſtantia. II. Fides eſt virtus; ſed nulla virtus eſt argumentum, nec ullum argumentum eſt virtus: ergo non bene definitur, nec deſcribitur fides, quod ſit argumentum. III. Infernales pœnæ non ſperantur, ſed timentur, & nihilominus creduntur: ergo non eſt verum, quod fides ſit ſubſtantia rerum ſperandarum. Conſequentia probatur; quia ſi eliceremus actum fidei circa pœnas inferni, huic actui propter allatam rationem non conveniret, quod ſit rerum ſperandarum, &c. IV. Fides eſt fundamentum totius ſpiritualis ædificii; ſed ad ſpirituale ædificium non minus concurrit ſpes, quam charitas, immo magis charitas, quam ſpes: ergo fides non minus dici debet ſubſtantia rerum ſperandarum, quam ſubſtantia rerum diligendarum. V. Si tribus illis modis nos deberemus credere, quicunque actus fidei tres actus comprehenderet; adeoque ex tribus actibus deberet eſſe compoſitus; ſed hoc dici non poteſt: ergo, &c. VI. Peccatores, quamvis poſſint credere Deum, credere Deo, non tamen poſſunt credere in Deum: ergo tres illi actus nequeunt eſſe communes omni credenti. Probatur antecedens. Credere in Deum importat pium voluntatis affectum; ſed peccatores non habent hunc pium voluntatis affectum: ergo peccatores non poſſunt credere in Deum. VII. Illud eſt certius, de quo dubitari non poteſt, & illud eſt minus certum, de quo dubitatur; ſed dubitatur de fide, de ſcientia autem non dubitatur; & præcipue de ſcientia immediata, quæ eſt intelligentia, ſeu habitus primorum principiorum: ergo fides non eſt magis certa, quam ſcientia, immo potius ſcientia eſt magis certa, quam fides. VIII. Certior eſt aſſenſus, qui datur per evidentiam, aſſenſu, qui datur per adhæſionem; ſed aſſenſus ſcientiæ datur per evidentiam, aſſenſus vero fidei datur per adhæſionem: ergo certior eſt aſſenſus ſcientiæ, quam aſſenſus fidei. Probatur major. Aſſenſus, qui datur per evidentiam eſt neceſſarius, & naturalis; proindeque immutabilis: aſſenſus vero, qui datur per adhæſionem, eſt voluntarius, & liber; & per conſequens mutabilis: ergo certior eſt aſſenſus datus per evidentiam aſſenſu dato per adhæſionem. IX. Poteſt dari caſus, in quo aſſenſus naturalis evidens majorem habeat intenſionem in anima, quam aſſenſus fidei: ergo in illo caſu aſſenſus naturalis evidens majorem haberet certitudinem. Probatur conſequentia; quia quo aſſenſus majorem habet intenſionem, eo etiam majorem habebit certitudinem. X. Cognitio ſcientifica comparatur viſioni, cognitio vero de fide comparatur auditioni, *quia fides ex auditu*, ut habetur ad Romanos 10. Sed viſus certior eſt auditu: ergo cognitio ſcientifica certior eſt cognitione per fidem. XI. Lumen Solis eſt quidem intenſius quocunque alio lumine artificiali, quod efformare poſſint homines; at nihilominus aliquando evenire poteſt, quod licet lumen Solis clarius ſit in ſeipſo, non tamen ſit clarius apud nos, quia propter aeris impedimentum magis lucebit in hac aula lumen artificiale, quam lumen Solis; & per conſequens lumen Solis clarius in ſeipſo, non erit clarius apud nos. Ita pariter evenire poteſt in habitu fidei, qui ſit certior in ſeipſo, non autem ſit certior apud nos. XII. Adhuc poſita noſtra concluſione, remanet nihilominus inexplicatum, unde proveniat in actu fidei major illa certitudo, quæ non habetur in actu ſcientiæ; dicere enim quod habeatur ab habitu, vel ab auxilio, omnino & infallibiliter determinante ad veritatem, non omnem tollit difficultatem, quia remanet adhuc explicandum, unde auxilium illud certo, & infallibiliter ad veritatem determinet, & a quo habeat.

Reſpondemus ad I. diſtinguendo antecedens: eſt habitus de genere qualitatis reſpectivæ, conceditur; abſolutæ, negatur; quia, ut diximus, in ſe ipſa & abſolute etiam eſt ſubſtantia; attamen S. Bonaventura juxta Ariſtoteleorum hypotheſim

sim respondet; quod substantia dupliciter sumi potest, proprie scilicet, & transumptive, seu per appropriationem. Per substantiam proprie intellectam venit materia, vel forma substantialis, vel compositum, vel cujuslibet rei essentia; per substantiam vero dictam per appropriationem venit quæcunque res, cui aliqua substantiæ proprietas conveniat. Fides igitur dicitur substantia per appropriationem, quia convenit ei esse fundamentum spiritualis ædificii, quod sustinet, quemadmodum forma substantialis in peripatetico systemate est fundamentum accidentium, & materia prima est fundamentum formarum.

Ad II. Argumentum dicitur, quia arguit mentem, hoc est mentem illuminat, ut aliquid cognoscat, eique firmiter adhæreat. Sic argumentum dicimus medium, quod assumimus ad probandum aliquid; argumentum dicimus ratiocinationem, quam adhibemus ad convincendum aliquem; argumentum dicimus prolixi discursus breve compendium, per quod ad intelligentiam aliorum, quæ dicimus, comparamus; argumentum denique dicimus conclusionem ipsam, in qua tota firmitas discursus consistit. Et omnibus his modis fides potest dici argumentum, quia mentem arguit & illuminat, ut rei obscuræ, sed propositæ per divinam authoritatem, assensum præbeat, sicuti argumentatio movet intellectum ut propositioni manifestatæ & probatæ assentiatur.

Ad III. Fides circa infernales pœnas, vel consideratur per modum objecti, vel per modum finis; atqui ex S. Bonaventura fides est rerum sperandarum, non per modum objecti, sed per modum finis, quia ideo infernales pœnas credimus, ut illas fugiamus, & per illarum fugam æternam beatitudinem assequamur. Unde etiam in fide inferni verificatur, quod fides sit substantia rerum sperandarum.

Ad IV. Potest dici fides substantia rerum credendarum, & substantia rerum diligendarum, quemadmodum dicitur substantia rerum sperandarum, sed congruentius dicitur hoc secundo modo, quatenus clarius indicatur finis, qui in credendo habetur, qui est, ut assequamur ea, quæ speramus.

Ad V. Tres illi modi, quos diximus in Deum tendendi, non important tres actus fidei, qui sint inter se realiter distincti, sed potius dicunt, quod in quolibet actu fidei divinæ includentur tria hæc; credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. Et ratio est, quia verus actus fidei divinæ habet Deum ipsum pro suo materiali objecto, saltem attributionis, & sic credit Deum; habet pro formali objecto authoritatem Dei revelantis, & sic credit Deo; & procedit ab intellectu a voluntate excitato, & sic credit in Deum. Unde tres illi modi credendi non sunt tres diversi actus fidei, sed sunt unus actus, qui illis tribus æquivalet.

Ad VI. Dum Peccatores credunt, etiam profitentur se credere in Deum, si non in persona propria, saltem in persona Ecclesiæ; Et hæc est responsio S. Thomæ. S. Bernardus vero serm. 24. in cantica etiam in persona propria tribuit Peccatoribus credere in Deum.

Ad VII. Cum vera fide nulla prorsus dubitatio stare potest, quæ sit libera, voluntaria, & deliberata, quanvis stare possit cum fide habituali aliqua dubitatio indebita, involuntaria, & indeliberata, quæ quidem nec cum fide actuali stare potest. Unde nullo modo officere possunt majori certitudini fidei aliqui actus indeliberati, & involuntarii, quos nos patimur, sed non admittimus, sed potius rejicimus, contra fidem, & sunt potius ad meritum, quam ad culpam.

Ad VIII. Argumentum valeret, si evidentia illa objecti inclinaret intellectum ad assensum propter efficacius, & firmius motivum, quam sit motivum illud, ratione cujus intellectus alicui propositioni propter testimonium revelantis adhæret. At in casu res contra se habet, quia cujuslibet naturalis objecti evidentia non habet æqualem firmitatem, & efficacitatem, ac divina veracitas, cui omnino repugnat fallere, & falli. Ac proinde in casu certior est assensus, qui datur per adhæsionem, quam qui datur per evidentiam, & quidem ratione motivi, quod in illo, qui datur per adhæsionem, est firmius, & efficacius, quam in illo, qui datur per evidentiam.

Ad IX. Illa major intensio non esset major ratione certitudinis, sed esset major ratione entitatis, quæ est indifferens ad certitudinem. Et hoc pacto quæcunque sit major intensio assensus hujus, nunquam perveniet ad certitudinem assensus fidei, quia semper esset in ordine naturali, assensus vero fidei est certissimus in ordine supernaturali, ad quem nullam habet proportionem quævis naturalis certitudo.

Ad

Ad X. Certum est, quod visus ex se est perfectior auditu, si tamen ambo sint æque perfecti; attamen quando visus est debilis, & auditus est perfectus, majoritas certitudinis stat potius pro auditu, quam pro visu. Si quis enim parum videns, a longe videat animal, quod credat esse hominem, & deinde ab aliquo fide digno audiat, illud non esse animal irrationale, sed rationale, qualis est homo; certum est, quod hic talis magis crederet auditui, quam visui, adeoque majorem certitudinem haberet in auditu, quam in visu. Sic pariter in casu nostro; intellectus noster, ratione peccati primorum Parentum, infirmus est ad videndum, unde fallitur sæpesæpius; at quando audit Deum revelantem, nullatenus falli potest: sicque majorem certitudinem fateri debet se invenire in auditu, quam in visu.

Ad XI. Illud evenit ex improportione ex parte medii ad recipiendum lumen Solis, ex parte scilicet aeris, ut dicitur in argumento. Sed similis improportio non est inter habitum fidei, & intellectum, cui habitus ille immediate inest, quia nullum est medium, quod possit firmitatem ejus impedire.

Ad XII. dicitur, quod lumen habituale fidei habetur a Deo, & a Deo pariter hoc habet, quod sit certissimum, & infallibiliter ad veritatem determinet; quod non habet quodcunque lumen aliud, quod naturaliter quocunque modo habeatur. Et hoc pacto explicatum remanet, unde habeatur major fidei certitudo.

DISSERTAT. CCLXXIV.

De Actu fidei supernaturalis. An, & quomodo internus actus fidei divinæ sit necessarius ad salutem? An necessitate medii, vel præcepti? Quale objectum, & quibus temporibus? Et an ad illum eliciendum prærequiratur actus voluntatis, & qualis?

Dicimus I. Actum internum fidei divinæ fuisse semper, & esse modo, omnibus adultis necessarium, & necessitate medii, & necessitate præcepti.

Prima pars Conclusionis probatur Ex Scripturis. Habacuc 2. *Justus ex fide vivit*: ex quibus verbis Chrysostomus homil. de fide infert: *Nullus sine fide vitam habuit*. Ad Hebræos 11. *Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est*. Quod hoc loco Apostolus loquatur de fide actuali, patet ex illo verbo *accedentem*, per quod significatur actu properans, & tendens in Deum. Ad Galatas 3. *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu*. Et ad Ephes. 2. *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Quibus etiam verbis Apostolus loquitur de actu fidei, non de habitu tantum.

II. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. in quo docet caussam instrumentalem justificationis nostræ esse *Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio*. Et cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix*. Et can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Verbis hisce significari, actum fidei internum esse necessarium ad nostram justificationem, meridiana luce clarius est. Insuper in eodem Tridentino sess. 6. cap. 6. docetur, quod actus fidei internus sit præparatio, & dispositio necessaria ad justitiam: *Disponuntur autem*

autem ad justitiam dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes quæ divinitus revelata, & promissa sunt. Ubi per verba illa *moventur, & credentes*, clarissime actus fidei interni ostenduntur.

III. Probatur ex Patribus. Augustinus serm. 38. de tempore: *Fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam justificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam.* Idem docet in præfatione psalmi 31., ubi asserit, quod non solum in singulis hominibus sed etiam in singulis operibus, fides sit pietatis fundamentum; itaut sine illa nemo possit esse, aut pius, aut justus. Fulgentius lib. de fide ad Petrum: *sine fide nulla potest prodesse, imo neque esse, conversio.* Et denuo: *Sine hac fide nemo ad numerum filiorum potest pervenire.* Eadem habent Leo Magnus serm. 4. de nativit. & Bernardus epistola 73.

IV. Probatur rationibus. I. Nullum sine fundamento erigi potest ædificium, nulla sine radice potest arbor fructificare; sed fides est fundamentum, & radix: ergo sine actu interno ipsius nullum fieri potest opus, nullus sperari potest fructus, & quod justificationis ædificium contineat, & qui salutem conferat æternam. II. Per fidem sumus intra Ecclesiam, & sine fide extra ipsam sumus; Sed per hoc, quod sumus intra Ecclesiam, salutem consequi speramus: ergo salutem consequi speramus per hoc quod fidem habemus: Atqui intra Ecclesiam non judicatur quis esse, si nullum eliciat actum fidei internum: ergo actus fidei internus est necessarius, ut quis intra Ecclesiam esse dicatur, & salutem consequatur æternam. III. Fides in via correspondet visioni in Patria; sed visio in Patria non est habitualis, sed actualis: ergo pariter fides in via non sufficit, quod sit habitualis, sed debet esse actualis. IV. Frustranea est illa potentia, quæ nunquam reducitur ad actum: ergo frustraneus esset fidei habitus, si nunquam reduceretur ad actum.

Secunda Conclusionis pars, quæ est de necessitate medii, probatur I. Sine actu fidei nullus adultus potuit unquam placere Deo, nec modo potest; sed hoc est esse necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo nemo potest placere Deo: ergo actus fidei internus est necessitate medii necessarius ad salutem. Major probatur ex illo Apostoli ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*; sed hic loquitur Apostolus non de habitu tantum, sed etiam de actu fidei interno: ergo sine actu fidei nullus adultus potuit unquam placere Deo, nec modo potest. Probatur minor. Apostolus loquitur de fide hominibus præcepta; sed præcepta non dantur de habitibus, sed de actibus virtutum: ergo Apostolus non loquitur de habitu fidei, sed de actu illius interno.

II. Probatur. Actus internus fidei in adultis est dispositio necessaria ad justificationem, ut modo vidimus ex Tridentino; sed quod est necessarium ad justificationem, fuit semper & est necessarium necessitate medii: ergo actus fidei internus fuit semper, & est modo necessarius necessitate medii ad salutem.

III. Probatur de necessitate præcepti; 1. Joannis cap. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus.* Præterea fides præcipitur in Scripturis sub æternæ damnationis interminatione; sed quod præcipitur in Scripturis sub æternæ damnationis interminatione, divinum præceptum supponit: ergo fides est etiam necessaria necessitate præcepti. Major patet Matthæi 28. *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et ad Hebræos 2. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Et cap. 10. *Justus ex fide vivit, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Minor etiam patet; quia præceptum de suscipiendo Christi corpore sub speciebus Eucharisticis, colligitur esse præceptū, ex eo, quod Christus Dominus non suscipientibus illud æternam minatur damnationem; Joannis 10. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

IV. Probatur de eadem necessitate præcepti. Peccatum grave supponit præcepti transgressionem; sed nisi propter grave peccatum nemo damnatur: ergo qui damnatur, propter præcepti transgressionem damnatur; sed qui non habet actum fidei internum damnatur: ergo de actu fidei interno habemus a Deo præceptum.

V. Probatur de eadem necessitate præcepti. Qui vult finem, vult quoque media, quæ ad finem comparandum sunt simpliciter, & absolute necessaria; sed Deus præcipit justificationem nostram: ergo præcipit quoque actum fidei internum, qui ad justificationem nostram est simpliciter, & absolute necessarius.

VI. Pro-

VI. Probatur de eadem necessitate præcepti. Christus præcipit fidem; sed quando præcipitur aliquid, non præcipitur solus habitus, sed actus, ut dictum est: ergo Christus præcipit non tantum habitum fidei, sed & quoque actum internum. Major est certa; Christus enim dicit: *Creditis in Deum, & in me credite.*

Objiciunt I. Apostolus ad Hebræos 11., ubi dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo*, loquitur de fide late sumpta, hoc est de cognitione Dei Creatoris, & generalis provisoris, quæ potest per rationem comparari. II. Ad salutem consequendam sufficiens est præceptorum Dei observatio; sed hæc observatio haberi potest sine fidei actu interno: ergo fidei actus internus non est necessarius ad salutem. Major probatur ex illo Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Minor vero patet ex illo Apostoli ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt.* Si ergo naturaliter faciunt, faciunt per naturæ vires: ergo sine actu interno fidei divinæ. III. Æque dicitur necessaria fides ad salutem, ac baptismus; sed baptismus suppleri potest per votum: ergo etiam fides. IV. Nequit esse sub præcepto necessarium, & multo fortius nequit esse necessarium necessitate medii, quod impossibile est, ut observetur; sed impossibile est, ut fiat actus fidei internus a quibusdam hominibus: ergo actus fidei internus nequit esse necessarius nec necessitate medii, nec necessitate præcepti. Minor probatur de illis hominibus, qui in Sylvis enutriti, nullam habuerunt, nec habent, de Deo cognitionem. V. Quod est necessarium necessitate medii, omnibus & singulis debet esse necessarium; sed actus fidei internus non est necessarius infantibus, & pueris, immo nec adultis semper amentibus, ad salutem consequendam: ergo actus fidei internus non est necessarius ad salutem consequendam: ergo actus fidei internus non est necessarius ad salutem consequendam necessitate medii. VI. Potest quis salvari per fidem in voto; sed fides in voto non est actus fidei internus: ergo potest quis salvari sine actu fidei interno: ergo actus fidei internus non est necessarius ad salutem necessitate medii.

Respondemus ad I. Apostolus loquitur de ea fide, quæ ad justificationem nostram concurrit; sed ad justificationem nostram non concurrit fides late sumpta, seu cognitio Dei Creatoris, & generalis Provisoris, quæ potest per rationem comparari: ergo non loquitur de hac fide; adeoque loquitur de fide stricte sumpta, hoc est de actu fidei divinæ interno, qui justificationem nostram ingreditur. Insuper Apostolus loquitur de fide, per quam consequuti sunt justitiam Sancti legis veteris; sed illa non fuit fides late sumpta, sed stricte accepta: ergo &c.

Ad II. Verbum illud naturaliter in loco Apostoli ad Romanos, docet Augustinus lib. 1. de Spiritu, & litera cap. 27. non excludere cognitionem divinitus infusam, quam habuerunt aliquot ex Gentibus, qui non erant de filiis Israel, nimirum Jetro, Job, aliique; sed tantum excludere legem Mosaicam, & Evangelicam; ita ut sit sensus, ait Frassen, quod Gentes, quæ legem scriptam a Moyse, aut evulgatam a Christo, & ejus Apostolis, non habent, *naturaliter*, hoc est, naturæ ductu, & ipso lumine a Deo, ut Authore naturæ indito, ea, quæ legis sunt, faciunt; Et hanc expositionem admitti etiam a S. Thoma asserit præfatus Scriptor. Verum aptior est responsio, quam subdit; scilicet per particulam *naturaliter* Apostolum significare, quod Gentiles aliqua præcepta naturalia observarint, ea scilicet, quæ vel ratio naturalis, vel ipsa conscientia, dictitat servanda, & exequenda. Non enim dicit Apostolus, quod omnia præcepta servaverint.

Ad III. Ideo Baptismus suppleri potest in voto, quia votum suscipiendi illud virtualiter in ipsa fide continetur. At actus fidei supernaturalis internus in nullo contineri potest virtualiter. Quod & probatur; quia si contineri posset in aliquo virtualiter, maxime hoc esset cognitio naturalis Dei, ejusque præceptorum; sed in hac contineri non potest: & ratio hæc est, quia cognitio hæc est ordinis naturalis, adeoque nullam habet proportionem cum actu fidei interno, qui est ordinis omnino supernaturalis.

Ad IV. Si illi homines, qui in Sylvis sunt enutriti, præcepta naturalia servent, & faciant, quod debent, secundum legem naturæ, Deus non derelinquit illos sine fide; quia, vel per lumen internum ipsis inspirat quid agere debeant, vel aliquem Prædicatorem ad illos mittit, qui eos instruat, doceat, atque baptizet; quemadmodum ad Eunuchum Reginæ Candacis misit Philippum, Actorum 8., ad Cornelium misit Petrum, Actorum 10.,

ad

ad quosdam in Macedonia misit Paulum, Actorum 16. Immo Author libri de cœlesti Hierarchia, qui censetur S. Dionysius Areopagita, refert ex Gentilibus multos, qui discentes mysteria fidei Angelorum ministerio, deinde ab hominibus baptizati sunt, & salutem consequuti sunt æternam.

Ad V. Certum est, quod necessarium necessitate medii neminem excludit, & omnes & singulos complectitur; at illos, qui potentes sunt illud ipsum adimplere. Hi autem sunt omnes & singuli adulti, & rationis compotes, qui actum fidei internum elicere possunt; non vero sunt infantes, pueri, & semper amentes, quia hi quum cognoscere nequeant, nequeunt pariter credere, adeoque nullum possunt actum fidei internum elicere. Deus autem impossibilia non præcipit.

Ad VI. Potest quis salvari per fidem in voto, distinguitur: Si nomine fidei veniat Baptismus, conceditur; si vero nomine fidei veniat actus fidei supernaturalis internus, negatur. Differentia inter illos posita est in responsione ad III., ad quam Legentes remittimus, absque eo quod replicentur hic, quæ ibi sunt scripta.

Dicimus II., multa esse objecta, quæ tenemur credere necessitate medii, & necessitate præcepti, quæ enumerantur; & plura quoque esse tempora, quibus fidei præceptum urget, quæ & pariter enumerantur.

I. Probatur de objectis, quæ tenemur credere necessitate medii. Et quidem omni tempore, & etiam ad præsens, necessaria fuit & est fides explicita in Deum, ut supernaturalem Remuneratorem. Quod primo patet ex illo Apostoli ad Hebræos 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit*. In quibus notanda sunt hæc verba, nimirum *oportet*, quod absolutam necessitatem significat; *credere* quod denotat actum fidei internum; *& inquirentibus se*, per quæ significatur fides in Deum, ut supernaturalem Remuneratorem, quia loquitur de quærentibus ex motu gratiæ. Et denique illud, *Remunerator sit*, quod de remuneratione supernaturali intelligendum est. Ulterius, requiritur ad salutem fides illa, quæ excitet spem; sed spes non excitatur, nisi præcedat fides in Deum Remuneratorem. Denique hoc ipsum patet ex proscriptione opinionis contrariæ, ab Innocentio XI. factæ. Secundo necessitate medii necessaria fuit ante Evangelium fides implicita in Christum, post vero Evangelium fides explicita in eundem. Primum patet ex illo Actorum 4., ubi Petrus dicebat: *Non est in aliquo alio salus: neque est enim aliud nomen sub Cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri*; & hæc verba de omni prorsus statu intelligi debent, quia Apostolus asserit, etiam legis tempore neminem justificatum fuisse, nisi per fidem in Christum: *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*. Denique ex cap. 11. ad Hebræos habemus, ante legem nonnisi per fidem homines justificatos fuisse, & quidem per fidem in Christum venturum. Secundum vero dictum patet ex verbis Christi Joannis 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in Deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.... Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei*. Insuper idem Christus Joannis 7. dicebat: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*; quibus verbis eadem requiritur fides in Christum, & in Deum; sed in Deum necessaria est necessitate medii fides explicita: ergo pariter in Christum post Evangelii promulgationem. Tertio necessaria est necessitate medii fides explicita in Trinitatem post Evangelii promulgationem; quod patet, tum quia Baptismus datur in expressam, & distinctam invocationem trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; tum etiam, quia explicite credere non possumus in Christum, nisi explicite credamus in Trinitatem; quod docet S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 3.

II. Probatur de objectis, quæ tenemur credere necessitate præcepti. Et quidem primo tenemur credere necessitate præcepti divini illa omnia, quæ ex ordinatione divina necessaria sunt necessitate medii ad nostram justificationem; quæ enim necessaria sunt necessitate medii, sunt etiam necessaria necessitate præcepti. Secundo tenemur credere necessitate præcepti articulos omnes, qui in Symbolo continentur, saltem quoad illorum substantiam, quia ad articulos illos fidei præcipua capita reducuntur. Tertio explicite debemus credere Decalogi præcepta, quia illa jure naturali & divino tenemur observare. Quarto tenemur cre-

credere necessitate præcepti Sacramenta, quæ ad salutem nobis sunt necessarie, & illa pariter, quæ recipimus. Unde Fideles omnes tenentur memoriter retinere Symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, & Decalogum; ut habetur Canone *Vos ante* dist. 4. de Consecrat., qui desumptus est ex Augustino; qui scribit: *Vos ante omnia Symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de Sacro fonte ostendite.* Eadem habet Augustinus serm. de Symbolo ad Cathecumenos.

III. Probatur de temporibus, quibus obliget divinum præceptum fidei. Et quidem primo præceptum illud per se, ait Jueninus, hoc est vi præcepti specialis, nonnunquam obligat ad eliciendos fidei actus; quum enim præceptum de eliciendis fidei actibus, sit præceptum speciale, hoc est ab aliis præceptis distinctum, specialem quoque debet inducere obligationem. Secundo illud præceptum obligat sæpius in vita, & hoc, quia non datum est a Deo pro aliquibus vicibus, sed indeterminate; tum etiam, quia fides est vitæ justi, & actus ejus sunt cibus: ergo sicut ad vitam corporalem servandam non sufficit semel in vita cibum sumere, ita nec sufficit ad vitam spiritualem fovendam, semel in vita actus fidei elicere; tum denique, quia præcepto divino tenemur Deum colere, & quidem non semel in vita, sed sæpe sæpius; at non possumus Deum colere sine actu fidei: ergo sæpe sæpius tenemur actum fidei elicere; Unde jure optimo ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio: *Sufficit mysteria fidei semel credidisse.*

IV. Probatur enumerando etiam tempora, quibus urget speciale fidei præceptum. Et quidem primo respectu Infidelium & Hæreticorum, ut præfatus Jueninus scribit, quando eis Evangelium & fides Catholica sufficienter proponuntur; Secundo respectu fidelium in periculo mortis, alii dicunt in articulo mortis, quia tunc quilibet debet specialem curam de suæ æternæ salute habere; Tertio præcipuis anni festivitatibus, quæ sunt Christi Nativitas, Resurrectio, Pentecostes; alii addunt diem Dominicam, quia ideo instituta sunt festa, ut specialiter virtutum exercitio vacemus; inter virtutes vero fides primum occupat locum, quamvis non sit præcipuus. Denique quarto præceptum fidei obligat per accidens, primo, quoties quis recipit Sacramenta, & præcipue Eucharistiam; secundo, quando gravis contra fidem urget tentatio; quia tunc actus fidei sunt veluti medicina contra tentationum virus.

Obstant I. Est non infimæ notæ Theologorum opinio, quod fides explicita in Christum, etiam post Evangelii promulgationem, necessaria non sit necessitate medii ad salutem; & tamen hæc opinio non est ab Ecclesia damnata. II. Graves etiam Theologi docent, non esse necessariam necessitate medii fidem explicitam in Deum Remuneratorem, etiam post Evangelii promulgationem. III. Ecclesia debuisset expresse enumerare dies, quibus tenemur actus fidei elicere, ne in re tanti momenti deficeremus; sed hoc Ecclesia nec fecit, nec facit: ergo signum est, quod arbitrio cujuslibet relinquit actus fidei elicere. IV. Nec conveniunt Doctores, ut hæc tempore designent; alii enim unum ponunt, alii alterum, & quidem pro cujuslibet placitu & voluntate: ergo re vera non est urgens & speciale præceptum de temporibus, quibus, debemus ip fidei actibus nos exercere.

Respondemus ad I. dicendo opinionem illam esse ab Ecclesia damnatam, & numerari inter illas, quas Innocentius XI. proscripsit num. 22. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii*; hæc enim excludit fidem in Christum & fidem in Trinitatem. Proinde Clerus Gallicanus damnationem explicans, declaravit propositionem præfatam esse erroneam & hæreticam, utpote in Christi nomen contumeliosam, ut videri potest in Juenino citato. Non esset autem in Christi nomen contumeliosa, si non contineret fidem explicitam in Christum post Evangelii promulgationem non esse necessariam necessitate medii. Theologi autem, qui eam docuerunt, excusabiles aliquo modo sunt, quia ante Ecclesiæ damnationem illius assertores fuerunt, quam utique retractassent, si Ecclesiæ judicium scivissent, ut ex charitate volumus de illorum pietate credere.

Ad II. Etiam damnata est ab eodem Innocentio XI. eodem num. 22. propositio asserens: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* Theologi autem illius Propugnatores fuerunt utique, antequam ab Innocentio damnaretur, unde pariter excusari possunt, sicut priores alios Theologos excusavimus.

Ad III. Ecclesia non enumeravit dies, quibus

bus tenemur fidei actus elicere, ne nos illorum enumeratione contenti essemus, & ne aliis diebus actibus illis non vacaremus; nihilominus nobis semper sunt necessarii, vel utiles, ad æternæ vitæ assequutionem. Attamen aliquo etiam modo se declaravit Ecclesia, nempe damnando propositiones illorum, qui dies illos nimium coarctabant, ac restringebant. Et; quidem inter propositiones ab Alexandro VIII. proscriptas hæc numero 1. continetur: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium*; inter illas vero ab Innocentio XI. damnatas legitur num. 17. *Satis est Actum fidei semel in vita elicere.* Et num. 16. *Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, & secundum se.* Et num. 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* Et num. 65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse.*

Ad IV. Quicquid sit de Doctoribus, satis nobis est, ut Ecclesiam audiamus, eidemque obediamus. Immo ut salutem; quam omni cura quærere debemus, in tuto ponamus, conemur illos fidei actus elicere non solum, quos in præcepto positos diximus, sed etiam illos, qui in consilio ponuntur; omnibus saltem festis diebus, si non quotidie, quod perquam laudabile esset, Deum colere, & credere.

Pro tertia tandem Dissertationis parte, in qua quæritur, an ad actum fidei supernaturalis eliciendum, prærequiratur actus voluntatis, & qualis? Scire oportet, quod aliis in locis etiam innuimus, fidem duo dicere, convictionem, & consensionem. Prima spectat ad intellectum; & hujus defectu fides non reperitur in opinante, quia, ut ait Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 3. *opinio sola verisimilitudine se tuetur.* Secunda spectat ad voluntatem, & hujus defectu fides vera non est in Dæmonibus, qui habere non possunt pium voluntatis affectum; unde dixit S. Thomas 2. 2. quæst. 5. art. 2. ad 3. *Hoc ipsum dæmonibus displicet, quod signa fidei tam sint evidentia, ut per ea credere compellantur: & ideo in nullo malitia eorum minuitur, per quod credunt*: vel ut dicit S. Augustinus in epist. ad Xistum: *Dæmones habere non possunt aliquod dilectionis initium, ac proinde revelata nequeunt approbare: Hanc fidem Apostolus definivit dicens: Neque circumcisio est aliquid, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Ista quippe fides est Christianorum, non Dæmoniorum; nam & Dæmones credunt & contremiscunt; sed numquid & diligunt? Nam si non crederent, non dicerent: Tu es Sanctus Dei, vel tu es Filius Dei. Si autem diligerent, non dicerent; Quid nobis, & tibi?* Unde assensus fidei supernaturalis est ab intellectu elicitive, & a voluntate imperative, ut loquitur S. Thomas; & hoc non solum, quia intellectus debet semper applicari a voluntate, ut cogitet de objecto fidei, & attendat ad ea, quæ reddunt credibile tale objectum, quod est remote movere ad objectum fidei; sed etiam voluntas suum exercet imperium, ut intellectus proposito objecto fidei, & omnibus motivis ad assentiendum, illi assentiatur.

Dicimus III. ad actum fidei supernaturalis internum prærequiri actum voluntatis, itaut actus fidei semper sit liber quoad exercitium, quanvis non ita quoad specificationem.

Prima Conclusionis pars I. probatur ex Scripturis. Ad Romanos 1. & Actorum 6. Credere dicitur obedientia, quatenus cum obedientia aliquid simile babet; sed in obedientia includitur actus voluntatis: ergo &c. Et 2. ad Corinth. cap. 10. legitur: *Nam arma militiæ nostra non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes. Et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Quasi dicat Apostolus; *Nos non militamus secundum carnem, nam destruimus hanc, & nihil facimus consilia, hoc est argumenta, & rationes humanas contra fidem Christi, & redigimus in captivitatem omnem intellectum in obsequium Christi; ita scilicet ut obediat Christo, quod est proprium voluntatis, a qua intellectus trahitur consensiens in assensum fidei.* Item Lucæ ultimo: *O stulti & tardi corde ad credendum &c.* Et Marci ultimo: *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Non haberet autem locum reprehensio, nisi liberum fuisset Apostolis credere, vel non credere.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Arausicanum cap. 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, & ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, non per gratiæ donum, idest per inspirationem Spiritus Sancti corrigentis voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem: sed naturali-*

ter

ter incæpe dicit, contradicit apostolicis dogmatibus. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. *Disponuntur autem ad ipsam justificationem, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt*.

III. Probatur ex Patribus. Irenæus lib. 4. cap. 62. *Non tantum in operibus, sed etiam in fide, liberum, & suæ potestatis arbitrium homini servavit Deus*. Ambrosius in cap. 4. ad Romanos: *Credere, aut non credere, voluntatis est*. Augustinus tract. 26. in Joannem: *Intrare quisquis in Ecclesiam potest nolens: accedere ad altare potest nolens; credere autem non potest, nisi volens*. Et lib. de Spiritu & litera cap. 32. Supponit ad credendum necessariam esse voluntatem; unde quærit: *An voluntas credendi sit donum Dei?* Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 6. *Fides est voluntaria quædam, & certa prælibatio nondum manifestata veritatis*.

IV. Probatur rationibus. I. Intellectus assentiens alicui objecto cum omnimoda certitudine, nequit hoc facere nisi, vel ob evidentiam objecti, vel ex electione voluntatis; sed assensus in objectum fidei, qui est omnino certus, non potest esse ob evidentiam objecti: ergo est ex sola electione voluntatis. II. Actus fidei est meritorius; sed omnis actus meritorius est liber: ergo actus fidei est liber; sed liber non est, nisi a voluntate: ergo &c. III. Intellectus subordinatur voluntati in omnibus suis actibus, quia voluntas & potest ipsum impedire, ne assentiatur, & potest ipsum revocare a cujuscunque objecti consideratione: ergo voluntas consentiendo, ut consideret, & imperando ut assentiatur, suum exercet imperium. IV. Quum sit intellectus indifferens ad assentiendum, & non assentiendum, debet ab aliquo determinari, sed a nemine determinari potest nisi a voluntate.

Secunda Conclusionis pars I. probatur, scilicet quod actus fidei sit liber quoad exercitium, non vero quoad specificationem; quia in illo casu non est, quod moveat intellectum ad eliciendum actum dissensus; ergo non potest eum elicere. Probatur antecedens. Si moveretur ad actum dissensus, vel moveretur ab objecto, vel a voluntate; non ab objecto, quia objectum proponitur ut vestitum motivis credibilitatis: ergo non potest movere ad actum dissensus: neque etiam a voluntate, quia voluntas non potest movere intellectum, nisi aliquam motionem habeat ab objecto; sed nullam motionem habet ab objecto ad dissensum: ergo &c.

II. Probatur. Nequit intellectus assentiri objecto, nisi objectum proponatur ut credibile: ergo neque potest dissentire, nisi objectum proponatur ut non credibile; sed objecta, quæ proponuntur per evidentia motiva credibilitatis, non possunt proponi ut non credibilia: ergo &c.

III. Probatur sicut intellectus determinatur ad assentiendum conclusioni scientificæ propositæ; ita determinatur ad assentiendum per fidem objecto credibili proposito; sed intellectus determinatur necessitate specificationis ad assensum scientificum: ergo pariter determinatur necessitate specificationis ad assentiendum per fidem objecto, quod proponitur cum motivis credibilitatis evidenter cognitis: ergo &c.

Opponunt I. Voluntatis actus, vel est necessarius, ut suppleat defectum sufficientis propositionis objecti, vel ut moveat intellectum ad id, ad quod intellectus non movetur ratione sufficienti; sed ad neutrum est necessaria motio voluntatis: ergo non est necessaria ad actum fidei. Minor probatur; quia ex una parte objectum fidei etiam ante voluntatis motionem supponitur sufficienter propositum; & ex altera, quia voluntas non potest movere intellectum ad assensum sine sufficienti ratione. II. Si voluntatis actus esset necessarius ad actum fidei, fides non esset initium justificationis nostræ; sed hoc non est dicendum: ergo &c. III. Motio voluntatis vel esset naturalis, vel supernaturalis; non naturalis, quia aliter non esset meritoria; neque supernaturalis, quia aliter deberet ipsam præcedere cognitio supernaturalis, & ante fidem nulla dari potest supernaturalis cognitio. IV. Infideles & Hæretici habent proposita sibi credibilitatis motiva, & tamen non credunt: ergo intellectus non determinatur a voluntate necessitate contrarietatis & specificationis ad assentiendum.

Respondemus ad I. Intellectum non indigere motione voluntatis ad hoc ut illi proponat objectum fidei, sed ut per talem motionem determinetur intrinsece ad assentiendum rebus fidei; & licet in fide præcedat sufficiens motivum, ostendens aliquo modo veritatem objecti, quia aliter intellectus in actu fidei ferretur extra suum objectum, quæ est sola veritas; quia tamen motivum illud in actu fidei est

est testimonium Dei obscurum, quod non determinat omnino intellectum; ideo necessaria est voluntatis motio, quæ inclinet & determinet intellectum ipsum ad assensum, non solum non repugnando; sed etiam per actum positivum, judicando ita esse, sicut Deus testificatur.

Ad II. Fides non dicitur initium justificationis nostræ, quia est præcise primus actus, illum enim præcedit apprehensio objecti credibilis, apprehensio revelationis divinæ, & aliquando etiam judicium de credibilitate; sed quia est primus actus supernaturalis quoad substantiam, ac proinde primus actus inter dispositiones, quæ ad justificationem prærequiruntur; motus enim voluntatis licet sit supernaturalis, est tamen supernaturalis in modo.

Ad III. dicitur, quod motio voluntatis est supernaturalis quoad modum, & ipsam præcedit apprehensio, quæ etiam est supernaturalis quoad modum, apprehensio scilicet objecti credibilis & revelationis divinæ, & aliquando judicium quoque de credibilitate, seu de credibilitatis motivis.

Ad IV. dicitur, quod Infideles, & Hæretici, dissentire non possunt articulis fidei, quando ita motiva credibilitatis apprehendunt, ut ab ipsis ad assentiendum determinentur. Et quamvis non credant, huc tamen provenit vel quia tardum & rude ingenium habent, vel quia attente non considerant, vel ob præjudicia Sectarum suarum, vel hominum, cum quibus vivunt, vel ob contraria motiva, quæ habere possunt ratione suæ infidelitatis & hæresis. Immo, ut subdit Frassen: „ Contingere potest, quod licet interius „ convincantur de credibilitate mysterio„ rum, dum rem exacte librant ac perpen„ dunt; attamen motivis suorum errorum „ toti incumbentes, facile intellectum „ avertunt ab ejusmodi motivis credibili„ tatis fidei, ut obstinata voluntate in suis „ erroribus permaneant „.

DISSERTATIO CCLXXV.

De externa fidei confessione. An fidei externa confessio sit actus ab habitu fidei elicitus, vel imperatus? An sit præceptum divinum fidem exterius confitendi? An aliquando sit licitum fidem occultare?

Primo, errarunt Helceitæ, vel Helcesitæ, qui secundo Ecclesiæ seculo florentes, dicebant, licitam esse Religionis simulationem, adeoque fidem in tormentis negare, dummodo in corde integre servaretur; Testantur Eusebius lib. 6. Histor. cap. 28. & Epiphanius hæresi 19. Et ab Ecclesia damnati sunt.

Secundo, quarto seculo errarunt Priscillianistæ, asserentes licitum esse mendaciis & perjuriis uti, etiam in Religionis causa; adeoque dicentes, posse quemliber suum errorem occultare, etiam pejerando, ut tradit August. hæresi 70.

Tertio, Priscillianistarum errorem suscitarunt Anabaptistæ, & alii, quos refert Valentia tom. 1. dist. 1. qu. 3. Et contra hos omnes Ecclesia aperte decernit, quod fides nullo tempore sit neganda; quamvis concedat, quod possit aliquando licite occultari.

Quarto, errarunt quoque Libellatici, illi scilicet Christiani, qui pretio a Magistratibus libellos emebant, quibus dicebatur, eos Imperatorum Edictis obtemperasse circa Idolorum adorationem, quamvis re vera non obedivissent. Legi possunt de his Tertullianus in Apologetico cap. 27., & Cyprianus in tract. de Lapsis.

Quinto, quidam ex Missionariis Sinensibus volebant, licere Christianis dare Idolis externam adorationem, dummodo adorantium intentio ad verum Deum dirigeretur, qui esset depictus in imagine, quæ sub illorum vestibus occulta staret, vel prope Idolum in altare lateret. Et hæc

hæc praxis fuit anno 1643. a Sede Apostolica proscripta atque damnata.

Sexto, accipiendo externam fidei confessionem non late, & communiter, prout sumitur pro omnibus bonis operibus; Unde dicit S. Jacobus cap. 2. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*; sed strictè & proprie pro ipsa fidei manifestatione, quæ fit per aliquod signum sensibile, puta vocem, sive scriptum, sive actum quemcunque, per quem nos testamur habere internam fidem,& articulis fidei credere; quæ quidem manifestatio dicitur proprie fidei confessio,& est externus fidei actus, quemadmodum externa fidei negatio est externus infidelitatis actus. Et hanc externam fidei confessionem Theologi quidam de Schola volunt esse vere actum fidei, quia procedit ab ipsa fide interna, quum sit connaturale homini conceptum internum exterius propalare.

Septimo, alii Theologi negant hanc externam fidei confessionem esse actum virtutis fidei, vel habere honestatem propriam illius; ea ratione moti, quia confessio hæc exterior potest esse sine actu interiori ipsius fidei; immo etiam sine actu interiori infidelitatis potest dari exterior fidei negatio; quia potest quis exterius confiteri articulos fidei, quos interius negat; & potest alius exterius negare hos eosdem articulos, quos interius nihilominus credit.

Octavo, alii Theologi contendunt, quod fidei exterior confessio non sit proprie actus fidei, sicut actus exterior temperantiæ est actus virtutis temperantiæ; sed se habet sicut signum manifestativum actus interni,ac veluti actus secundarius, & indirectus virtutis fidei.

Dicimus I.externam fidei confessionem non esse actum elicitum, aut imperatum a fidei habitu.

I. Probatur. Fidei confessio externa quum fiat per vocem, per scriptum,per nutum, vel per quodcunque aliud signum exterius, non potest elici ab intellectu, qui non est potentia ipsius proportionata,sed potius elicitur ab aliqua potentia exteriori, cujus est actus, nempe ab ore, a manu, ab oculis, a pedibus, & aliis hujusmodi. Neque pariter potest ab intellectu imperari, quia imperare exteriores hos actus, vel etiam interiores, non spectat ad intellectum, sed ad voluntatem. Igitur est actus propriæ voluntatis confessio externa fidei, & potest dici aliquo modo, quod spectet ad fidem, quatenus a voluntate imperatur per volitionem confitendi exterius fidem; quæ quidem volitio, quia specialem habet honestatem, specialem quoque habet bonitatem, ratione cujus est meritoria.

Dicimus II. Esse præceptum divinum, & ecclesiasticum, fidem aliquando exterius confitendi, & nunquam negandi.

I. Probatur ex Scripturis. Matthæi 10. *Omnis ergo,qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Lucæ 12. *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Et cap. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Ad Romanos 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio ad salutem.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de Reformat. exigit fidei professionem, quæ est etiam fidei confessio: *Provisi de Beneficiis quibuscumque, curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses,in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent. Provisi autem de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo, idem facere teneantur; alioquin prædicti omnes, provisi ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Et sess. 25. cap. 2. de Reformat. *Præcipit Sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus aliis, qui de jure, vel consuetudine, in Concilio Provinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo Provinciali, post finem præsentis Concilii habenda, ea omnia, & singula, quæ ab hac Sancta Synodo definita, & statuta sunt, palam recipiant; nec non veram obedientiam Romano Pontifici spondeant, & profiteantur, &c.*

III. Probatur ex Patribus. Tertullianus Apologetici 11. *Itaque nec in illo ex forma ma-*

lorum judicandorum, agitis erga nos, quod cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis Christianis ad negandum; cum si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis . . . . Ideo torquemur confitentes, & punimur perseverantes, & absolvimur negantes, quia nominis prælium est. Augustinus lib. de fide, & symbolo cap. 1. *Oportet nos esse justitiæ memores, & salutis: quandoquidem in sempiterna justitia regnatur, a præsenti sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus . . . . Fides officium a nobis exigit, & cordis, & linguæ*.

IV. Probatur rationibus. I. Actus fidei exterior est conditio necessaria ad æternam vitam consequendam: ergo est necessarius ad salutem. Antecedens est Matthæi 10. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Et consequentia est S. Thomæ 3. par. qu. 3. art. 2. II. Actus exterior fidei habet necessariam connexionem cum salute æterna: ergo est necessarius ad salutem. Antecedens patet ex illo ad Romanos 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. III. Confiteri fidem est præceptum affirmativum; sed præcepta affirmativa non obligant pro semper, at aliquando: ergo confiteri fidem tenemur aliquando, non semper; Quod argumentum est S. Thomæ 2. 2. quæst. 3. art. 2. ubi sic loquitur: *Confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco, est de necessitate salutis, sed in aliquo tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximis impendenda*. IV. Quinque sunt casus, qui assignantur, in quibus tenetur quis elicere actum fidei exteriorem; Primus, quando illius omissio esset in injuriam Dei; Secundus, quando esset in damnum proximi; Tertius, quando adultus militiæ christianæ dat nomen; Quartus in Sacramentorum usu; Quintus in articulo mortis. Unde idem S. Thomas 3. part. qu. 3. art. 2. *Præcepta autem affirmativa non obligant ad semper, etsi semper obligent: obligant autem pro loco & tempore, secundum alias circumstantias debitas, secundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc, quod sit actus virtutis. Sic ergo confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco, est de necessitate salutis; Sed in aliquo loco, & tempore, quando scilicet per dimissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda: puta, si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide*.

Dicimus III. licet in aliquo casu sit licitum fidem occultare, in nullo tamen est licitum fidem exterius negare, nec falsam simulare Religionem. Tres habet partes Conclusio.

Prima Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Matthæi 10. *Cum autem persequentur vos in Civitate illa, fugite in aliam*. 2. ad Corinth. 11. *Damasci Præpositus Gentis Aretæ Regis voluit me comprehendere, & a Fratribus per murum demissus sum in sporta, & sic evasi manus ejus*. Ex quibus verbis patet, quod si Christus nobis permittit fugam in tempore persequutionis, per hoc ipsum quoque permittit fidem occultare, quod per fugam fit, & intenditur. Insuper Apostolus exemplo suæ fugæ nobis suadet in tempore persequutionis fugam, & fidei occultationem. II. probatur exemplo, & testimonio Patrum, & præcipue Athanasii, qui pluries fugit, & apologiam scripsit pro fuga sua, cui concordant exempla Blasii, Paulini, Felicis, aliorumque; & scriptis Augustini præcipue lib. 1. contra epistolam Gaudentii Donatistæ cap. 20.

Secunda Conclusionis pars I. probatur ex Scripturis. Matthæi 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est*. Ex hoc intelligitur quamvis fidem in corde servet. II. Primi Fideles in sævissimis persequutionibus potius mori volebant, quam fidem quovis modo negare; quod & patet ex verbis Tertulliani Apologetici 1. supra relatis. III. Antiquis Patribus adeo visa est criminosa fidei negatio, ut iis, qui fidem negaverint, reconciliationem non concederent; quod apertissime constat ex pœnitentiis, quas per multos annos, & aliquando per totam vitam, Apostatis imponebant, de quibus legendus est Cyprianus in libro de lapsis, sicut etiam videndi sunt primi Canones Concilii Nicæni I., & Canones quoque Concilii Eliberitani.

Tertia Conclusionis pars probatur I. Ex Scripturis. 2. Machabæorum 6. ubi Eleazarus senex rogabatur ab amicis, ut Antiocho Regi obediret, manducando carnes Idolis immolatas, & illis dicebat: *Non enim ætati nostræ dignum est fingere; ut multi ado-*

lescen-

lescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem decipiantur: & per hoc maculam, atque execrationem, meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis, nec vivus, nec defunctus, effugiam. II. Exemplo S. Sabæ, qui fortiter contra Christianos exclamabat, qui cibos vetitos obtrudebant, ut viderentur Imperatoris Edicto obtemperasse; *Qui hos cibos comederit, Christianus esse non poterit*. III. Ex propositione damnata ab Innocentio XI. anno 1679., quæ est num. 18. *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum, consulo, tacere, ut peccaminosum per se, non damno*. IV. Quia præcepia negativa obligant semper, & ad semper, præcipue quando est intrinsece malum id, quod prohibitum est facere, uti est præceptum illud: *Declina a malo*; sed fidem negare est intrinsece malum: ergo in nullo casu licitum est. V. Quia omnis simulatio est intrinsece mala, quum sit quædam species mendacii, quod committitur facto, quando alia mendacia verbo committuntur.

Arguunt I. Sufficiens est ad salutem conjunctio animæ cum Deo; sed hæc fieri potest per solum actum fidei interiorem: ergo actus fidei exterior non est necessarius. II. Eliseus 4. Regum 5. Naamano permisit simulationem Religionis, concedendo illi, ut Rege Syriæ, cujus erat Princeps militiæ, in Templo Remmon adorante, simul cum eo adoraret. Et patet hoc ex verbis Naamani petentis: *Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret: & illo innitente super manum meam, si adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re*. Cui Eliseus respondit. *Qui dixit ei: Vade in pace*. Naaman autem antecedenter Eliseo promiserat, se verum Deum adoraturum: *Dixitque Naaman: Ut vis; sed obsecro concede mihi servo tuo, ut tollat onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam, Diis alienis, nisi Domino*: ergo Eliseus Naamo simulationem Religionis permisit. III. Joannis 10. Christus Dominus dicebat: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit*: ergo non est licitum in persequutione fugere. IV. Soli Pastores tenentur plebem instruere: ergo soli Pastores tenentur fidem exterius profiteri. V. Si omnes tenerentur fidem exterius profiteri, sequerentur rixæ, & perturbationes in populis; sed hæ sunt vitandæ: ergo &c. VI. Apostoli convenientes cum Judæis servabant legalia; convenientes vero cum Gentilibus non servabant: aut ergo bonum erat servare legalia, aut malum: si bonum; quare ergo cum Gentilibus non servabant? Si malum; quare ergo cum Judæis servabant? Ergo in alterutro ex his casibus semper Religionem simulabant. VII. Catholici, degentes cum Infidelibus, vel cum Hæreticis, licite uti possunt rebus, signis, & vestibus, quibus Infideles, & Hæretici, utuntur; sed hoc est simulare Religionem: ergo &c. VIII. Tertullianus in lib. de fuga in persequutione damnat illos, qui in persequutione fugiunt, quia censentur fidem negare: ergo non est licitum in persequutione fugere. IX. Licitum est in Hæreticorum Templa intrare, & illorum Prædicantes audire; licitum est quoque vesci carnibus in partibus Infidelium, & Hæreticorum diebus ab Ecclesia prohibitis, ut vitæ periculum vitetur; licitum est denique apud Turcas ipsorum deferre turbantem, sed hæc omnia important Religionis simulationem: ergo &c. X. David 1. Regum 21. *Immutavit faciem suam coram Achis, qui erat Rex Get*; sed hoc fuit simulare Religionem: ergo &c.

Respondemus ad I. Verum est, quod sufficit ad salutem conjunctio animæ cum Deo; sed hæc conjunctio debet esse probata, & manifestata per amorem Dei, & proximi. Nos enim, quia constamus anima & corpore, debemus fidem nostram charitate formatam in anima habere, & per corpus manifestare. Hoc ipsum docet S. Thomas 3. par. qu. 3. art. 2. ad 1. *Finis fidei, & aliarum virtutum, referri debet ad finem charitatis, qui est amor Dei, & proximi, & ideo quando honor Dei, vel utilitas proximi hoc exposcit . . . debet fidem exterius confiteri*.

Ad II. Naaman non petebat adorare Idolum, sed adorare Regem; adoratione quidem, non religiosa & sacra, sed civili & politica, quemadmodum omnes Syrii adorabant: Unde nullo modo permisit ei Eliseus, ut adoraret in Templo Remmon Idolum aliquod, aut falsum Numen. Et quia hæc adoratio erat potius quæ-

dam

dam incurvatio, quæ non erat stricte & proprie dicta adoratio, sicut fiebat in cæteris locis, ita fiebat etiam in Templo Remmon, ut in quovis loco Syrii reverentiæ actos Regi suo exhiberent.

Ad III. Respondet Frassen, quod allatis verbis: „ Christus Dominus non improbat nec damnat simpliciter eum qui fugit, sed qui fugiendo dimittit oves in eminenti periculo suæ direptionis, & jacturæ spiritualis. Unde universaliter loquendo non semper licet fugere tempore persequutionis; maxime vero quando inde grave detrimentum potest accidere proximo, præcipue dum illius salutis cura nobis incumbit; hinc non potest pastor tempore persecutionis fugere, nisi adsit aliquis, qui oves curet, ut docet S. Augustinus epist. 180. „

Ad IV. Respondet S. Thomas cit. loco ad 2. *Dicendum, quod in casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem: Sed aliis temporibus instruere homines de fide, non pertinet ad omnes fideles.*

Ad V. Idem Angelicus respondet cit. loco ad 3. *Dicendum, quod si turbatio Infidelium oriatur de confessione fidei manifesta, absque aliqua utilitate fidei, vel fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publice confiteri. Unde Dominus dicit Matthæi 7. Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargere ante porcos, ne conversi dirumpant vos; Sed si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione Infidelium, debet homo publice fidem confiteri. Unde Matthæi 15. dicitur, quod cum Discipuli dixissent Domino, quod Pharisæi, audito ejus verbo, scandalizati sunt, Dominus respondit: Sinite illos; scilicet turbari, cæci sunt, & duces cæcorum.*

Ad VI. Tempore quo vivebant Apostoli quum non esset fides nostra sufficienter promulgata, legalium observatio res erat ad disciplinam pertinens, adeoque tunc indifferens habebatur, & adiaphora. Proinde quum observationes illas Judæi observarent licite, & licite easdem Gentiles non observarent, liberum erat Apostolis convenientibus cum Judæis observare, & convenientibus cum Gentilibus non observare.

Ad VII. Si vestes illæ, illa signa, res illæ, sint Religionis insignia, non est licitum Fidelibus in partibus Infidelium degentibus, iisdem uti; si vero sint insignia Nationis, licitum est. Ex eo enim quod sint signa Religionis, & habeantur, ut talia, illis uti idem est ac profiteri Religionem, cujus sunt signa; Si vero sunt signa nationis; licitum est uti, quia non sunt Religionis distinctiva. Responsio est Tertulliani lib. de Idololatria cap. 18. ubi asserit, quod Joseph apud Ægyptios, & Daniel apud Babylonios, usi sunt insignibus civilis dignitatis, quam gerebant, non vero superstitionis Ægyptiorum, aut Babyloniorum, signis. Hæc sunt Tertulliani verba: *Sic penes nos quoque, fideli, si necesse fuerit, poterit & puerilis prætexta concedi, & puerilis stola; nativitatis insignia, non potestatis; generis, non honoris; ordinis, non superstitionis.*

Ad VIII. Error fuit Montanistarum, dicentium illis, qui in persequutione fugiebant, babendos esse, tanquam si fidem negassent; quibus Tertullianus in lib. de fuga in persequutione immerito adhæsit, atque subscripsit. Cæterum licitam esse in persequutione fugam, ex iis, quæ diximus, & probavimus nuper, liquido constat.

Ad IX. Respondet P. Boucat: „ Neque vero est negare fidem, si non curiositate, sed potius ad debellandos Hæreticos, aliquis ex missione eosdem perorantes audiat. Non idem dicendum de ignaris, nullus enim periculo perversionis se exponere debet. Cæterum solum jus Ecclesiasticum diebus veneris, quadragesimæ, vigiliarum, & quatuor temporum, prohibet abstinere a carnibus, contra quod prævalet jus naturale de servanda vita: Tum quia Ecclesia non intendit præceptum ecclesiasticum in his, & similibus circumstantiis obligare. Ad ultimam partem dico non esse malum uti vestibus in aliqua regione usitatis, juxta illud axioma: *Cum fueris Romæ, romano vivito more.* Nisi vestes per se primo sint idolatriæ professiones, quales sunt, quæ præseferunt idola depicta. „

Ad X. Factum Davidis nihil ad fidem pertinet. Subdit Du-Hamel, quod fictio illa aliquid significabat, atque adeo a mendacio, & maxime in caussa Religionis, procul aberat.

DIS-

DISSERTAT. CCLXXVI.

De vitiis Fidei oppositis. An cum Infidelibus sit publice communicandum, ac disputandum? An Infideles, & ritus ipsorum, sint tolerandi?

DICIMUS I. Vitia Fidei opposita optime a S.Thoma sic enumerat; Aut infidelitas advenit fidei non dum susceptæ; & hæc dicitur Paganismus: Aut adversatur fidei jam susceptæ, & hoc accidit multipliciter. Si adversatur fidei Christianæ solum in typo, & figura, est Judaismus; Si adversatur in veritate in omnibus, est Apostasia a fide; Si adversatur in veritate, & in aliquibus, est hæresis. Ex his autem omnibus omnium pessima est hæresis; quia licet Gentiles in pluribus errent, quam Judæi, & Judæi in pluribus, quam Hæretici communiter loquendo, gravior tamen est infidelitas Hæreticorum, quam Judæorum, & infidelitas Judæorum gravior est, quam Paganorum; Unde gravissima omnium est infidelitas Hæreticorum. Probatur Conclusio; quia plus peccat, qui non implet, quod promisit, quam qui, quum non promiserit, non implet: Atqui Judæus professus est fidem christianam implicite, & in figura, quare gravius peccat illi adversando, quam Gentilis, qui nullo modo professus est christianam fidem: Christianus vero fidem christianam professus est explicite, & secundum manifestam veritatem; quare gravius peccat, dum illi adversatur, quam Judæus: Unde 2.Petri 2. dicitur: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum converti*.

Antequam autem deveniamus ad Quæsita, quæ in Dissertationis titulo proponuntur, multa debemus hic præmittere, ac supponere; & primo, quod Infideles illi, qui nunquam christianam fidem acceperunt, quales sunt Gentiles, & Judæi, possunt, immo debent, compelli etiam armis, & corporalibus pœnis, ne alios impediant, ad fidem suscipiendam; non debent tamen cogi, ut fidem ipsi recipiant. Illi vero, qui fidem aliquando susceperunt debent compelli etiam per corporales pœnas, ut teneant quod semel susceperunt. Ratio hujus ultimi dicti habebitur in Dissert. 296., ubi probabimus, Hæreticos posse in suæ hæreseos pœnam, legitime puniri a Judicibus tū ecclesiasticis, tum laicis. Ratio vero primi dicti est, quia illi nunquam fuerunt, nec modo sunt, in Ecclesia; adeoque jurisdictioni Ecclesiæ non subsunt; ac proinde nec a Prælatis Ecclesiasticis, qui sunt Ecclesiæ Principes, nec a Principibus laicis, qui sunt Ecclesiæ defensores, ad fidem suscipiendam cogi possunt. Ratio tandem secundi dicti est, quia crimen est in ipsis alios avertere a fide suscipienda, & quidem est crimen, quod est læsivum, & Religionis, & Reipublicæ, adeoque possunt æqualiter puniri, & a Principibus Ecclesiasticis, & a Laicis.

Secundo præmittimus, atque supponimus, Infideles non baptizatos, qui non sunt subditi christianis Principibus, non posse bello premi, & bonis suis privari, præcise quia nolunt recipere christianam fidem; possunt tamen armis compelli, ne impediant injuriose eos, qui prædicant Evangelium, vel eos, qui volunt suscipere fidem nostram in terris suis. Ratio primi dicti est, quia nec Ecclesia, nec Christiani Principes habent jurisdictionem, aut temporalem, aut spiritualem, in hujusmodi Infideles, ut possint eos licite cogere ad fidem, inferendo aliquid mali iisdem; quia hic est actus potestatis coercitivæ, quæ supponit iurisdictionem. Ratio autem secundi dicti per S.Thomam est, quia in Ecclesia non solum est facultas quasi permissiva prædicandi Evangelium, sed etiam est jus, & auctoritas a Christo sibi communicata; ut colligitur ex psalm.2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus*; postquæ subdit: *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Matth.ultimo: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*

va: *Euntes ergo docete omnes Gentes*: ergo si hoc jus est in Ecclesia, & quisque tenetur suum jus tueri, & injuriam propulsare, quæ contra hujusmodi jus infertur, licite potest Ecclesia, & Ecclesiæ nomine Principes Christiani, quia sunt Ecclesiæ filii, & Protectores, armis compellere Infideles, ne impediant injuriose eos, qui prædicant Evangelium, vel illos, qui volunt fidem nostram suscipere in terris suis. Et hoc etiam paritate confirmatur, quia omnis Respublica habet jus mittendi Legatos ad alia Regna, & consequenter ad hoc jus habet potestatem defendendi illos, & vindicandi, si male tractentur, quod dicitur esse de jure Gentium; aliter enim jus illud esset nullum, & potestas omnino inefficax. Quamvis autem hoc jus habeat per se summus Pontifex, ad quem spectat jura Ecclesiæ defendere, illud tamen non debet defendere per seipsum, aut per personas Ecclesiasticas, quia non est status Ecclesiastici arma capere; sed debet id Principibus temporalibus mandare, qui in hoc tenentur obedire Pontifici. Denique licet per se loquendo, possit hujusmodi coactio adhiberi post injuriam illatam Prædicatoribus fidei, & post impedimenta injuriose posita; est tamen contra morem Ecclesiæ Prædicatores mittere cum exercitu, & fines Infidelium invadere, eosque metu cogere, ut Prædicatores recipiant.

Tertio præmittimus, atque supponimus, licitum esse Principibus Christianis cogere Infideles, sibi subditos, ad audiendam prædicationem fidei; si tamen non sint baptizati, quamvis sint subditi Principi Christiano, cogi non possunt ab Ecclesia, vel a Principe, ad suscipiendam fidem, & Baptismum; si vero sint baptizati, possunt etiam pœnis cogi, ut ad veram fidem redeant. Ratio primi dicti est; quia auditio prædicationis de rebus fidei est actio per se bonesta, & potest etiam ordinari in Reipublicæ bonum; nempe in Civium pacem, & subditorum concordiam. Accedit exemplum Papæ, qui pœna etiam proposita cogit Judæos, ut in quavis hebdomada prædicationem audiant de rebus fidei. Ratio etiam secundi dicti hæc est; quia Infideles non baptizati in hoc non sunt subditi Ecclesiæ, vel Principi; sunt enim extra Ecclesiam, & Apostolus dicit: *Quid ad nos de iis, qui foris sunt?* Ad Principes autem temporales non spectat judicare de rebus fidei, & Religionis. Ratio tandem tertii dicti est; quia hæc est praxis Ecclesiæ, Apostatas scilicet & Hæreticos gravissimis punire suppliciis, quia sunt veri subditi Ecclesiæ, cui se Sacramento addixerunt suscepto signo militari in Baptismo; Unde sicut Imperatores Militum possunt Transfugas & Desertores vel justis pœnis punire, vel ad sua castra reducere, ita hoc idem præstare potest Ecclesia cum Baptizatis, qui ab Ecclesia recedunt, sed hoc, ut diximus, fusius videbitur in Dissert. 296.

Dicimus II. Cum Infidelibus posse publice disputari, si adsit scientia & missio; posse publice communicari, si absis periculum & scandalum.

Prima Conclusionis pars probatur I. Ad hoc ut publica cum Infidelibus disputatio sit licita, debet ex parte Catholici disputantis adesse bonus finis; sed bonus finis esse non potest, nisi sit missio: ergo si nou adsit missio, non est licita publica cum Hæreticis disputatio. Major est certa, quia sine bono fine temeraria est & periculis plena publica cum Hæreticis disputatio; minor etiam patet, quia ille, qui mittis, bonum finem intendit, & ille, qui disputat, missioni illius obediens, bonum finem exequitur. II. In cap. *quicumque de Hæreticis* in VI. interdicitur laicis, hoc est, hominibus, qui nec Religiosi sint, nec saltem primam tonsuram habeant, disputare publice de fide sub pœna excommunicationis ferenda; quam pœnam incurrunt etiam laici docti, ut volunt Valentia, Azor, Sanchez, & alii; quamvis Bagnes, Cajetanus, Ledesms, & Rainaldus, sub hac prohibitione laicum doctum non comprehendant. III. Apostolus in Epist. ad Titum cap. 3. scribit: *Hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem devita: sciens, & quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus*.

Secunda Conclusionis pars probatur I. 1. ad Corinth. cap. 1. *Quid mihi est de iis, qui foris sunt, judicare?* Ex quibus verbis infers S. Thomas, non posse prohiberi communicationem cum Infidelibus non baptizatis sub pœna spirituali; posse tamen prohiberi communicationem propter periculum subversionis; & hoc pacto in C. *nullus*, & in C. *omnes* dist. 28. qu. 1. prohibetur, ne quis Clericus, seu Laicus, habitet cum Judæis, ne azyma cum illis comedat, ne eodem balneo utatur, ne cum Judæis convivium faciat, ne aliquem

corum

eorum vocet, causa infirmitatis curandę. II. In C. *Postulasti* præcipit Pontifex Seculari Magistratui, ut interdicat Judæis omne commercium cum Christianis, donec usuras restituant; ex quibus infertur, quod possit communicatio cum Infidelibus prohiberi in pœnam temporalem alicujus delicti; ergo semper stat, quod communicatio cum Hæreticis, aliisque Infidelibus, non sit prohibita, si absit periculum & scandalum, sit vero prohibita, si illa non absint. III. 1. ad Corinth. cap. 10. Apostolus ait: *Si quis vocat vos Infidelium* (hoc est vocat vos ad cœnam & prandium, explicat P. Boucat) *& vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*. Si autem ex frequentatione scandalum orirerur, est prohibitum; unde subdit Apostolus: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est Idolis, nolite manducare, propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam.* Et cap. 8. addit, quod si hoc scandalizet Fratrem, se non manducaturum carnem in æternum. Denique prohibitum quoque est Infidelibus subministrare res, quæ ad cultum superstitiosum deserviunt, nempe vendere lignum ad fabricandum Idolum, vel thus, ei adolandum. Quapropter idem Apostolus 2. ad Corinth. 6. præcipit: *Nolite jugum ducere cum Infidelibus; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras!... Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis*. Et Tertullianus scribit lib. de Idololatria cap. 6. *Potest lingua negare quod manu confiteris; verbo destruere, quod facto struis*.

Dicimus III. Judęos & ritus ipsorum a Principibus secularibus in ipsorum ditionibus tolerari posse; non sic vero Gentiles, Turcas, & Hęreticos, neque ritus ipsorum.

Prima Conclusionis pars probatur I. Quia praxis ostendit, quod seculares Principes in terris ipsorum Judæos permittunt, ac in eis tolerant, ut proprius ritus servent; ergo est licitum; quia aliter Ecclesia prohiberet. II. Quia ritus illi præbent testimonium veritati evangelicæ, quam ut figura adumbrant; & ex misera Judæorum conditione magis Christiani in sua Religione confirmantur. III. In C. *consulit, de Judæis*, permittitur Judæis, ut veteres Synagogas instaurent, non autem ædificent novas; & demum cautum quoque habetur, quod si Judæi litigent inter se apud Judicem Christianum, eorum lites secundum legem Mosaicam decidi debent, si casus expressus in ea lege inveniatur.

Secunda Conclusionis pars probatur. I. Quia pro his aliis infidelibus non militant rationes, quas pro Judæis militare diximus. II. Quia quum Principes seculares possint Hæreticos compellere, ut redeant ad fidem, quam deseruerunt, plane sequitur, quod non possint iis in terris suis permittere habitationem ac permanentiam. Hoc autem non intelligitur, si prudenter judicetur, necessariam esse tolerantiam illam, vel ad majus malum vitandum, vel ad majus bonum aliquando procurandum. P. Boucat excipit Hæreticos, atque, cum illis non posse nos communicare, si sint per sententiam Judicis denuntiati.

Arguunt I. Si Infideles habeant jam dominium & jurisdictionem supra Fideles, non debent tali dominio privari, præcise, quia sunt Infideles: ergo in tali casu licitum esset fidelibus subditis cum infidelibus Principibus communicare. Probatur antecedens, quia dominium introductum est ex jure Gentium; distinctio vero Fidelium & Infidelium provenit ex jure divino; jus autem divinum, quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quale est jus Gentium, quod est ex naturali ratione. II. Infideles subditi dominio temporali Ecclesiæ possunt ab Ecclesia privari dominio & jurisdictione supra Fideles: ergo si hoc potest facere Princeps Ecclesiasticus, potest etiam facere Princeps laicus. Probatur antecedens, quia Princeps Reipublicæ potest privare suos subditos dominio rerum, & personarum, si id necessarium sit ad bonum publicum. III. Est doctrina S. Thomæ, quod non debeat permitti, ut Infideles acquirant de novo dominium & jurisdictionem supra Fideles; sed hoc est contra illud, quod diximus, quod Infideles possint a Principibus tolerari in suis ditionibus: ergo &c. Probatur major; quia id cederet in scandalum & periculum Fidei. IV. Si Hæretici cogi possunt, ut ad Ecclesiam redeant: ergo pariter cogi possunt Gentiles, Turcæ, & Judæi, ut in Ecclesiam intrent: vel si non cogi possunt Infideles, neque cogi possunt Hæretici. V. Filii Infantes Infidelium invitis Parentibus, vel possunt baptizari; vel non possunt; si possunt: ergo jam Princeps sive ecclesiasticus, sive laicus, exercet jurisdictionem in Infideles, qui sunt extra Ecclesiam: ergo potest il-

jam exercere etiam in Parentes Infideles. Si non possunt : ergo non bene consulitur æternæ saluti Infantium illorum, qui inhabiles sunt ad faciendum aliquid ex se ipsis, si præcipue relinquantur Parentum arbitrio, qui eos ad Infidelitatem enutriunt & educant,

Respondemus ad I. illam esse communicationem necessariam, non liberam; & quæ ex arbitrio Fidelium non sit dependens, sed quæ potius dependeat ex coactione, sub qua sunt, ut infidelibus Principibus obediant, atque deserviant. Unde hic casus unus est ex exceptis, quibus permittitur Fidelibus cum Infidelibus communicare.

Ad II. Princeps ecclesiasticus in hypothesi objectionis vel id faceret, quia Princeps est præcise, vel quia Princeps est ecclesiasticus; non quia Princeps est præcise, quia ad eum non pertinet immediata cura de sacris: neque etiam quia Princeps est ecclesiasticus, quia quod Ecclesiasticus est, non dat illi majorem jurisdictionem temporalem, quam cæteri Principes habeant. Si vero id faciat ratione jurisdictionis spiritualis, quam fortassis argumentum supponit, Principem Ecclesiasticum habere; tunc ejus exemplum trahi non debet ad Principes laicos, qui nullam spiritualem jurisdictionem habent.

Ad III. Aliud est Infideles esse tolerandos in ditionibus suis a Principibus, vel potius posse tolerari; & aliud est quod possint in dignitatis, & dominii fastigium adeo elevari, ut valeant subditos suos in fidei discrimen adducere. Primum concessimus, secundum vero omnino negamus. Et ratio est, quia in primo casu remanerent in statu obedientiæ, & subjectionis suæ, & aliis non ingererent scandalum Fidei, atque periculum; in secundo vero Casu non sic, quia ratione dominii, quod haberent, facile possent subditos ad sui exemplum allicere, & iisdem proximam occasionem fidei ejurandæ exhibere.

Ad IV. Differentia inter Hæreticos ex una parte, & ex altera inter Gentiles, Turcas, & Judæos, hæc est, quod Hæretici aliquando fuerunt intra Ecclesiam, quia in eam per Baptismi januam intrarunt, adeoque coguntur, non ut veniant in Ecclesiam, sed ut redeant. Gentiles vero, Turcæ, & Judæi, nec sunt, nec unquam fuerunt intra Ecclesiam, quia nunquam per Baptismi januam, quem non receperunt, in eam intrarunt; adeoque si compellerentur, non cogerentur redire, sed venire ad Ecclesiam, quod nequit per coactionem fieri.

Ad V. Dicitur, quod Infantes Judæorum, & aliorum Infidelium, invitis Parentibus, licite baptizari non possunt; quia nunquam fuit in Ecclesia hujusmodi consuetudo, ut omnes unanimiter docent; & hoc ex eo quia si post Baptismum Infantes illi relinquerentur apud suos Parentes Infideles, certum periculum subirent deserendæ fidei; si vero a suis Parentibus abstraherentur, esset contra jus, quod habent Parentes erga suos filios; quod quidem jus naturale videtur, & nequit per quancunque aliam legem legitime destrui, aut violari.

DIS-

DISSERTAT. CCLXXVII.

De Locis theologicis ; & primo de Sacra Scriptura. An libri Sacrarum Scripturarum sint suppositi, vel veri? An sint omnino integri? An sint divinæ authoritatis, ac proinde omnimode infallibiles? Quisnam sit ipsorum Author, sive principalis, sive instrumentalis?

LOCI theologici non sunt loci communes, nimirum summa capita, quæ theologiam constituunt; vel Tractatus, ut dicunt, de quibus Theologus disputat; de iis enim omnes ex Catholicis Theologi agunt, & de Hæreticis egerunt Philippus Melancthon ex primis Lutheri discipulis, & ipse etiam Calvinus. Loci autem theologici sunt potius sedes argumentorum in theologia, vel ut ait Melchior Canus, qui de iisdem egregie scripsit, sunt tanquam domicilia omnium argumentorum theologicorum, ex quibus Theologi omnes suas argumentationes, sive ad confirmandum, sive ad refellendum, deducunt. Idem Canus horum locorum numerum ad denarium extendit, illorumque enumerationem tradit. „ Primus igitur locus est auctoritas Sacræ Scripturæ, quæ libris Canonicis continetur. Secundus est auctoritas traditionum Christi, & Apostolorum, quas, quoniam scriptæ non sunt, sed de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectissime dixeris. Tertius est auctoritas Ecclesiæ Catholicæ. Quartus auctoritas Conciliorum, præsertim Generalium, in quibus Ecclesiæ Catholicæ auctoritas residet. Quintus auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ divino privilegio, & est, & vocatur Apostolica. Sextus est auctoritas Sanctorum Veterum. Septimus est auctoritas Theologorum Scholasticorum, quibus adjungamus etiam juris Pontificii peritos. Nam juris hujus doctrina, quasi ex altera parte, Scholasticæ Theologiæ respondet. Octavus, ratio naturalis est, quæ per omnes scientias naturali lumine inventas latissime patet. Nonus est auctoritas Philosophorum, qui naturam ducem sequuntur. In quibus sine dubio sunt Cæsarei Jurisconsulti, qui veram & ipsi (ut Jureconsultus ait) Philosophiam profitentur. Postremus denique est humanæ auctoritas Historiæ, sive per Authores fide dignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ, non superstitiose, atque aniliter, sed gravi constantique ratione. „

Primus ergo inter theologicos locos est Sacra Scriptura, quæ quidem libros tam veteris, quam novi Testamenti comprehendit. Dum autem quæritur I. in prima hujusce Dissertationis parte: An libri Sacrarum Scripturarum sint suppositi, vel veri; sermo non est de Evangeliis, de quorum genuinitate, veritate, ac auctoritate in Dissertatione 201. loquuti fuimus; sed de aliis Sacræ Scripturæ libris, tum novi, tum veteris Testamenti; contra quos, more nostro, referimus primo errores, qui surrexerunt, ipsosque pariter Authores, qui illos ad mundi perniciem excitarunt.

Primo, Nazaræi fatebantur quidem Moysem accepisse a Deo legem, at non hanc, dicebant, quæ in libris ejus comprehenditur, sed aliam; libros enim, qui modo supersunt fictos volebant non autem veros ac genuinos. *Refert Epiphanius hæresi 18.*

Secundo, Ptolemaitæ Mosaicos libros damnabant, quia pariter credebant ea, quæ in ipsis continentur, non esse a Deo bono, sed a tribus diversis Authoribus condita; videlicet unam partem eorum a Deo opifice hujus mundi, qui esset medius inter Deum bonum, & diabolum: aliam vero a Moyse juxta propriam mentem, & non secundum Dei voluntatem; tertiam a Senioribus Judæorum, secundum ipsorum ingenium excogitatam. *Epiphan. hær. 33.*

Tertio, Manichæi Mosaicos libros rejiciebant, eo quod a principio usque ad calcem a malo Hebræorum Deo dictati sint, & a filiis ejus Judæis omni turpitudine ac fœditate referti; qui ut eas fœditates contegerent, inseruerunt iis pauca quædam verba de lege naturali, quam Deus bonus mentibus humanis impressit, ut tanquam velo ac nebula divinorum verborum superinducta, authoritatem libris suis conciliarent, Testatur Augustinus lib. 22. contra Faustum.

Quarto, Bugomili rejiciebant omnes libros Mosaicos, una cum Deo, qui in ipsis memoratur. Dicunt, Moysen, a Satanaele deceptum, in Ægyptum revertisse, Judæorum populum decepisse, & eos eduxisse portentis ac signis, quæ virtute Satanaelis efficiebat: montem Sinai conscendisse, & innumerabilia hominum millia perdidisse. Narrat Euthymius in Panoplia p.2. tit.23. cap. 1. & 10.

Quinto, Albigenses volebant vetus Testamentum non esse a bono Deo, & Moysen fuisse malum. Testis est S. Antoninus in Summa par,4. tit. 11. cap.7. §. 5, Quibus adhæsit Hermannus Rissuich, qui dicebat, Muysen a Deo non suscepisse legem, nec cu Deum facie ad faciem fuisse loquutum, Narrat Bernardus Lutzemburgus apud Coccium lib. 6. ar. 5.

Sexto, Lutherus tom. 3. Germ. fol. 40. & 41. has protulit blasphemias; „ Mosen neque audire, neque videre volumus. Nam ille judaico solum populo datus est, neque quicquam ad nos pertinet, Sit Judæis quasi speculum Saxonum, neque nos Gentes inquietet, aut turbet. Ut Gallia speculum saxonum non curat, sic lex Moysi nos non ligat, Si quis Mosen cum suis legibus tibi proponat, teque cogere velet, ut eas observes, tum dicas: Abi ad Judæos cum tuo Mose. Ego Judæus non sum, ne me cum Mose involvas. „ Et in colloquiis convivalibus cap, de lege, & Evangelio; „ Mosen cum sua lege non suscipiam; nam hostis Christi est. Si mecum ad judicium accesserit, rejiciam eum in nomine Dei, & dicam: Hic Christus stet. „ Fol. 118. „ Moses omnium Carnificum magister est: nemo cum terrendo, angustando, tyrannizando, comminando, tonando, æquiparat: conscientias dire aggreditur, corda terret, torquet, lacerat. „ Fol. 121. „ Lex est vera labyrinthus, quæ conscientias solum in terrorem conjicit: justitia legis minotaurus est, hoc est mera fabula, non ad salutem, sed Acherontis ducens ad undas. „ Et ad psalm. 45. „ Apage cum Mose ad pertinaces ferosque homines, ac superbos Sanctos, quos terrefaciat, ac humiliet. „

Septimo, contra Jobi librum multa dicunt Judæi in Thalmud. ordine 4. tract. 3. Anabaptistæ, & Lutherus, volentes ejus historiam non esse veram, & authenticam. Videatur Coccius loco citato art. 6.

Octavo, alii Hæretici, post quos Lutherus, Calvinus, & Beza, negarunt librum Cantici Canticorum esse Canonicum, & authenticum. Coccius loc. citato art. 8.

Nono, hoc ipsum pariter dixerunt alii de Libro Sapientiæ, ut Lutherus, & Calvinus; de libro Esther Melito Sardensis, Amphilochius, &c. de Libro Baruch Lutherus, & Zuinglius; de Libro Judith idem Melito Sardensis; de Libro Tobiæ idem Sardensis, post quem Lutherus, & Brentius.

Decimo, alii dubitarunt de his sequentibus libris, aut eos aperte negarunt; nimirum Epistolam ad Hebræos Erasmus, Lutherus, Magdeburgenses &c. Epistolam S. Jacobi Apostoli, Erasmus, Lutherus, Brentius &c. Secundam S. Petri Epistolam, Erasmus, Lutherus, Brentius; Apocalypsim Cerdon, Marcion, Erasmus, Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Brentius, &c. Qui omnes videri possunt apud Coccium præfatum loco notato, & in aliis subsequentibus articulis.

Dicimus I. Libros Sacrarum Scripturarum non esse suppositios, sed veros; & esse pariter omnino integros.

I. Probatur ex Scripturis. Deuteronomii 34. *Non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis atque portentis.* Josue 1. *Non recedat volumen Legis ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo.* Psalm. 1. *In lege Domini voluntas ejus; & in lege ejus meditabitur die ac nocte,* Malachiæ 4. *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta, & judicia.* Ecclesiastici 45. *Dilectus Deo, & hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est, Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore Inimicorum, & in verbis suis monstra placavit, Glorificavit illum in conspectu Regum, & jussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius Sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum, & vocem*

ipsius,

ipsius, & induxit illum in nubem. Et dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, & judicia sua Israel. Lucæ 20. *Quia vero resurgant mortui, & Moyses ostendit, secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum; omnes enim vivunt ei.* Joannis 1. *Lex per Moysen data est.* Et cap. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Actorum 7. *Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo.* Et 22. *Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum; & erat potens in verbis, & in operibus suis.* Ad Hebr. 11. *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi.* Ezech. c. 14. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.* Tobiæ 2. *Nam sicut B. Job insultabant Reges: ita isti parentes, & cognati ejus irridebant vitam ejus.* 1. Ad Corinth. 3. *Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Job 5. *Sufferentiam Job audistis.*

II. Probatur ex Pontificibus Romanis. Innocentius I. epist. ad Exuperium Tholosanum c. 7. *Qui vero libri recipiantur in Canonem Sanctarum Scripturarum, brevis annexus ostendit: Mosis libri quinque, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, &c.* Leo I. serm. 4. de collectis: *Non sinantur latere homines,* (Manichæi) *qui legem per Moysen datam, in qua Deus universitatis conditor ostenditur, recipiendam esse, non credunt.* Gregorius Magnus lib. 6. expositionis in 1. Reg. c. 16. *Magna unctione indiget, qui de sua plenitudine replere alios debet. Unde & Moses tam plenus extitisse dicitur, ut de Spiritu ejus Dominus tulisse, & aliis dedisse, docearur.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginense, quod in fine quarti seculi celebratum est, cap. 47. *Placuit, ut præter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomion, &c.* Concilium Toletanum I. apud Canum: *Si quis dixerit, vel crediderit; alias Scripturas esse Canonicas, præter eas, quas Ecclesia Catholica recipit, anathema sit.* Sed Ecclesia Catholica recipit hos libros, de quibus loquimur: ergo &c.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Justinus oratione parenetica ad Gentes: *Majores Mosis per famis causam e Phœnicia in Ægyptum transierunt, atque ibi eum genuerunt, quem Deus ob præstantem ejus virtutem honore auctum, Principem, Imperatorem, & Legislatorem genti suæ proposuit, cum ex Ægypto Hebræorum multitudinem in regionem suam reverti justum esse, & æquum duxit. Huic primum Deus, quod cœlitus in Sanctos homines illabitur, divinum, & propheticum exhibuit donum, & primum illum religionis nostræ Doctorem instituit, ac deinceps secundum hunc, & reliquos Prophetas, &c. Quoniam ab oraculis vestris verum vos cognoscere posse existimatis, historiasque de vita Mosis a sacro cultu nostro profanis hominibus scriptas legitis, & ex Chaldæorum, atque Hebræorum genere ortum Mosen, & Prophetas cæteros intelligitis; non incredibile esse arbitremini, virum qui ex religiosorum piorumque hominum gente prognatus, & majorum suorum religione, vita, morumque pietate digne colendus spectatus sit, tam ingenti isto dono a Deo honoratum, & Principem Prophetarum omnium designatum esse, &c.* Irenæus lib. 3. c. 6. *Moses homo Dei existens, Deus datus est ante Pharaonem. Non autem vere Dominus appellatur, nec Deus vocatur a Prophetis, sed fidelis Moses, famulus & servus Dei dicitur a Spiritu, quod & erat.* Et lib. 3. cap. 42. *In quinque libris legem populo Moses tradidit. Unaquæque tabula, quam accepit a Deo, præcepta habebat quinque.* Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 7. *Lex est vetus gratia per Mosen a Verbo data, quo circa dicit quoque scriptura: Lex per Mosen data est, non a Mose, sed a Verbo, &c. Moses prophetice profecto cedens pædagogo, nempe Verbo, & nomen, & pædagogiam prædicit, & populo commendat pædagogum, præceptis ei obedientiæ traditis: Prophetam, inquit, vobis suscitabit Deus, tanquam me de fratribus vestris.* Et lib. 1. Stromat. *Est itaque noster Moses propheticus, legum ferendarum peritus, ordinandæ, & instruendæ aciei gnarus, exercitus ducendi artem tenens, politicus, ac philosophus.* Chrysostomus ad cap. 1. Genes. homil. 2. *Et has quidem literas dedit Deus, attulit autem Moyses. Quid igitur dicunt hæ literæ? In principio fecit Deus Cœlum, & terram. Considera, charissime, quam admirabilis, & eximius sit ille Propheta. Alii enim omnes Prophetæ dixerunt, vel quæ multis postea temporibus futura erant,*

erant, vel quæ in futuro seculo evenient. Beatus autem iste natus, cum jam multa mundi secula transissent, & ducem, & directricem sortitus supernam dexteram, dignus est habitus, ut illa nobis diceret, quæ ante suam nativitatem omnium Dominus formaverat. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Julianum: *At forte dicet aliquis: Esto mosaica antiquiora sint his, quæ a Græcorum sapientibus scripta, adhuc tamen non est verum dicere, quod suam sapientiam inde sublegerint, vel certe deprehendantur sustulisse &c. Porro ex his cognoscere poterit quispiam, Christianorum doctrinas esse antiquitatis magis venerandæ. Tunc enim nondum de literis sciebant Græci; Cadmo eas vix tandem è Phœnice ad illos transferente, & tunc mosaica erant scripta. Quid? quod Solon, Atticarum legum inventor, & etiam ipse Plato, quia in Ægypto fuere, præ aliis sapientiores habiti sunt? Ad hæc admirati sunt mosaica. Nam quod Moses Græcorum historicis notissimus fuerit, ex ipsis, quos scripsere, libris, facile cognoscere licet. Nam & Palemon in primo Historiarum Græcarum mentionem ejus facit. Præter hunc & Ptolomæus Mendesius, & Hellanicus, & Philochorus, Castorque, & cum his alii. Diodorus vero diligenter perscrutans Ægyptiaca, dixit se accepisse ab illorum Sapientibus de illo, quæ sic scripsit. Nam post statum veteris Ægyptiorum vitæ, quæ sub Diis, & Heroibus fuisse narratur, dicunt virum quemdam magnæ mentis, & vitæ apud Judæos celeberrimum Mosen, qui dicebatur Deus, persuasisse primum, ut legibus scriptis vivendo populi uterentur. Etenim quia omni virtute præditum videbant Mosen, etiam Deum nominarunt illum; honoris gratia Ægyptii sic illum appellarunt, vel fortassis didicerant, quod universorum Deus dixerat illi: Ecce te posui Deum Pharaoni.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus in Apologetico cap. 19. *Si quem audistis interim Mosen, Argivo Inacho par est ætate quadringentis pene annis: nam & septem minus, Danaum, & ipsum apud vos vetustissimum, prævenit; mille circiter eladem Priami antecedit. Possem etiam dicere quingentis amplius & Homerum, habens quos sequar. Cæteri quoque Prophetæ, etsi Mosi posthumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores deprehenduntur primoribus vestris sapientibus, & legiferis, & historicis.* Hieronymus epist. 103. ad Paulinum cap. 7. *Manifestissima est Genesis, in qua de Creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum & gentium usque ad exitum scribitur Hebræorum. Patet Exodus cum decem plagis, cum Decalogo, cum mysticis, divinisque præceptis. In promptu est Leviticus liber; in quo singula sacrificia, imo singulæ pene syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leviticus, spirant cœlestia sacramenta. Numeri vero nonne totius Arithmeticæ, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent? Deuteronomion quoque secunda lex, & Evangelicæ legis præfiguratio, nonne sic ea habet, quæ sunt priora, ut tamen nova sint omnia de veteribus? Hucusque Moses, hucusque Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus in Ecclesia gloriatur.* Augustinus de Civitate Dei lib. 18. cap. 37. *Nec Orpheus, nec Linus, nec Musæus, verum Theologum nostrum Mosen, qui unum verum Deum veraciter prædicavit, cujus nunc scripta in auctoritatis Canone prima sunt, tempore prævenerunt; ac per hoc, quantum ad Græcos attinet; in qua lingua literæ hujus seculi maxime ferbuerunt, nihil habent unde sapientiam suam jactent, quo religione nostra, ubi vera sapientia est, si non superior, saltem videatur antiquior. Verum quod fatendum est, non quidem in Græcia, sed in Barbaris Gentibus, sicut in Ægypto, jam fuerat ante Mosen nonnulla doctrina, quæ illorum sapientia diceretur: alioqui non scriptum esset in libris Sanctis Mosen eruditum fuisse in omni sapientia.*

VI. Probatur rationibus. I. Libri illi habendi sunt pro veris, & non pro suppositiis, qui vere sunt illorum Authorum, quibus tribuuntur, & vere scripti fuerunt tempore illo, quo scripti dicuntur; sed sic sunt libri sacrarum Scripturarum; ergo non sunt suppositiii, sed veri. Major constat; quia ita pariter Ciceronis, Demosthenis, & Vergilii libri sunt veri, & non suppositiii, quia semper habiti fuerunt pro legitimis partibus illorum Authorum, quorum præseferunt nomina, & semper fuit creditum, quod fuerunt scripti circa illa tempora, quibus scripti dicuntur. Minor probatur. Judæi, qui Moysis ætate vivebant, ad posteros tramandarunt, illos fuisse a Moyse scriptos, quanvis multa continerent, quæ non ad ipsorum gloriam cedebant, sed ad ignominiam; & sic deinde ipsorum posteri crediderunt. Ita pariter dixerunt Judæi, qui aliorum Prophetarum ætate vivebant. Ita pariter Christiani, qui fuerunt Apostolis, & discipulis Christi coetanei, & de ipsorum scriptis testimonium protulerunt. II. Judæorum Synagoga, ad quam pertinebat de veteris Testamenti

libris

libris judicare, semper credidit, libros illos eosdem habere Authores, quorum nominibus inscribuntur, & hanc traditionem ad Christianos usque demandavit. III. Ecclesia sive in supremo suo Capite contenta, sive in Conciliis congregata, judicavit pariter, & decrevit, divinarum Scripturarum libros, illorum esse, quorum exhibent nomina. IV. Perpetuus ac universalis omnium Ecclesiarum, ac Catholicorum consensus stat pro genuinitate ac sinceritate librorum omnium divinæ Scripturæ: ergo nullo modo dici potest, quod iidem sint illegitimi, ac suppositii.

Secunda Conclusionis pars, scilicet quod Sacrarum Scripturarum libri omnino sint integri I. probatur. Si Sacrarum Scripturarum libri integri non essent, eos depravassent Judæi; sed Judæi non depravarunt: ergo Sacrarum Scripturarum libri, in partibus substantialibus præcipue, omnino integri sunt. Probatur minor. Si eos depravassent Judæi, vel fecissent ante Christum, vel post Christum; sed nec ante Christum fecerunt, nec post Christum: ergo illos non depravaverunt Judæi. Probatur minor. Si fecissent ante Christum, Christus depravationem objecisset tanquam crimen maximum Scribis, Pharisæis, ac aliis Judæis; sed Christus nunquam fecit hoc; immo mittens illos, qui ipsum audiebant, ad scrutandas scripturas, supponebat maxime scripturas fuisse integras in partibus essentialibus. Major est Hieronymi in cap. 6. Isaiæ: *Nunquam Dominus, & Apostoli, qui cætera crimina agunt in Scribis, & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent.* Minor habetur Matthæi 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribi, & Pharisæi; quæcunque ergo dixerint vobis, facite:* Et alibi: *Scrutamini scripturas.* Sed neque libros Veteris Testamenti depravarunt Judæi, quoad substantiam, post Christum natum. Et hoc ipsum probatur; quia quæcunque ex Veteri Testamento a Christo, & ab Apostolis, citantur, ita prorsus in Veteris Testamenti libris, quos habemus, leguntur.

II. Probatur. Si Judæi malitiose corrupissent Veteris Testamenti libros, hoc effecissent in iis, quæ maxime Christianam Religionem spectant, & præcipue in vaticiniis de Christo Domino; sed in his non effecerunt: ergo nullatenus effecerunt. Probatur minor. In locis, quæ agunt de præcipuis Christianæ Religionis Capitibus, & maxime in iis, quæ continent Vaticinia Christi Domini, Judæorum Codices, vel non differunt a nostris Exemplaribus; vel si differunt, differentia non est quoad substantiam, sed in minimis, quæ parum, aut nihil ad rem faciunt, immo in multis Hebræa lectio sæpe nobis magis favet, quam nostra, ut in particulari etiam Scriptores nostri observant, & ducent.

III. Probatur. Si aliqua depravatio substantialis facta fuisset a Judæis in libris legalibus, vel eam fecissent Samaritani, qui secum detulerunt libros Moysis, quando defecerunt a Roboamo ad Jeroboam; vel effecissent reliqui Judæi, antequam ab illis, qui Jeroboamo adhæserunt, dividerentur; sed nulli ex istis: ergo nulla depravatio fuit facta quoad substantiam in libris Legis. Probatur minor. Si fuisset facta a reliquis Judæis, his eam objecissent Samaritani: & si facta fuisset a Samaritanis, iisdem quoque illam objecissent Prophetæ Regni Israel, & Sacerdotes etiam Regni Juda; sed non objecerunt, ut patet: ergo &c.

IV. Probatur. Depravatio, de qua loquimur, redditur impossibilis, tum ex parte Dei, tum ex parte Judæorum: ergo non est affirmanda. Probatur antecedens. Ex parte Dei, quia divina providentia non permisisset, corrumpi libros illos, in quibus continentur pro christianæ Religionis veritate argumenta firmissima; quapropter Augustinus afferebat, quod ideo Dei providentia permisit, ut per totum Orbem disperderentur Judæi, ut ubique essent fidei nostræ monumenta quæ deportassent Judæi. Hæc sunt Augustini verba lib. 15. de Civit. Dei cap. 46. *Ut Judæi, tanquam capsarii nostri, libros nostros circumferrent, ut cum Pagani non credunt, quæ nos de Christo prædicta fuisse dicimus, quasi a nobis essent conficta, mittamus eos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui libros nostros circumferunt, quibus eadem habentur, quæ nos prædicamus.* Neque ex parte Judæorum; tum quia, quum in singulis familiis essent Sacri Codices, si aliqua corruptio iisdem facta fuisset, eam facile observassent omnes Judæi; & quum de ea nullatenus loquuti fuerint, signum est quod non invenerunt: tum quoque, quia testatur Josephus lib. 1. contra Apponem, tantam fuisse Judæorum erga sacros Codices venerationem, ut potius mori voluissent, quam pati, ut in iisdem vel unus apex mutaretur. Unde Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 13.

firma

firma dixit, quod Judæi nec potuerunt, nec voluerunt unquam sacros libros depravare: *An ne credibile est, ipsos Codicibus suis voluisse eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem, vel per totum orbem dispersos potuisse in hoc conspirare, nullo contradicente?*

V. Probatur de novi Testamenti librorum integritate in substantialibus partibus; primo quia eædem rationes, quæ probant integritatem librorum veteris Testamenti, novi Testamenti Codicum integritatem exhibent. Secundo quia novi Testamenti libri fuerunt semper & apud Catholicos, & apud Hæreticos; sed si illos depravassent Hæretici, iisdem exprobrassent Catholici; vel si corrupissent Catholici, iisdem objecissent Hæretici; quod nulli unquam fecerunt. Tertio si aliqui sunt, qui hanc depravationem comminiscuntur, assignent tempus, modum, & Authores depravationis hujusce; quod quum nec fecerint hucusque, nec faciant modo, argumentum nobis est, nullatenus depravationem illam fuisse.

Arguunt I. Judæi tenebantur obedire Rabbinis in iis, quæ ad Religionem spectabant; sed Rabbini in odium Christianæ Religionis facile potuerunt Sacros libros corrumpere ac depravare: ergo non fuit impossibile, ut sacri libri veteris Testamenti a Judæis corrumperentur, ac depravarentur. II. In lib. Genesis cap. 8. in Codice Hebræo legitur: *Corvus egrediebatur, & revertebatur:* Attamen in versione septuaginta Interpretum, & in Vulgata latina, legimus: *Corvus egrediebatur, & non revertebatur*; sed hæc est mutatio quoad substantiam: ergo &c. III. Rabbini fatentur, sapientes inter illos multa mutasse in Codicibus sacris, & ea Codicibus hodiernis inseruisse; quas quidem mutationes Scribarum correctiones appellant: ergo re vera mutationes illæ factæ fuerunt in Codicibus sacris. IV. Plerique Sancti Patres Judæos accusabant de sacrorum librorum depravatione: ergo vere fuit facta depravatio hæc. Probatur antecedens: Accusabant Judæos de hac depravatione Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. cap. 24., aliique etiam V. In libro Genesis cap. 12. dicitur, quod Abraham pertransivit usque ad Convallem illustrem, & additur parenthesis, in qua leguntur hæc verba: *Chananæus tunc erat in terra*; ex quibus verbis deducitur, tempore, quo Moyses scribebat, Chananæos in Palestina non esse; atqui re vera Chananæi tunc erant in Palestina; ergo parenthesis illa fuit addita a Judæis. Probatur minor. Tempore Moysis nondum fuerant expulsi Chananæi e Palestina, sed post mortem ejus: ergo non est verum, quod Chananæi non erant in Palestina tempore, quo Moyses scribebat. VI. In eodem lib. Genesi cap. 35. fit mentio de turre gregis; dicitur enim ibi de Jacob: *Egressus inde, fixit tabernaculum trans turrem gregis*; atqui ante Urbem Jerusolymam turris Gregis ædificata non fuit: ergo Moyses non poterat de ea loqui, quia illam non viderat. VII. Multa leguntur in Genesi, quæ Moyses, ut homo privatus, & in Ægypto latitans, scire non poterat: ergo fuerunt a Judæis conficta. Probatur antecedens: Genesis 2. habetur: *Nomen uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est. Ibique invenitur Bdellium & lapsis Onychinus.* Et cap. 10. *De terra illa egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & plateas Civitatis, & Chale Rasen quoque inter Niniven & Chale; hæc est Civitas magna.* VIII. Exodi 16. legitur: *Filii autem Israel comederunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt usquequo tangerent fines terræ Chanaan*: verba respiciunt tempus, quo manna cessavit; sed tempore, quo manna cessavit, Moyses erat mortuus: ergo non potuit Moyses hæc verba scribere. IX. Deuteronomii 10. legitur: *Hæc sunt verba, quæ loquutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem*; atqui Moyses Jordanem non transivit: ergo hæc verba non scripsit. X. In fine Deuteronomii describitur mors Moysis, eique elogium efformatur; sed hæc non poterant a Moyse scribi: ergo &c. XI. Judæi amiserunt aliquando Pentateuchum Moysis, vel eum oblivioni demandarunt; sed hoc facere non poterant, si Pentateuchus fuisset legitimus Moysis fœtus, propter venerationem, quam erga eum habebant: ergo &c. Major probatur; quia libro 4. Regum 22. & lib. 2. Paralipomenon 34 legitur, quod Helcias, summus Sacerdos, reperit Codicem legis tempore Josiæ Regis Juda: ergo fuit antea deperditus. XII. Est argumentum Simonii, quod sic proponit P. Boucat:
„ Apud Hebræos Scribæ, seu Prophetæ,
„ divino afflati Spiritu, id muneris obibant,
„ quod res gestas & annales temporum
„ colligerent, memoriæ suis scriptis traden-
„ das; sic ea fungebantur officio Hiero-

„ phan-

„ phantæ apud Ægyptios; Chaldæi apud
„ Babylonios; Magi apud Persas; Gym-
„ nosophistæ apud Indos; Literati apud
„ Sinas; Pontifices apud Romanos: Igitur
„ probabilissimum est apud Judæos hanc
„ legis Annalium colligendorum provin-
„ ciam Scribis & Prophetis, nusquam vero
„ ipsi Legislatori, demandatam fuisse; ma-
„ xime cum Principes & Legum Condito-
„ res Amanuensibus pro rebus gestis uti
„ soleant „.

Respondemus ad I. Propter multas rationes reddi prorsus moraliter impossibile, quod Rabbini Sacros Codices depravaverint. Primo, quia non est credibile, ut Rabbini convenientes in Palestina, & in Babylonia, ad Synedrium, omnes, nec uno excepto, ad hujusmodi depravationem consenserint. Secundo, quia Rabbini veneratione summa sacros libros prosequebantur, & quanvis dederint insulsas, & ridiculas explanationes ipsorum, verborum tamen corticem omnino servabant. Tertio, quia Judæi cæteri, in quorum manibus Sacri Codices inveniebantur, depravationem illam detexissent, & Rabbinis omnibus objecissent. Quarto, quia multo magis Christiani corruptionem a Rabbinis factam agnovissent, & illam Judæis omnibus exprobrassent.

Ad II. Si quæ mutationes leguntur, nec sunt contra fidem, nec sunt contra mores, adeoque non sunt substantiales. Hæ autem provenire non poterant ex Judeorum malitia, quia ad ipsorum intentum non faciebant. Provenerunt vero ex Scribarum oscitantia, vel ex aliquo fortuito casu, qui evitari non potuit. Sed de iis fusius loquemur, quando de nostræ vulgatæ latinæ Editionis authoritate agemus. Bellarminus addit, quod non defuerint Biblia latina, in quibus legebatur, ut in hebraico Textu legitur: *Corvus egrediebatur, & revertebatur.*

Ad III. Bellarminus dicit, quod sit fictitia correctio illa, quam Judæi prædicant. Alii vero asserunt, quod correctio illa fuit facta ab Esdra, ac a posterioribus Prophetis. Verba sunt Juenini: „ Qui libros
„ sacros post captivitatem Babylonicam
„ recognovere, quique collatis inter se
„ antiquis Codicibus, restituerent germa-
„ nam lectionem, quæ in hodiernis Codi-
„ cibus reperitur; unde si aliter ac nunc
„ in aliquibus Codicibus lectum est olim, er-
„ ratum erat, quod Esdras Propheta, &
„ Judæorum Synagoga, correxere „.

Ad IV. Citati Patres, vel loquuti sunt de mutatione, quoad aliquas lectiones, vel de mutatione non a Judæis facta; sed a Theodotione, & Simmacho, qui a Christianis deficientes ad Judaismum, versionibus suis sacros libros fædarunt.

Ad V. quod est argumentum Spinosæ, & quo etiam usus est Simonius, respondet P. Boucat: „ Sensus est tempore Abrahæ
„ Chananæum jam hanc terram incoluisse,
„ quod quidem Moyses subnotare debuit,
„ cum inter Abraham & seipsum interce-
„ derent anni circiter 400. Tum quia ut
„ intelligerent Hebræi, in quorum gratiam
„ scribebat, Palestinam vel ipso Abrahæ
„ tempore occupatam, eam ipsa esse terram,
„ quam Abrahæ & ejus Semini dare Deus
„ spoponderat „.

Ad VI. Primo dicitur, quod Moyses loquebatur spiritu prophetico, adeoque scribere poterat res & præsentes & præteritas; & etiam futuras; & quod Moyses fuerit Propheta, Lucæ 24. habemus, ubi Christus discipulis Emmaus dicebat: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erat.* Secundo dicitur, quod ibi non loquitur Moyses de turre Jerosolymitana, quia non est certum, quod fuerit eadem illa, de qua est sermo in Genesi, cum altera Davidis tempore; potuit enim perseverare in terra Chanaan turris illa, quæ erat tempore Jacob, usque ad Hierusalem ædificationem.

Ad VII. dicitur, quod Moyses potuit illa scire per traditionem Parentum, quemadmodum cognovit Civitates Niniven, & Chale. Ad quam probationem corroborandam P. Boucat breviter texit traditionem Chronologicam ab Adamo usque ad Moysen verbis hisce: „ Citra dubium
„ est, Adamum scientia infusa excultum
„ fuisse, ut nepotes edocere posset de initio & creatione mundi, ac de rebus na-
„ turalibus, ut scriptum est Eccli. 17. tum
„ alia Scriptura Genes. 2. *Omne enim, quod*
„ *vocavit Adam animæ viventis, ipsum est*
„ *nomen ejus.* Porro Protoparens vixit an-
„ nos 930. Mathusalem vero natus est anno
„ mundi 687. vixit igitur cum Adamo an-
„ nos 244; ac subinde potuit ab eo ediscere,
„ quæ spectant mundi creationem, rerum
„ omnium tum insensibilium, tum sensibi-
„ lium, atque viventium, naturas; primi
„ hominis lapsum, & promissum Mediato-
„ rem. Jam vero Mathusalem, qui cum

„ Adamo annos 244. vixerat, vixit etiam cum Sem filio Noemi annis 100. Sem enim erat filius centum annorum, quando contigit diluvium, ut vel ipsa Sacra Scriptura testatur. Evenit autem diluvium anno mundi 1656., & Mathusalem vixit 969. videlicet ad diluvium usque: quid prohibet igitur Sem a Mathusalem edoctum de iis omnibus, quæ ab ipso acceperat Adamo? Eandem notitiam citra dubium Isaac Abrahæ filius a Semo habuit, quandoquidem ille 50. annis cum Isaac vixit, cujus rei argumentum est, quod Sem vixerit post diluvium quingentis annis, & mortuus sit anno mundi 2158. Isaac vero natus sit anno 2108. Immo Jacob, quem Isaac genuit sexagelimum annum agens, decennio post obitum Semi natus est, viditque filios Josephi, quibus, antequam moreretur, benedixit. Filii autem Josephi potuerunt videre Moysen, quia a morte Josephi usque ad Moysis nativitatem intercesserunt tantum sexagintaquatuor anni. Ex his omnibus liquet, Moysen potuisse ex traditione accipere omnia facta Israeliticum populum, sive in Ægypto, sive in deserto, spectantia, at similiter & alia, quæ de Paradiso, de fluminibus, de auro, & lapidibus, conscripsit. Neque vero poterat illudere Auditoribus, cum sicut ipse, sic & inter Seniores & Majores multi, pleraque, maxime quæ de Redemptore futura erant, ex eadem traditione tenebant „.

Ad VIII. Natalis Alexander respondet primo, quod Moyses verba illa loquutus est trans Jordanem, habita scilicet ratione terræ sanctæ, per cujus comparationem locorum situs Scriptura designat; Unde campestria Moab, in quibus Moyses Judæos alloquens, ultimo legem iteravit, Judæis, qui terram promissam habitabant, trans Jordanem sunt. Secundo cum P. Boucat, quidistinguit verba illa: *Hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terræ Chanaan*, moraliter, concedit, physice, subdistinguit; usquequo tangerent citra Jordanem, concedit; trans Jordanem, negat. Pro certo enim habet, quod Moyses devicit Og, & Sehon, Reges Bazan, & Amorrhæorum, quando appropinquavit Jordanem, & terræ promissionis fines. Et tunc cessavit manna, & Israelitæ frugibus terræ aliti sunt. Post hæc Moyses obiit in monte Nabob; tunc Hebræi sub novo duce Josue Jordanem transierunt, & capta Jerico civitate, terram Chanaan occupare cœperunt. Unde subdit, quod immediate ante transitum Jordanis tangebant Hebræi fines terræ Chanaan moraliter, & initiative, adeoque potuit verba illa Moyses scribere. Tertio alii dicunt, quod verba illa fuerunt addita a Josue, vel ab Esdra, vel etiam ab ipso Moyse, qui spiritu prophetico futura tanquam præsentia cognoscebat. Quemadmodum Deuteronomii 17. prævidit, quod filii Israel aliquando habituri erant Regem; & Deuteronomii 25. Hebræos monuit, ut postquam terram promissam habitassent, Amalecitas omnimode exterminarent.

Ad IX. dicit primo Natalis Alexander, quod æquivocatio stat in verbo hebraico *Eber*, quod non solum significat *trans*, sed & *cis*, ut notant Pagninus & Buxtorfius. Unde in Bibliis Polyglottis allata verba sic leguntur: *Ista verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel in transitu Jordanis*; id est, cum mox transiturus Jordanem esset. Secundo P. Boucat dicit, quod vox *trans* importat æque terminum a quo, & terminum ad quem; quia transitus est motus, qui incepit citra Jordanem, & trans Jordanem terminatus est. Verba autem illa sumi debent in primo sensu, non in secundo.

Ad X. Dupliciter etiam respondetur; primo scilicet, quod Moyses Dei afflatu & prophetico spiritu illa scripsit; Secundo vero, quod Josue sub Dei etiam assistentia finem libris illis dedit, & Moysis elogium contexuit. Sunt pariter qui volunt, quod quinque libri Legis fuerunt a Moyse conscripti per modum Diarii, & Annalium, & quod Josue post ejus obitum in ordinem digessit, & Spiritus Sancti afflatu nonnulla etiam intertexuit; quemadmodum Baruch ordinavit prophetiam Jeremiæ; & Parabolæ Salomonis ex ejus scriptis ab aliis Sacris Scriptoribus fuerunt congestæ, ut in libro Proverbiorum legitur.

Ad XI. Argumentum probat quidem summam Judæorum incuriam in sacris libris asservandis, sed non horum ostendit omnimodam deperditionem. Porro Helcias sub Josia Rege librum Moysis invenit, sed Autographum, seu Originalem, quem occultaverant Judæi ob persequutionis metum; at non obinde credendum est, omnia exemplaria deperdita quoque fuisse, quia & Prophetæ, & Sacerdotes tenebantur illa servare. Et ob hoc notanter dicitur, quod Helcias Sacer-

dos reperit librum Legis Domini per manum Moysis, hoc est, Moysis manu exaratum. Quis autem credet præter originale hujus libri nullum apud Judæos permansisse exemplar?

Ad XII. Idem P. Boucat, qui argumentum proposuit, solutionem subministrat. Hæc ergo reponit: „ Systema Simonii petere „ jugulum, dum concedit solos Scribas a „ Deo inspiratos, & Prophetas spectasse „ Libros Sacros componere, & hoc ipsum „ testatur Josephus lib. 1. contra Apionem. „ Unde sic distinguo: Et Moyses inter „ Prophetas erat maximus, quippe qui & „ Legislator extiterit, concedo: ad ipsum „ igitur spectabat scribere legem, immo „ Deo jubente, fecit: Et non erat, nego. „ Ad probationem nego paritatem; hoc „ enim intercedit discrimen inter Legislatorem a Deo inspiratum, & alterum „ mere civilem, quod ille ipse debeat prodere, & scribere legem, qualem a Deo „ accepit, ne legi possit subesse falsum, & „ ut etiam populi majorem legibus adhibeant fidem, majorique eam prosequantur amore. „

Diximus II. Libros Sacros, tam Veteris, quam novi Testamenti, esse divinæ authoritatis, ac proinde esse omnimode infallibiles.

Prima Conclusionis pars, quæ est de libris Veteris Testamenti, I. probatur. In particulari de libris, qui legales dicuntur. Libros Legales scripsit Moyses, qui ad eos scribendos a Deo missus fuerat; Sed libri scripti ab homine a Deo misso, debent esse authoritatis divinæ, & infallibiles: ergo &c. Minor patet, quia non est conforme providentiæ, & veracitati Dei permittere, quod falsum aliquid scribat ille, quem ipse Legislatorem, & Doctorem populi constituit, & ad scribendum misit. Major probatur. Ille missus dicitur a Deo ad aliquid faciendum, qui suam missionem veris miraculis probat; sed Moyses suam missionem veris miraculis confirmavit: ergo vere fuit a Deo missus ad sacros libros scribendos. Probatur minor. Vel miracula, quæ scripsit Moyses in Pentateucho, fuerunt ficta, vel vera; Si vera; habemus intentum; Si ficta; hæc sequerentur incommoda. Primum, quod Moyses, alioqui vir prudens, rectus, ac placens Deo, fuisset improbus, iniquus, ac turpissimus impostor; Secundum, quod debuisset, si fœdam hanc imposturam perpetrasset, Judæorum plebi adulare; at potius illius sæpe sæpius exprobravit incredulitatem, ingratitudinem, inconstantiam, incontinentiam, & cætera hujusmodi. Tertium, quia miracula illa talis erant naturæ, ut fingi nullatenus potuissent; ut fuerunt aquarum in sanguinem conversio; ranarum productio, quæ universas domus pervasit; primogenitorum mors eadem nocte facta; maris rubri divisio, & cætera hujus generis.

II. Probatur de libris Historicis Veteris Testamenti. Synagoga Judæorum omni tempore venerata est libros historicos Veteris Testamenti, ut authoritatis divinæ libros: ergo tales revera sunt. Probatur antecedens. Libri Historici Veteris Testamenti tunc primum relati erant in Judæorum Canonem, & ad præsens ubique Gentium Judæi illos habent pro Canonicis. Consequentia etiam prioris argumenti probatur; quia ante Christi adventum Synagoga Judæorum erat vera Dei Ecclesia; proindeque infallibilis omnino in fidei controversiis dirimendis. Christus autem non solum Judæos non arguebat, quod historicis libris divinam tribuerent authoritatem, sed sæpe etiam illorum testimonio utebatur.

III. Probatur de libris Propheticis. Libri Prophetici divinæ dici debent authoritatis, si quæ prædixerunt, adimpleta sunt; sed quæcunque prædixerunt, etiam quæ ex hominum arbitrio pendebant, adimpleta omnino fuerunt: ergo &c. Minor probatur exemplis; scilicet de Regno Tribus Juda Genes. 49., de septuaginta annorum captivitate, de Regis Cyri nomine, & benevolentia in Judæos, quos liberaret, Isaiæ 45. Quæ omnia videnda sunt apud Augustinum lib. 12. de Civit. Dei cap. 10. & lib. 13. contra Faustum cap. 12. & in epist. 14. apud Origenem cap. 1. lib. 4. Periarcon; apud Gregorium Magnum homil. 1. de Adventu.

IV. Probatur de libris Sapientialibus; tum quia Libri hujusmodi in Judæorum Canone continebantur, ac proinde illos pro divinis Synagoga habebat, & Christus etiam illorum testimonio aliquando usus est; tum etiam, quia continent morum regulas, quæ rectissimæ, ac purissimæ sunt, & hominem a terrenis retrahunt, ut divinis se totum det, & Deo perfecte uniatur.

Secunda Conclusionis pars, quæ est de libris novi Testamenti, probatur I. Libri novi Testamenti scripti fuerunt ab illis, qui missi fuerant a Deo ad Evangelium per

per universum Orbem disseminandum; sed isti nec decipi, nec decipere poterant: ergo scripserunt libros divinæ authoritatis, & omnino infallibiles. Minor patet; quia alioquin Deus non bene consuluisset sanctitati, & veritati, quibus Ecclesiam suam ædificare, ac propagare intendebat. Major vero probatur. Illi fuerunt a Deo missi, qui missionem suam veris miraculis comprobarunt; Sic fuerunt Apostoli, cæterique viri Apostolici: ergo &c. Minor constat apud omnes antiquos Patres, scilicet Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Iustinum, Athanagoram, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, qui Apostolorum, & Apostolicorum hominum miracula laudant.

II. Probatur. Novi Testamenti Libri non sunt supposititii: ergo sunt veri, & legitimi partus: ergo sunt divinæ authoritatis, & infallibiles. Probatur antecedens. Facta, quæ continent, vel sunt vera, vel falsa; si vera: ergo non sunt supposititii; si falsa: ergo decepti fuerunt tot Sapientes priorum sæculorum, qui illa crediderunt, & qui facillime potuissent illorum falsitatem detegere: ergo homines illi, quos Deus destinavit Ecclesiæ suæ fundatores, deceptores, & impostores fuerunt: ergo totus mundus insaniit, quando pro illorum factorum veritate libentissime vitam cum morte commutavit. Quis tot absurda devorabit?

Dicimus III. Deum fuisse principalem librorum, qui in Sacris Bibliis continentur, Authorem, homines vero caussam fuisse instrumentalem.

Prima Conclusionis pars probatur I. Ex probatis Sacri Scripturarum libri sunt divinæ authoritatis; sed non essent divinæ authoritatis, si Author principalis ipsorum non fuisset Deus: ergo Deus fuit author principalis ipsorum. II. 2. Petri cap. 1. dicitur: *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, loquuti sunt Sancti Dei homines.* III. Gregorius Magnus præfat. in librum Job: *Qui hæc scribendo dictavit, ipse scripsit, qui & illius operis inspirator exstitit.* IV. Quando Sacri Scriptores Sacra Biblia exarabant, non alius, quam Deus poterat illorum mentem, voluntatem, & manum movere; & quidem perfectius quam homines, qui Scribis dictant: ergo Deus fuit principalis Sacrorum librorum author. Probatur antecedens. Deus afficiebat mentem Sacrorum Scriptorum, tribuendo illis cognitionem earum rerum, quas dictabat, vel immediate eam menti imprimendo, vel mediate per sensus. Ulterius movebat voluntatem, inspirando nimirum, excitando, impellendo, ut vellent fideliter scribere, quæ menti revelabantur. Denique movebat manum ne exararet rem pro re, verbum pro verbo, literam pro litera; sed hæc omnia facere non poterat nisi solus Deus: ergo &c.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Ad scribendos Sacros Libros Deus hominum opera usus est: ergo homines fuerunt instrumentalis caussa. II. Instrumentum hoc debebat esse liberum: ergo homines fuerunt. Antecedens probatur ab Origene lib. 3. Periarcon cap. 2. pluribus rationibus, quarum præcipuæ hæ sunt; quia Deus utitur hominibus, ut instrumentis modo convenienti ipsorum naturæ; sed libertas ingreditur hominum naturam: ergo &c. Ulterius, quia facilitas sacrorum Scriptorum in scribendo denotat summam cognitionem illarum rerum, quas scripto mandabant; sed hæc non importat in voluntate necessitatem: ergo &c. Denique, quia efficax auxilium, quo adjuvabat Scriptores Spiritus Sanctus cum voluntatis libertate cohærebat, ut suo loco videbitur.

Opponunt I. Si Deus fuisset sacrorum Librorum principalis author, sacri Scriptores non scripsissent aliquid secundum hominem, quæ minus sunt certa. II. Si Deus principalis author fuisset, non fuissent scripta quædam, quæ Dei majestatem non decent; uti est illud Tobiæ 11. de cane Tobiæ, qui caudam movebat, & illud 2. ad Timoth. 4. de penula, quam Paulus scribit se reliquisse Troadæ. III. Si Moyses fuisset liber in scribendo, non scripsisset de seipso elogium hoc: *Erat enim Moyses vir mitissimus.* IV. Moyses vir rudis erat, & imperitus, adeoque non poterat a Deo assumi & adhiberi ad res tam sublimes scribendas.

Respondemus ad I. quod ille fuit error Anomæorum, qui legitur apud Epiphanium hæresi 76., & quem Erasmus annotat. 2. in cap. 2. Matthæi suscitavit. Cæterum Catholica veritas est, quod si licite possumus dubitare de aliquo, vel minimo, quod sit in Scripturis, an scriptum sit Spiritu Sancto dictante, sequeretur; quod nullum esset in Scriptura caput, de quo pariter licite dubitare non possemus; unde, ut docet Augustinus lib. 1. de doctrina Christ. cap. 37. *Tota Scri-*

Scripturarum vacillaret authoritas, ideoque & fides nostra.

Ad II. Dicitur, res illas nec Dei bonitate, nec Dei majestate esse indignas, & propter conjunctionem, quam cum rebus majoribus habent, & propter utilitatem, quam præseferunt: multoties enim talea sunt circumstantiæ, etsi minimæ, ut per ipsas facta ipsa certiora reddantur.

Ad III. Subditur, quod si Moysea elogium illud scripsit de seipso, vel fecit ob peculiarem Spiritus Sancti afflatum, vel ob Dei mandatum, qui ipsi præcepit. Cohærent autem optime cum Moysia in scribendo libertate, & Spiritua Sancti afflatus, & Dei præceptum.

Ad IV. Negatur absolute, quod dicitur; etenim Augustinus lib. 18. de Civitate cap. 37. de Moyse dicit: *Verum quod fatendum est, non quidem in Græcia, sed in Barbaris Gentibus, sicut in Ægypto, jam fuerat ante Mosen nonnulla doctrina, quæ illorum sapientia diceretur; alioqui non scriptum esset in Libris sanctis: Mosen eruditum fuisse in omni sapientia.* Augustino Cassiodorus adhæret Institut. divinarum lectionum cap. 27. *Hoc etiam ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecit, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit in omni sapientia Ægyptiorum.*

DISSERTAT. CCLXXVIII.

De Canone Scripturarum. Quot libros complectebatur Canon Judæorum? Et quisnam ejus Author fuerit? Quinam libri fuerint, & modo sint, in Canone Catholicorum? An fuerit Canon Scripturarum, quem Hæretici confixerunt?

ACcipimus hic Canonem non pro regula, quæ in opere aliquo exigitur, ut ipsum dirigat; in qua acceptione Canones dicuntur regulæ Ecclesiæ, vel Sanctiones; sed pro numero vel catalogo hominum, vel rerum, de quibua agitur; & in hac acceptione in Concilio Laodiceno cap. 4. Catalogus Clericorum Canon Clericorum dicebatur. In utraque acceptione Scripturæ dici possunt Canonicæ, & quia sunt regulæ Ecclesiæ ad discernendum ea, quæ credere debemua; & quia continentur in Catalogo, quem pro iisdem numerandis Ecclesia conficit. Unde Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 6. scribebat, *Afferamus divinam stateram de Scripturis Sanctis, tanquam de thesauris Dominicis.* Et lib. 5. contra Cresconium cap. 31. *Salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum, & Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, & secundum quos de cæteris, vel fidelium, vel infidelium libris, libere judicamus.*

Pro Canone Judæorum tres sunt sententiæ; quarum una viginti duos libros ponit; & hæc est Josephi Hebræi lib. 1. contra Appionem: altera ponit viginti quatuor; & hæc est Melitonis Sardeosis apud Eusebium lib. 4 Historiæ cap. 26., tertia denique ponit viginti septem; & hæc est Epiphanii hæresi 8 Insuper apud Judæos olim plures erant libri, quam nunc sint in Canone eorum, & Josephi temporibus essent; quos quidem libros sic recenset & numerat Juenines verbis hisce, „
„ Scripturæ recensent libros, qui jam non
„ sunt in Canone Judæorum: ii autem vi-
„ ginti numerantur. Primua liber *Bellorum*
„ *Domini*, Num. 21., secundua liber *Justo-*
„ *rum*, seu liber *Recti*. Josue cap 10., tertius
„ liber *Verborum*, seu rerum gestarum Salo-
„ monis 3. Reg. cap. 11., quartus liber
„ *Verborum Regum Israel*, 3. Reg. cap. 14.,
„ quintus liber *Verborum Regum Juda*, ibi-
„ dem; sextus *Samuelis libri*, 1 Paralipom.
„ cap. ultimo; septimua alius quidam *Sa-*
„ *muelis* liber, 1. Regum cap. 10., octavus
„ *Nathani*, 1. Paralip. cap. 29., nonus *Gad*
„ *Pro-*

„ *Propheta*, ibidem; decimus *Abia Propheta*, „ 3.Regum cap.5., undecimus *Addonis Propheta*, 2. Paralipom.cap.9., duodecimus „ *Jehu Propheta*, 2.Paralip.cap.20., decimus „ tertius *Chozai Propheta* 2.Paralip.cap.33., „ decimus quartus *Salomonis tria millia Parabolarum*, 3. Reg. cap.4., decimus quintus *Salomonis Cantica quinquies mille*, ibidem ex Textu Græco septuaginta, & ex „ Vulgata Editione, sed ex Latina ad Textum Hebræorum correcta, *Cantica quinque supra mille*; decimus sextus *Salomonis physica*, ibidem; decimus septimus liber „ *Enoch*, ut ex Judæ Epistola collegit S.Augustinus lib.15. de Civitate cap.23., decimus octavus Epistola *Eliæ Prophetæ*, 2. „ Paralipom. cap. 21., decimus nonus *Jeremiæ descriptiones*, 2. Mach. 2., vigesimus „ *Joannis Hircani liber dierum*, 1. Macb.cap. „ ult. Libris, quos ex Scriptura bactenus „ recensuimus, addi possent, 1. liber *Eldal*, „ *& Medad*, apud Athanasium in Synopsi „ 2. In eadem Synopsi, ultra centum & „ quinquaginta Psalmos *Psalmus unus*, qui „ legitur in Græcis exemplaribus, & in „ Græcorum horologio 3. In eadem Synopsi, pluribusque aliis Authoribus, *Testamentum Moysis* reperitur.„

Pro Authore autem hujus Canonis aliqui dicunt, primum fuisse Esdram, & in hoc volunt, non omnes libros descriptos fuisse; postquem dicunt, alium fuisse Canonem factum a Concilio Synagogæ; de tempore autem variant; sunt enim qui dicunt hoc factum fuisse quando ad Regem Ptolomæum sacri Codices,& septuaginta Interpretes missi sunt; alii vero volunt fuisse factum, quando inter Pharisæos, & Sadducæos controversia exorta est. Alii vero magis communiter volunt, unum tantum fuisse Judæorum Canonis Authorem, & hunc fuisse Esdram. Ante Esdram, subdunt, erant quidem apud Iudæos sacri libri, qui fuerant ante ipsum scripti, sed nondum fuerant redacti ex ordine in Catalogum unum, vel Canonem. Circa vero sensum, quo Esdras dicatur Iudaici Canonis Author duplex est sententia: una est illorum, qui docent, quod universa Scriptura Sacra Babylonicæ Captivitatis tempore in Urbis excidio, & Templi incendio periit: unde illam Esdras sine ullo exemplari, & sola Spiritus Sancti inspiratione, per quadraginta dies quinque viris dictavit. Et horum fundamentum est, quod legitur in cap.14.libri 4. Esdræ, ubi eorum sententia expresse asseritur. Alii vero rectius, & communius pro secunda sententia docent, quod non omnia scripturarum exemplaria in Templo, quando a Chaldæis combustum est, inveniebantur; ac proinde non omnia perierunt. Esdras vero Scriba doctus contulit inter se exemplaria, errata, quæ per Scribarum inscitiam, aut incuriam, irrepserant, correxit; & in unum corpus per ordinem redegit. Et hæc quidem sententia vera est; tum quia authoritas libri 4. Esdræ non valet, quia non est Canonicus; tum etiam quia incredibile videtur, ut omnia Sacrorum Librorum exemplaria in Templo invenirentur, & nullum esset, vel apud Judæos, vel saltem apud Judæorum Sacerdotes. Neutiquam tamen credendum est, quod Canon ille, quem Esdras confecit, ab ipsomet authoritatem suam habuerit; sed habuit potius a Synagoga Judæorum, quæ tunc temporis vera Ecclesia erat,& authoritatem hanc habebat; unde Esdræ Canonem probavit; quod & Patres affirmant, & Rabbini ipsi non diffitentur. Denique quæri potest, an libri, qui in Canone Iudæorum non inveniuntur, fuerint aliquando Cannnici apud Iudæos? Et de hoc quatuor sunt sententiæ, quarum prima est Origenis, qui præfat. in Cantica de hoc dubitat: Secunda est Ioannis Drusii, qui epist. 101. vult fuisse Sacros, sed non Canonicos: Tertia est Serarii, qui asserit, nonnullos fuisse Canonicos, sed non omnes: Quarta est Augustini, docentis, quod non fuerunt nec Sacri, nec Canonici, ut legere est apud ipsum lib. 18. de Civit. Dei cap.38.

Dicimus I. Iudæorum Canonem viginti duos libros tantum comprehendisse, nec plures, nec pauciores.

I. Probatur. Ioseph Hebræus Sacerdos erat inter Iudæos, adeoque scire optime poterat, quinam essent libri Canonici in Gentis suæ Synagoga: sed Ioseph Hebræus, ut diximus, lib.1. contra Appionem apertis verbis dicit, viginti duos libros in Iudæorum Canone fuisse comprehensos: nec plures, nec pauciores: ergo dicendum est, nec plures, nec pauciores, quam viginti duos libros, Iudæorum Canonem comprehendisse.

II. Probatur. Tot fuerunt in Iudæorum Canone sacri libri comprehensi, quot vetus Christiana Ecclesia recensebat; sed Ecclesia vetus Christiana nec plures, nec pauciores, quam viginti duos recensebat: ergo Iudæorum Canon nec plures, nec pauciores, quam viginti duos Sacros Libros

bros comprehendebat. Major est certa, quia vetus christiana Ecclesia in sacris libris recensendis Iudæorum Canonem sequebatur. Minor probatur authoritate Origenis apud Eusebium lib. 6. historiæ cap. 23. Authoris Synopsis, quæ Athanasio tribuitur, Epiphanii lib. 1. hæresi 8. Hilarii præfat. in psalmos, Hieronymi in Prologo galeato, qui omnes testantur, apud Iudæos viginti duos tantum libros extare, & hos tantum Ecclesiam Catholicam recepisse.

III. Probatur. Si aliquid Conclusioni nostræ obstaret, maxime esset sententia illorum, qui dicunt fuisse vel viginti quatuor, vel viginti septem; sed hæ sententiæ in substantia non differunt ab illa Iosephi, quam nos sequimur, at tantum in numerandi modo: ergo nihil obstat sententiæ nostræ &c. Minor probatur. Enumeratione, quam in particulari de libris hisce facit Iuenınus his verbis: „ Qui cum Iosepho sentiunt, seu qui viginti tantum duos Veteris Testamenti libros numerant, ponunt, primo libros Moysis quinque, secundo Prophetarum libros octo, nimirum, Iosue, Iudices cum Ruth, tertio Samuelis duos velut unum, idest tertium, & quartum, quinto Isaiam, sexto Ieremiam cum Threnis, septimo Ezechielem, octavo librum unum duodecim minorum Prophetarum, nono Hagiographos libros novem, scilicet, Iob, David, Proverbia, Ecclesiastem, Canticum Canticorum, Danielem, Paralipomena, Esdræ duos, ut unum, & Estherem. Qui autem viginti quatuor constituunt, avellunt Ruth a libro Iudicum, & Threnos a Ieremia; sicque duos libellos adjungunt duobus viginti superioribus. Qui vero viginti septem recensent, tripliciter id agunt. Nam primo S. Epiphanius lib. de pond. & mens. ex Psalterio libros quinque constituit, & adjungit Threnos, & epistolam Baruch; Secundo duobus & viginti supra numeratis addit Ruth, libros duos Regum, 1. unum ex Paralipomenis, ex Esdra unum; Tertio idem S. Pater hæresi 8. suis cum numeris omnes Veteris Testamenti libros recenset: *Quinque Moysis, sextus Josue, septimus Judices, octavus Ruth, nonus Job, decimus Psalterium, undecimus Proverbia, duodecimus Ecclesiastes, decimus tertius Canticum, decimus quartus Regum primus, decimus quintus, decimus sextus, decimus septimus, Regum secundus, tertius, quartus, decimus octavus Paralipomenon primus, decimus nonus Paralipomenon secundus, vigesimus Isaias, vigesimus primus duodecim Propheta minores, vigesimus secundus Jeremias, vigesimus tertius Ezechiel, vigesimus quartus Daniel, vigesimus quintus Esdra primus, vigesimus sextus Esdræ secundus, vigesimus septimus Esther*; hactenus Epiphanius. „

Dicimus II. Iudæorum Canonis Authorem fuisse Esdram.

I. Probatur. Antiquiores Ecclesiæ Patres aperte dixerunt, Esdram fuisse: ergo & nos dicere debemus. Probatur antecedens. Ita dixerunt Tertullianus lib. de habitu mulierum, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum Irenęus lib. 3. cap. 25. Chrysostomus homil. 8. in epist. ad Hebręos, Hilarius, & Theodoretus pręfat. in psalmos &c.

II. Probatur. Esdras ex pręfatis Patribus sacros libros ordinavit, & in unum corpus redegit; sed ille dicendus est Iudęorum Canonis author, qui sacros libros ordinavit, & in unum corpus redegit: ergo Esdras fuit Iudęorum Canonis author.

III. Probatur. Si aliquid obstaret quominus Esdras Iudęorum Canonis Author diceretur, maxime esset, quia sacri libri Sapientię, Ecclesiastici, & duo Machabęorum, non fuerunt ab Esdra in Canone conscripti; sed hoc nihil obstat: ergo &c. Probatur minor. Quando Esdras Iudęorum Canonem contexuit, libri illi nondum erant scripti; & idem judicium fieri debet de libris Tobię, & Iudith, quos, ait Honoratus Tournely, incertum est scriptos fuisse ante Esdram. Hęc pręfati Authoris sunt verba: „ Illos igitur libros, vel græce primum scriptos, vel græce redditos, a Judæis Hellenistis Septuaginta Interpretum collectioni additos, & tanquam Canonicos in Synagogis lectos publice fuisse contendunt. Inde apud Christianos jugi traditione promanarunt, a quibus etiam in publicis suis conventibus legebantur, quanquam ab aliquibus Ecclesiis, quibus illa traditio perspecta non erat, pro Canonicis non admitterentur. Respondeo igitur 2. libros illos in se ipsis, & origine sua, Canonicos re ipsa fuisse: & quanquam ab omnibus, ut tales admissi semper non fuerint, nihilominus ab Ecclesia Catholica tanquam vere Canonici declarati fuere: non quidem ex nova revelatione, sed ex antiqua, & constanti, quam deprehendit, illustrium ac longe plurium Ecclesiarum traditio. „

Dicimus III. Prioribus seculis Catholicorum Canonem comprehendisse aliquos libros.

libros, aliquos vero non comprehendisse, tum ex illis veteris, tum ex illis novi Testamenti; modo vero comprehendere illos omnes, qui a Tridentino Concilio enumerantur. Tres habet partes conclusio.

Prima Conclusionis pars probatur, & explicatur. Canon librorum sacrorum veteris Testamenti hos libros antiquitus comprehendebat; nimirum quinque libros Pentateuchi Moysis, librum Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duos Esdræ & Nehemiæ duos, Job, Psalterium centum quinquaginta Psalmorum, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Prophetas majores quatuor, Prophetas minores duodecim. Insuper Canon Librorum novi Testamenti hos libros continebat; Evangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, Acta Apostolorum, omnes Pauli Epistolas, dempta illa, quæ est ad Hebræos, unam Epistolam Petri, & unam Joannis. Quod sic probatur. Enumerati libri quovis tempore agniti fuerunt ab Ecclesia Catholica divinæ authoritatis: ergo semper fuerunt in Catholicæ Ecclesiæ Canone comprehensi. Antecedens probatur I. ex Romanis Pontificibus, qui recensitos libros agnoverunt, & receperunt; nimirum Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium Tolosanum, Gelasius I. decreto de sacris libris. II. ex Conciliis. Concilium Laodicænum can. 59., Carthaginense III. Can. 47., Tridentinum sess. 2. III. ex Patribus, qui enumeratos libros uti divinos laudant. Origenes apud Eusebium lib. 6. historiæ cap. 18., Eusebius lib. 3. historiæ cap. 25., Athanasius in synopsi, vel quis quis alius illius est author, Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 4 Hieronymus in Prologo Galeato, & ad Rufinum in explicat. Symboli, Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 8. Hilarius præfat. in psalmos.

Secunda Conclusionis pars probatur, enumerando libros, tum veteris, tum novi Testamenti, qui in omnium Ecclesiarum Canone non semper fuerunt; Et sunt ex veteri Testamento Esther, Baruch, Danielis pars, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæorum primus, & secundus: Ex novo Testamento vero partes quædam Evangelii Marci, Lucæ, & Joannis, Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, ultima Epistola Petri, primæ Joannis particula, secunda, & tertia Joannis, epistola Judæ, & Apocalypsis. Et probatur. De horum librorum authoritate aliqui Patres, & nonnullæ Ecclesiæ, dubitarunt: ergo illos Catholicæ Ecclesiæ Canon antiquitus non comprehendebat. Antecedens probatur enumeratione. Librum Esther rejecerunt ex Canone Melito Sardensis apud Eusebium lib. 4. histor. cap. 26. Athanasius in synopsi; si ejus est fœtus, Nazianzenus in suo Carmine de genuinis scripturis; & quoad septem ultima capita rejecit etiam Hieronymus in præfatione ad eundem librum, cui ante Tridentinum subscribebant Lyranus, Carthusianus, Cardinalis Cajetanus in commentariis ad eundem librum. Librum Baruch Hieronymus non habuit pro Canonico. Libro Danielis authoritatem adimunt Judæi, quibus Hieronymus subscribere videtur. Hymnū trium Puerorum, Susannæ, & Draconis historiam, Libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Machabæorum, idem Hieronymus non ponit in Canone. Ex Evangeliis dubitatum est, de capite ultimo Marci, de sudore Christi sanguineo, de historia Adulteræ, de verbis illis primæ Epistolæ Joannis cap. ultimo: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*; dubitavit etiam Hieronymus cum quibusdam aliis. De epistola Pauli ad Hebræos, de illa Jacobi, de ultima Petri, de secunda, & tertia Joannis, & de illa Judæ; dubitatum est etiam antiquitus, ut videre est apud Hieronymum. De Apocalypsi Joannis, Hieronymo etiam teste, ex veteribus Græcis plures quoque dubitarunt.

Tertia Conclusionis pars probatur ex Concilio Tridentino sess. 4., ubi sequentes sacri libri, tum veteris, tum novi Testamenti, enumerantur verbis hisce: „ Sacrorum vero librorum indicem huic de-
„ creto adscribendum censuit ..... Sunt
„ vero infrascripti, Testamenti veteris,
„ quinque Moysis, idest, Genesis, Exodus,
„ Leviticus, Numeri, Deuteronomium,
„ Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum,
„ duo Paralipomenon, Esdræ primus, &
„ secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias,
„ Judith, Esther, Job, Psalterium Davidi-
„ cum centum quinquaginta Psalmorum,
„ Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canti-
„ corum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias,
„ Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel,
„ duodecim Prophetæ Minores, id est,
„ Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Mi-
„ chæas, Nahum, Abacuch, Sophonias,

„ Ag-

„ Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus, & secundus: Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum „ Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, „ Actus Apostolorum a Luca Evangelista „ conscripti, quatuordecim Epistolæ Pauli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad „ Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad „ Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ „ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, „ Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli „ una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis „ Joannis Apostoli. „ In definitione autem hæc habet: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non susceperit, anathema sit.*

II. Probatur, quia ante Concilium Tridentinum iidem sacri libri, in Tridentino Canone expressi, legebantur etiam enumerati in Epistola Innocentii Papæ ad Exuperium Tolosanum anno 400; in Concilio Carthaginensi IV. anno 419. celebrato, & cui Augustinus interfuit; In Decreto Gelasii, quod fuit editum Romæ in Concilio septuaginta Episcoporum; in Epistola Augustini 235.

III. Probatur, quia omnes hi libri Apostolorum tempore pro Canonicis fuerunt habiti, quum Apostolis fuerit persuasum omnino, hos libros fuisse divinitus scriptos, ac proinde divinæ authoritatis esse. Aliter nec Pontifices, nec Concilia, potuissent illos in Canonem referre, quia Ecclesia non potest proponere Fidelibus credendum id, quod non fuit Apostolis revelatum: Unde omnium articulorum revelationes Apostolis factæ creditæ sunt semper a Fidelibus, & modo creduntur, & post eorum tempora novæ aliquæ non sunt factæ.

Dicimus IV. Multos antiquitus Scripturarum Canones Hæreticos conscripsisse, & modo etiam retinere.

I. Probatur de Hæreticis antiquis, quia Simoniani, Basilidiani, & Marcionitæ, omnes veteris Testamenti libros respuebant; Alii repudiabant librum Ecclesiastes; alii apud Augustinum hæresi 30. recipiebant Evangelium Matthæi, Marci, & Lucæ, sed non admittebant Joannem; Ebion solum Matthæi Evangelium concedebat; Cerinthus solum Marci Evangelium; Marcion solum Lucæ, sed mutilum, & corruptum; Cerinthus etiam, Cerdo, Tatianus, & Manichæi, Actorum librum repudiabant; Marcion respuebat Epistolas Pauli ad Titum, & Timotheum, & illam etiam ad Philemonem.

II. Probatur de Hæreticis recentioribus. Lutherus, Chemnitius, & Calvinus, noluerunt recipere veteris Testamenti libros, qui in antiquo Judæorum Canone non inveniebantur; nimirum Baruch, Tobiam, Judith, Ecclesiasticum, Sapientiam, & duos Machabæorum libros. Lutherus & Chemnitius rejecerunt Epistolam Pauli ad Hebræos, quibus Calvinus adhæsit. Insuper Lutherus, & Magdeburgenses, deleverunt Epistolas Jacobi, Judæ, secundam Petri, & secundam, & tertiam Joannis. Calvinus vero illas recepit. Denique Lutherus, & Chemnitius respuerunt Apocalypsim, quam Centuriatores, & Calvinus, receperunt.

Arguunt I. Patres a nobis laudati non ponunt in Canone librum Baruch, qui tamen in Tridentino Canone invenitur. II. Concilium Tridentinū non poterat in Canonem referre sacros libros per revelationem, quia post Apostolorum tempora non admittuntur novæ revelationes in iis, quæ ad fidem spectant. III. Neque poterat Concilium Tridentinum libros illos referre in Canonem per traditionem, quia traditio erat contraria, quum non omnes libri a Tridentino in Canonem relati, a quavis Ecclesia, & ab omnibus Patribus, fuerint pro Canonicis habiti. IV. Concilium Tridentinum posuit in Canone libros, quos Hieronymus, & Athanasius pro Canonicis non habuerunt; nimirum libros Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, & duos Machabæorum. V. Concilio Tridentino opponitur Concilium Laodicænum, quod librorum Canonicorum Catalogum formans, modo dictos libros non enumerat. VI. Theologi distinguunt sacros libros in Proto-canonicos & in Deutero-canonicos; isti sunt, de quibus nunquam fuit in Ecclesia dubitatio; hi vero, de quibus aliquando fuit in Ecclesiis dubitatum: ergo ipsimet Theologi fatentur, a Tridentino redactos fuisse in Canonem sacros libros, quibus universalis traditio non favebat. VII. Trullana Synodus probat octoginta quinque capita Canonum Apostolorum; sed cap. 84. non numerantur inter Canonicos libros Tobia, Judith, & Ecclesiasticus: ergo &c. VIII. Synagoga, quum tunc temporis esset vera Ecclesia, errare non poterat in sacrorum librorum Canone recensendo: ergo non poterat Con-

cilium Tridentinum in Canonem referre libros sacros, qui in Judæorum Canone non comprehendebantur. IX. Plurimi docti, ac pii viri, post Pontificum & Conciliorum Canonem, aliquos sacros libros pro Canonicis non habuerunt: ergo non habuerunt pro hoc infallibiles Ecclesiæ definitiones. Antecedens Adversarii probant apud Melchiorem Canum: „ Nam Glossa in proœmium Hieronymi „ super omnes divinæ Scripturæ libros, „ Joannes item Driedo 1. lib. de Eccle- „ siasticis dogmatibus, negant Baruch esse „ Canonicum. At Nicolaus Liranus super „ Esdram cap. 1. & super Tobiam, Abulen- „ sis super Matthæum cap. 1. D. Antoni- „ nus 3. part. tit. 18. Cajetanus cum in aliis „ locis, tum maxime in fine Commentario- „ rum super libros historicos veteris Testa- „ menti, alios etiam sex sacros esse infi- „ ciantur. Quos omnes si daremus a fidei „ definitione exorbitasse, non in ipsos mo- „ do, verum in reliquos etiam fideles esse- „ mus contumeliosi: ut in quibus zelus „ Christi ita obdormierit, ut nullus contra „ præscriptos Authores proclamaverit. „ Quod certe, ut nullum esset aliud, satis „ magnum argumentum est, cur eos libros „ non esse canonicos confiteamur „. X. Gelasius Papa rejecit librum secundum Machabæorum; & Gregorius Magnus lib. 1. moralium 19. rejecit ambos: ergo vel Concilia Pontificibus, vel Conciliis Pontifices, repugnant.

Respondemus ad I. quod laudati Patres in Jeremia cumprehenderunt librum Baruch, qui immediate Jeremiæ prophetiam sequitur. Et hoc pro comperto est apud omnes Sacræ Scripturæ Interpretes, ac Tractatores, ut apud ipsos videre quilibet poterit.

Ad II. Concilium Tridentinum sequutum est revelationem, non tunc temporis Ecclesiæ factam, sed factam Apostolis, qui fuerunt Ecclesiæ doctores, & Magistri. Cæterum quoque sequutum est Spiritus Sancti adsistentiam, quam Ecclesiæ suæ promisit Christus, quando de fide & moribus ad Fideles docendos definire debuisset.

Ad III. Quod aliquæ Ecclesiæ de quibusdam libris Canonicis dubitaverint, hoc provenit, quia Ecclesiis illis nondum satis perspecta fuerit tunc temporis, & eo in casu, Apostolorum, ac primitivæ Ecclesiæ sententia, quæ perspecta erat aliis, & præcipue Ecclesiæ Romanæ, quæ semper fuit antiquæ traditionis custos integerrima, ac fidelissima.

Ad IV. Duplex est responsio, & utraque refertur a Juenino verbis hisce: „ Nonnulli respondent, Ecclesiam Christianam „ prioris seculi pro canonicis accepisse ab „ ipsis Judæis libros, de quibus est hic con- „ troversia: erant nimirum in Bibliis Ju- „ dæorum Alexandrinorum, & omnium „ Hellenistarum, seu græce loquentium; in „ pretio pariter erant apud Judæos He- „ bræos, seu hebraice, aut syriace loquen- „ tes; ubi enim Josephus lib. 1. contra Ap- „ pionem, asseruit esse apud Judæos viginti duos libros divinos, de aliis addidit, „ eos non simili fide dignos esse, propter „ minus accuratam Prophetarum successionem: Ideo vero Josephus ait illos li- „ bros non simili cum prioribus fide di- „ gnos esse, quod in priorem Scripturarum „ Canonem ab Esdra conditum, relati non „ essent, sed in posteriorem editum post „ Alexandri Magni tempora, occasione „ Sadducæorum, qui nonnisi quinque li- „ bros Moysis admittebant. Respondent „ alii ad idem tertium argumentum, nec „ Hebræos, nec Hellenistas, habuisse *expli-* „ *cite* libros, de quibus agitur, pro Cano- „ nicis, sed tantum *implicite*, hoc est Syna- „ gogam nullum de eorum authoritate de- „ cretum tulisse, quod tamen postea tule- „ runt Apostoli ex peculiari Spiritus San- „ cti revelatione. Illud autem judicium re- „ vera ab Apostolis latum fuisse, Concilium „ Tridentinum, ad Augustini normam, de „ qua superius dictum est, collegit ex con- „ tinua seculorum omnium traditione. Illi „ responso favet Augustinus lib. 18. de Ci- „ vit. Dei cap. 36. *Libros*, inquit, *Machabæo-* „ *rum non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis ha-* „ *bet*. Sic etiam loquitur in speculo: *Non* „ *sunt omittendi, & hi libri, quos quidem ante* „ *Salvatoris adventum constat esse conscriptos;* „ *sed eos non receptos a Judæis, recipit tamen* „ *ejusdem Salvatoris Ecclesia*. „

Ad V. Librum Esther admiserunt pro Canonico recentiores Heterodoxi, & nihilominus plures ex antiquis judicarunt illum non esse recensendum in Canonem. Ratio autem omnium horum est, quia attendi non debet, quod peculiares Ecclesiæ observassent, sed quod tenuit, ac servavit Ecclesia, quæ est omnium Ecclesiarum magistra, ut paulo ante diximus, quæ est Romana. Unde bene sunt perpendenda quæ tradit Augustinus lib. 2. de doctrina christiana cap. 8. & facto nostro applicanda: *In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium*

rium authoritatem sequatur, inter quas sane illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores, minorisque authoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus, quanquam hoc facile invenire non possit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto.

Ad VI. Non per hoc, quod aliquando fuerit de aliquo dogmate dubitatum, si deinde evenerit, quod illud idem sit ab Ecclesia definitum, rite ac legitime poterit contra illius veritatem opponi, quod aliquando circa ipsum fuerit in Ecclesia dubitatio. Sat superque est ad illius veritatem firmandam, quod Ecclesia definierit, ac suum judicium de illius veritate protulerit. Et tunc dubitatio præcedens nullam illius certitudini inferet jacturam. Et hoc eo magis, quod dubitatio fuit in Ecclesiis, non in Ecclesia; in Ecclesiis scilicet peculiaribus, quæ specialem non habent Spiritus Sancti adsistentiam, non vero in Ecclesia universali, aut Romana, quæ universalis est caput, & quæ illam continet in virtute, adeoque in rebus fidei, & morum, quando Fideles docet ex cathedra, infallibilitatis privilegio potitur.

Ad VII. Hæc reponit Canus: „ Prius, ne quis ejusmodi argumento nos velit urgere, intelligat eodem cap. 84. tres Machabæorum libros inter canonicos supputari. Quod si Apostolorum hos octoginta quinque canones recipere cogimur: respondeant hic ipsi nobis, qui Machabæorum libros rejiciunt: sin autem (ne confiteantur, hos esse canonicos) testimonium hujus capituli contemnunt, jam profecto non est, cur pondere illius nos velint obruere. Sed hanc disputationem, ut diximus, in aliud tempus reservantes, quod ad præsentem locum satis est, alteram responsionem subjicimus: Clementem, qui eos Canones dispersos in unum volumen congregasse dicitur, non omnes libros Canonicos collegisse, quos Apostoli verbo tenus Ecclesiæ tradiderunt. Non enim aliunde vel Concilia, vel Patres, Apostolorum proximi, hos esse sacros, quam ab Apostolis didicerunt. Ait tamen Irenæus lib. 3. cap. 3., referturque ab Eusebio lib. 5. cap. 6. Clementem, quoniam cum Apostolis vitam semper egerit, atque ab Apostolis institutus fuerit, recentem gessisse traditionis eorum memoriam, & eorum formam in oculis semper habuisse. Ita si hæc responsio non placet, detur alia; non omnes illos canones a Clemente editos, sed nonnullos a Græcis adjectos esse. „ Vel cum Cherubino a S. Joseph, Carmelita discalceato in Summa Criticæ Sacræ tom. 4. disput. 6. art. 6. reponimus: „ Verum ut ab illo Canone Apostolorum incipiamus, sciendum est, quod (ut ex Liudano observare licet) canon hujusmodi fidem nullam meretur. In eo quippe fit de Joannis Evangelio mentio, quod omnes scriptum esse consentiunt, omnibus, aut fere omnibus, Apostolis ab hoc carcere solutis. Cum ergo ab his simul conditos hujusmodi canones pronuntient, neque ab aliquo collectos, sed ab eis promulgatos, eorum satis falsitas demonstratur. Sic Petrus can. 28. loquitur (*removeatur a communione, ut Simon Magus, a me Petro*) Petrus ergo illi interfuisse debuit congregationi, qui tamen sub Nerone pro Christo mortem oppetierat; quomodo tunc Joannis erat Evangelium, nonnisi sub Domitiano scriptum? Immo nec Clemens ipse illos Canones colligere potuit, cum enim tempore Vespasiani mortuus fuerit, ad tempora Trajani non pervenit. Postea autem Joannes ab exilio revocatus Evangelium scripsit, ut omnium est opinio. „

Ad VIII. Laudatus Canus hanc adhibet responsionem: „ Ut cum iis liberaliter agamus, donemusque eis Synagogam in fide errare non posse (quod tamen non perinde, ut de Ecclesia Catholica certum est) negamus hos libros a Synagoga esse rejectos. Aliud est enim non recipere, aliud vero rejicere. Judæi ergo intra suum Canonem hos quidem libros publica authoritate minime receperunt: tametsi nonnullos etiam ex eis, divinos & sacros esse crediderint. Qua de re vide Cochlæum in libello de canonicæ Scripturæ, & catholicæ Ecclesiæ auctoritate. „

Ad IX. S. Thomas 1. par. qu. 68. art. 1. & de potentia qu. 4. art. 1. docet, quod perniciosius est Ecclesiæ recipere pro sacris libros, qui tales non sunt, quam rejicere librum, qui alias est sacer. Quum igitur ex Concilio Toletano I. teneamur non habere pro libris Canonicis, qui Canonici non sunt: *Si quis dixerit, vel crediderit, alias scripturas, præter eas, quas Ecclesia catholica recipit, in authoritate habendas esse,*

vel venerandas : anathema sit : & ex alia parte Concilium Carthaginense, Laudicænum, Florentinum, Tridentinum, ac Summi Pontifices, Innocentius, & Gelasius, decreverint, qui libri sint sacri, & qui non sint; æque facile est in errorem incidere, recipiendo, vel non recipiendo. Utrobique tamen error esset materialis, hoc est sine advertentia ad Ecclesiæ determinationem, adeoque omnino excusandus.

Ad X. Dicitur cum Cano; quod Gelasius nomine libri primi Machabæorum, ambos intellexit, quod pariter fecit in Esdra, & cum eo quoque fecerunt Hieronymus, & Isidorus. De Gregorio vero Magno dicit Canus, „nec id modo in dubium vo-„ care licet, quod Divo Gregorio, Euse-„ bio, atque reliquis licuit aliquando dubi-„ tare. „

DISSERTAT. CCLXXIX.

De idiomate, quo scripti sunt libri Canonici. Quo idiomate scripti fuerint libri Canonici, tum veteris, tum novi testamenti? An sint textus genuini, & incorrupti? An ullum contineant erratum, aut mendum?

DICIMUS I., omnes libros Veteris Testamenti lingua hebraica fuisse scriptos, exceptis Daniele, Tobia, Judith, primo Machabæorum, qui chaldaico idiomate exarati fuerunt, & secundo pariter Machabæorum, qui græce fuit scriptus: libros vero novi Testamenti omnes fuisse græco idiomate compositos, si Matthæi Evangelium excipiatur, quod syriace exaratum fuit.

Prima Conclusionis pars probatur I., quia libri, de quibus loquimur, hebraice leguntur in Bibliis, quibus utebatur Judæorum Synagoga, & quibus etiam utitur modo; ergo evidens est signum, quod hebraice fuerunt scripti. II. Hieronymus in præfationibus, quas præmittit ad libros, de quibus est sermo, testatur libros hosce hebraico pariter idiomate fuisse exaratos. III. Idem Hieronymus in præfatione in libros Salomonis de libro Sapientiæ dicit: *Hebraicum reperi*. Et idem dixisse volunt de libro Ecclesiastici.

Secunda Conclusionis pars, de libris nimirum Danielis, Tobiæ, Judith, & de duobus Machabæorum, probatur sic. I. de illo Danielis ex eodem Hieronymo in præfatione ad eundem Danielis librum: *Danielem Prophetam juxta septuaginta Interpretes, Domini Salvatoris Ecclesiæ non legunt, utentes Theodotionis editione; & hoc cur acciderit, nescio. Sive enim, quia sermo chaldaicus est, & quibusdam proprietatibus a nostro eloquio discrepat, voluerunt septuaginta Interpretes easdem linguæ litteras in translatione servare, sive sub nomine eorum ab alio nescio, quo non satis chaldæam linguam sciente, editus est liber; sive quid aliud causæ extiterit, ignorans*. Idem Hieronymus de libro Tobiæ in præfatione in Tobiam scribit: *Mirari non desino exactionis vestræ instantiam, exigitis enim, ut librum chaldæo sermone conscriptum, ad latinum stylum traham*. Idem Hieronymus in præfatione in librum Judith de hoc eodem libro inquit: *Chaldaico tamen sermone conscriptus, inter historias computatur*. De libris demum Machabæorum in Prologo Galeato idem Hieronymus habet: *Machabæorum primum librum, hebraicum reperi: Secundus græcus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest*.

Tertia Conclusionis pars probatur, de libris scilicet novi Testamenti, authoritate pariter Hieronymi in præfatione in Evangelia ad Damasum: *De novo nunc loquor Testamento, quod græcum esse, non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi hebraicis literis edidit*; in quibus verbis nihil omnino obstat, quod Hieronymus dicat, *hebraicis literis*; quia tunc temporis in usu erat apud Hebræos lingua syriaca, & hæc erat lingua vernacula Hebræorum tempore Christi. Quæ quidem lingua syriaca ortum habuit in Babylonica captivitate, quæ quadraginta annorum spatio perduravit,

ravit, ut alibi a nobis dictum est. Tunc enim ex miscela hebraicæ linguæ puræ, & chaldaicæ, enata est tertia lingua, quæ est syriaca, & in communi usu loquendi adhibita fuit; ita ut apud Populares hebraica, & chaldaica linguæ deperderentur, solis exceptis illis, qui eas addiscebant, & apud omnes de vulgo homines sola syriaca lingua adhiberetur. Quemadmodum accidit, quando ex miscela latinæ linguæ cum barbara, enatæ sunt tres aliæ linguæ, quæ dicuntur vulgares, & vernaculæ; nimirum Itala, Gallica, & Hispanica, & latina lingua deperdita omnino fuit, quia solum eam callent, qui illam a Præceptoribus discunt. Ipsemet Hieronymus comprobat, quod dicimus de lingua hebraice, & syriaca; quia Joannis 19., quod erat scriptum Syriace, dicitur etiam scriptum hebraice: *Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum; hebraice autem Golgotha*; ut videre est apud Hieronymum in lib. de nominibus. Denique testatur Juenintr, nullum ad præsens Matthæi Evangelii Syriace scripti exemplar extare; ait enim: „Evanuit „ autem multis ab hinc seculis, Syriacum „ Matthæi Evangelium. „

Pro secunda autem Dissertationis parte opus est, ut primo loco recensamus Hæreticorum errores, & deinde Catholicorum opiniones, ut postmodum inter has sententiam, quæ magis Ecclesiæ menti conformis videbitur, seligamus.

Primo Hæretici, nostrorum temporum præcipue, volunt Textum hebraicum & græcum esse illos omnino eosdem, quos Prophetæ & Apostoli exararunt. Ex hoc autem inferunt, quod illud omne, quod in latinis versionibus ab iis Textibus discrepat, ad fontes hebraicum & græcum emendari debeat.

Secundo ex Catholicis quidam afferunt, certū esse, quod Textus hebraicus & græcus sit ipsemet Prophetarum & Apostolorum Textus in illis omnibus, quæ respiciunt fidem & mores, non vero in illis, quæ ad fidem & mores non pertinent. Et ex hoc concludunt, quod non sit tutum Versiones ad Textum hebraicum & græcum hodiernum emendare.

Tertio ex Catholicis quoque quidam alii afferunt, certum non esse, quod in aliquibus etiam capitibus Textus hebraicus & græcus, qui in nostris Bibliis leguntur, sit ipsemet Prophetarum & Apostolorum Textus. Et ex hoc colligunt, quod Textus illi non sint authentici, adeoque nec sint apti ad dogmata fidei & morum probanda.

Dicimus II. Textus hebraicum & græcum, qui modo in nostris Bibliis leguntur, in iis, quæ respiciunt fidem & mores, esse omnino puros: non esse autem ita purum hebraicum Textum veteris Testamenti, ut nulla errata, nulla menda, etsi levis momenti, in eum irrepserint.

Primæ Conclusionis pars, quæ est Bellarmini de Verbo Dei lib. 2. cap. 2. probatur I. In superioribus probavimus, hebraicum & græcum Textus esse integros; sed integri non essent, si non essent puri in iis, quæ fidem & mores respiciunt: ergo Textus hebraicus & græcus in iis, quæ fidem & mores respiciunt, sunt omnino puri. Minor patet; quia hæc est integritas potissime, quæ in sacris libris attendenda est, quum ipsi sint regula perfectissima fidei & morum.

II. Probatur ex Hieronymo. Hic maximus Ecclesiæ Doctor in lib. adversus Helvidium, qui contrariæ assertionis primus author esse creditur, ut ait Canus, totus est, ut hunc Helvidii errorem radicitus evellat, atque disperdat. Idem Hieronymus in Epistola ad Marcellam fatetur, se aliqua emendasse in vulgata editione Evangeliorum latinorum, atque ad græcam originem revocasse; & quia hoc Adversariis suis occasionem dabat, ut eum obtrectarent, scribit: *Si displicet fontis unda purissimi, cænosos rivulos bibant, & diligentiam, qua avium sylvas, & concharum gurgites norunt, in scripturis legendis abjiciant*. Eadem habet in epist. ad Damasum, in epist. ad Vitalem, & in Commentariis supra Zachariam &c. Et si aliquando Hieronymus afferit recurrendum esse ad fontes, hoc non dicit quoad ea, quæ fidem & mores respiciunt, sed quoad alia. Cæterum Canus caussas assignat, propter quas hoc fecerit Hieronymus, & quæ modo non vigent: „ Duabus enim ex causis tunc erat ad fontes recurrendum. Una, quod non tam „ turbidi fontes erant, nec primariæ Scri„ pturarum scaturigines conturbatæ. Altera, quod tunc varietas latinorum Codi„ cum, & dissonantia magna erat. Nec „ tolli commode poterat, nisi ad exempla„ ria græca atque hebraica latina referren„ tur. Has vero causas fuisse Hieronymo, „ ut in eam sententiam induceretur, mani„ feste patet ex proœmio super quatuor „ Evangelia ad Damasum, & ex epistola ad „ Suniam & Fretellam. At modo cum

„ Exem-

„ Exemplarium Latinorum una apud omnes concordia sit, potius Græca varientur & per nostram latinam Editionem sunt limanda, atque in pristinam unitatem reducenda. Saniorisque consilii est, limpam aquam e lacunulis defæcatis, quam ex turbato fonte liquorem obscænum bibere „.

III. Probatur de libris novi Testamenti, firmis quidem & validis conjecturis; quarum prima est, quia Textus originalis græcus novi Testamenti in iis, quæ fidem, & mores respiciunt, Apostolorum tempore corrumpi non potuit. Apostoli enim vivebant, & depravationem, si quæ fuisset, cognovissent. Secunda, quia Textus originalis græcus ad proxime sequentia secula transmissus est omnino purus; primi enim Christiani de Apostolorum scriptis magnam curam habebant. Tertia, quia tempore Tertulliani extabant plura originalia librorum novi Testamenti, ut ipse testatur lib. de præscrip. Hæretic., & nihilominus ipse nullius meminit depravationis. Quarta, quia nostri Codices græci conveniunt cum illis, quos antiqui Patres citarunt, qui autographa facile videre potuerunt. Quinta, vel ea depravatio facta fuisset in Exemplaribus græcis ante octo Concilia Generalia, quæ in Oriente celebrata sunt, vel post illa; non ante, quia quum esset materia fidei & morum, sequeretur, quod Græci, & pariter Concilia Generalia, non habuissent veram regulam fidei & morum; quod non est dicendum: neque post; quia aliter in Conciliis Generalibus, quæ in Occidente celebrata fuerunt a Latinis simul & Græcis, depravationem illam Latini Græcis objecissent. Quod quum factum non fuerit, signum est manifestum, depravationem illam nullo modo fuisse factam.

Secunda Conclusionis pars probatur I. quia multa in Textu hebraico non leguntur, quæ tamen leguntur in versione septuaginta Interpretum, & in latina translatione, facta a Hieronymo ex Hebræo; utpote Exodi 2. non leguntur hæc verba: *Alium quoque genuit, & vocavit nomen ejus Eliezer, dicens: Deus Patris mei auxiliatus est mihi, & liberavit me di manu Pharaonis.*

II. Probatur enumerando errores, licet levis momenti, qui in Textu hebraico inveniuntur. Isaias 9. Hebræus legit: *Vocabit Admirabilis*; Versiones tamen omnes, immo & Patres, & ipse Scripturarum contextus legendum potius ostendunt: *Vocabitur*; & ex hoc inferenda sunt alia, quæ sequuntur verba: *Admirabilis, Deus, Fortis, Pater futuri seculi*; quæ quidem tribuuntur Filio, non autem æterno Patri, cui tribuenda essent, si legeretur: *Vocabis Admirabilis*. Alia errata inveniuntur quod Bellarminum, & Canum.

Objiciunt I. Augustinus lib. 2. de doctrina Christi. cap. 15. & lib. 18. de Civitate Dei, ducet in expositione Scripturarum ad fontes hebraicum & græcum esse recurrendum. II. Damasus Pontifex præcepit Hieronymo, ut novum Testamentum secundum Textum græcum redderet latinum, ut ipsemet Hieronymus testatur in præfatione ad Evangelia; non fecisset autem hoc Damasus, si non intellexisset a græco Textu esse petendam latini Codicis veritatem. III. Hieronymus sæpe arguit latinum veterem Interpretem, quia frequenter interpretando erravit. IV. Vetus latinus Interpres multa posuit, quæ in hebraico, vel greco Textu non inveniuntur; & proinde illa Hieronymus repudiavit; uti sunt historia Susannæ, narratio Bel draconis, ultimum caput Evangelii Marci, historia Adulteræ &c. V. In 1. epist. ad Corinth. cap. 15. ex latino Interprete dicitur: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: ex quibus verbis infertur, quod omnes moriemur; non enim resurgit nisi qui moritur; at non omnes morientur, quia homines, qui reperientur vivi in die Judicii, nulla interveniente morte, vivi judicabuntur. VI. Concilium Tridentinum loquens de authenticitate sacrarum Scripturarum, nullum facit verbum de Textu hebraico & græco, sed tantum loquitur de nostra vulgata editione: ergo ex Tridentino nostra tantum vulgata editio est authentica, & proinde nullum continens errorem in materia fidei & morum, non sic vero Textus hebraicus, & græcus. VII. Concilium Viennense statuit, ut in Universitatibus Bononiensi, Parisiensi, & Salmaticensi, Magistri trium linguarum instituerentur; sed si non esset recurrendum ad fontes hebraicum & græcum, frustranea esset hujusmodi jussio: ergo &c. VIII. Si deberemus tantum latinam vulgatam Editionem sequi, damnabile esset studium illorum, qui græcum & hebraicum idioma discunt, ut ad horum Textum sacrorum Librorum veritatem restituant vel reducant; sed non est dicendum: ergo &c.

Re-

Respondemus ad I.; & ad II. quod Augustinus, & Damasus, de suo tempore loquebantur, hoc est de latina editione, quæ tunc temporis circumferebatur, & quæ quidem correctione indigebat; prout de facto ex Damasi mandato a Hieronymo correcta & emendata fuit.

Ad III. quod est argumentum Erasmi, Laurentii Vallæ, & Fabri, dicitur, quod errata illa, quæ corrigit Hieronymus, non sunt in materia fidei & morum, sed levissimi sunt momenti. Cæterum Franciscus Titelmannus clare ostendit, quam immerito a Laurentio, Fabro, & Erasmo vetus Editio reprehendatur.

Ad IV. hæc reponit Canus: „ Enimvero
„ cum historia Susannæ post ea tempora
„ ecclesiasticus usus approbarit, & Danielis
„ Prophetæ nomine populo legerit, cumque
„ Tridentinum Concilium sua quoque id
„ definitione firmaverit, ea certe historia
„ nunc a fidelibus recipienda est. Africanus
„ quidem Origeni objecit, quod Historia
„ Susannæ ficta videatur, & aliena a
„ Scriptura prophetica, ut Eusebius testis
„ est lib. 6. cap. 23. At illi tamen, ut idem
„ Eusebius ait, Origenes manifestissime
„ rescribens asserit, nequaquam Judæorum
„ commentis & fraudibus auscultandum,
„ sed hoc solum pro vero habendum in
„ scripturis divinis, quod septuaginta
„ Interpretes transtulissent. Nam id esse
„ solum, quod authoritate Apostolica con-
„ firmatum sit. Hæc Eusebius. Idem ve-
„ ro refert Hieronymus in Cathalogo, de
„ Julio hoc Africano loquens, & Hierony-
„ mus ipse lib. 1. Apolog. adversus Ruffi,
„ quæ in præfationibus dixerat, ea purgat,
„ inquiens: *Quod autem refero, quid adver-*
„ *sus Susanna historiam, & hymnum trium*
„ *puerorum, & Belis Draconis fabulas, quæ*
„ *in volumine hebraico non habentur, Hebræi*
„ *soleant dicere: qui me criminatur stultum,*
„ *se sycophantam probat: non enim quid ipse*
„ *sentirem, sed quid illi contra nos dicerent,*
„ *explicavi*. Hactenus Hieronymus „.

Ad V. dicitur, quod verba illa epistolæ 1. ad Corinth. leguntur apud Græcos, & ut leguntur in Vulgata, & hoc alio modo: *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur*. Docent Didymus & Hieronymus in epist. ad Minerium & Alexandrum; & neutram ex his lectionem Ecclesiæ viri nunquam reprobarunt, ut idem Canus testatur.

Ad VI. Quia Concilium Tridentinum agebat contra Lutherum & Calvinum, qui nostram Vulgatam Editionem indigne ferebant, ideo illi sat fuit Vulgatam probare, & authenticam esse declarare. De Textu vero hebraico & græco nihil dixit, nec approbando, nec reprobando; non reprobando, quia facere non poterat; nec approbando, quia contra illum nullus fuerat illorum Hæreticorum error, quem damnare debuisset.

Ad VII. Utique commendanda est lectio Linguarum in Universitatibus & Collegiis; propter multas, quas affert utilitates discentibus illas, quarum una non levis est, ut Hæreticorum calumnias detegant, ac imposturas in aperto ponant; & quanvis in originariis Textibus errata non sint, quæ fidem & mores respiciant, illa tamen, quæ sunt levioris momenti & in illo deprehenduntur, non inutile est, immo necessarium quoque Catholico Theologo detegere, ac emendare.

Ad VIII. Eadem est responsio, æque enim curris ratio, & de illis, qui linguas hasce non sine magna utilitate docent, & de iis, qui tum Christianæ Reipublicæ, tum Ecclesiæ Catholicæ emolumento discunt.

DIS-

DISSERTATIO CCLXXX.

De Scripturarum versionibus. Quænam fuerint antiquæ veteris Testamenti græcæ versiones? De versione septuaginta Interpretum; & quid in ea sit incertum, & quid indubitatum? De Bibliorum versionibus latinis ante Hieronymum, & præcipue de illa, quæ Itala dicebatur; De illis, quas edidit Hieronymus; & de aliis ab aliis editis.

De græca septuaginta Interpretum veteris Testamenti Versione, omnes conveniunt, & solum dubitatur, an ipsa fuerit omnium aliarum versionum pariter græcarum in Ecclesia antiquior? Ad quam dirimendam quæstionem, plures circumferuntur opiniones, quæ sunt circa numerum antiquarum græcarum Versionum veteris Testamenti.

Prima versiones græcas veteris Testamenti septem enumerat; affertur a Juenino, sed ejus authorem non nominat.

Secunda numerat novem, ejusque authorem dicit esse Baronium.

Tertia numerat decem, & authorem scribit esse Bellarminum de Verbo Dei lib. 2. cap. 5.

Quarta numerat undecim, sed de ejus authore Jueninus silet.

Quinta demum numerat tredecim, & eam asserit esse Junii Calviniani, contra Bellarminum scribentis.

Dicimus I. Veteris Testamenti versiones græcas esse tantum decem, quarum una fuit ante versionem septuaginta, octo vero post ipsam.

Prima pars Conclusionis probatur I. Prima græca versio veteris Testamenti fuit ante Alexandri Magni tempora, versio vero septuaginta Interpretum fuit tempore Ptolomæi, Ægypti Regis, qui tertio loco ab Alexandro Magno regnavit: ergo illa fuit antiquior septuaginta Interpretum versione. Antecedens probatur. Josephus Judæus lib. 12. antiquit. cap. 2. refert Theopompum, & Theodecten, fuisse a Deo punitos, eo quia ex sacris Bibliis voluissent aliqua admiscere suis historiis, vel poematibus; sed hæc non poterant transcribere, nisi ex Sacris Bibliis græcis, non vero hebraicis: ergo jam extabat græca versio veteris Testamenti tempore Theopompi, & Theodecten. Minor probatur, quia Græci linguam hæbraicam addiscere non solebant, nisi Proselyti essent.

II. Probatur. Idem Josephus testatur lib. 1. contra Appionem, Platonem in suis libris de legibus expressisse Moysem: ergo eum legerat; sed non legerat hebraice, quia nesciebat linguam hanc: ergo græce: ergo jam extabat antiqua versio græca veteris Testamenti Platonis tempore.

III. Probatur, tum quia Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum meminit versionis hujusce, de qua nos loquimur; tum etiam, quia alii Patres scribunt, Pythagoram, Platonem, multa ex Moysis libris hausisse, & ex Prophetarum quoque scriptis. Aristotelem quoque volunt Pentateuchum Moysis legisse, & post illius lectionem dixisse: *Multa dicit Barbarus ille, sed non probat*. Et quidem hi omnes Philosophi hebraice legere nesciebant: ergo græcos Codices legerunt. Hi autem omnes ante Alexandri Magni tempora fuerunt. Denique legatur Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 11.

Secunda Conclusionis pars probatur, enumerando versiones alias, quæ post illam septuaginta Interpretum fuerunt; de illa enim

enim septuaginta peculiaris & latior mox erit sermo. Relicta igitur illa septuaginta, quæ est secunda, post hanc venit tertia, quæ fuit facta ab Aquila, gente Pontico, anno duodecimo Hadriani Imperatoris, ut asserit Epiphanius libro de mensuris, & ponderibus; qui quidem Aquila primum fuit Gentilis, postmodum Christianus, sed ab Ecclesia ejectus, quod Astrologiæ judiciariæ vacaret, factus est Judæus. Quarta est Theodotionis, qui primitus fuit Christianus, postmodum hæreticus Marcionita, & demum Proselytus Judæorum: edidit versionem suam sub Commodi Imperatoris Regno; ut citato loco Epiphanius testatur. Quinta est Symmachi, qui, secundum Baronium, sub Severo Augusto, & secundum alios, sub Lucio Vero, ex hebræo in græcum sacros libros vertit. Eusebius narrat, quod Symmacus iste fuit primum hæreticus Ebionita, & quum non obtinuisset in Secta primatum, quem concupiverat, professus est Judaismum. Sexta dicitur Jerichontina, quod reperta fuerit apud Urbem Jericho, in quibusdam doliis abscondita, absque nomine Authoris, anno septimo Antonini Caracallæ. Septima vocatur Nicopolitana, quia Nicopoli reperta fuit, sine etiam authoris nomine, ut de utraque asserit Epiphanius. Ex hisce editionibus Origenes concinnavit suam, sive Tetrapla, sive Exapla, sive Octapla, ut narrat Eusebius lib. 6. histor. cap. 13. Et Epiphanius lib. de mensuris, & ponderibus, & ex his desumpsit Bellarminus. Suum autem opus Origenes hoc pacto composuit. Paginas dividebat in sex columnas, in quarum prima describebat hebraicum Textum literis hebraicis; in secunda hebraicum Textum literis græcis; in tertia interpretationem Aquilæ; in quarta interpretationem Symmachi; in quinta interpretationem septuaginta Seniorum; in sexta demum Theodotionis interpretationem. Hoc Origenis opus si continebat quatuor tantum posteriores interpretationes, dictum est Tetrapla; si vero continebat cum quatuor his interpretationibus etiam Textum hebraicum, hebraice scriptum, & etiam hebraicum Textum, græce scriptum, dictum est Exapla; Si vero his omnibus addebat Versiones Jerechontinam, & Nicopolitanam, dicebat Octapla. Octava versio est illa Origenis, quam quidem non adornavit ex hebræo Textu, sed sequutus est interpretationem septuaginta, quam etiam aliquando correxit, & multa admiscuit ex versione Theodotionis, quæ patenti signo notavit. Hæc Origenis versio tot secum tulit mutationes, ut nova versio sit visa, & ita Bibliothecas omnes implevit, ut appellata sit communis. Testis est Hieronymus ep. 89. & præfatione in Isaiam. Nona est versio Luciani, Presbyteri, & martyris, qui Nicomediæ martyrium subiit sub Diocletiano, & Maximiano; & ex Hebræo in græcum novam, & integram versionem intexuit, eo quod videret non pauca vitia obrepsisse in versiones, quæ præcesserant. Decima versio est illa Hesychii, qui septuaginta Interpretum versionem denuo emendavit, & Ægypti Ecclesiis tradidit legendam. Denique Hieronymus præfat. in Paralipomen. docet de Orbis Ecclesiis quanam ex his versionibus uterentur, his, quæ sequuntur verbis: *Alexandria, & Ægyptus in septuaginta suis Hesychium laudat authorem; Constantinopolis usque Antiochiam, Luciani martyris exempla probat; mediæ inter has Provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius, & Pamphilus vulgaverunt; totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.*

Pro secunda Dissertationis parte, quæ est de versione, quæ septuaginta Interpretum dicitur, narranda est primo historia de illa, & deinde certa ab incertis sunt secernenda. Ptolomæus, Ægypti Rex, Legatos misit ad Judæorum Pontificem, vel Synagogam, illos rogans ut ad se mitteret Interpretes, qui ipsorum Biblia hebraico idiomate exarata in græcum verterent. Eleazer, qui erat Pontifex Judæorum, septuaginta duos Judæus misit, qui hoc munus obirent; quod & fecerunt. De hac versione inter antiquos loquuntur Aristæus, vel Aristæas, qui fuit unus ex Legatis, quos Ptolomæus Jerosolymam misit; Aristobolus Judæus, cujus est mentio 2. Macbab. 1. Josephus pariter Judæus lib. 12. antiquit. cap. 2. Philo etiam Judæus lib. 2. de vita Moysis: ex nostris autem loquuti sunt Eusebius lib. 8. præparat. Evang. cap. 1. Irenæus lib. 3. cap. 25. Justinus in sua secunda Apologia, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Tertullianus cap. 18. Apologetici, Augustinus lib. 8. de Civit. cap. 11. & lib. 2. de doctrina Christ. cap. 15. De Aristæo dubitatur, & de Authore, & de libro. De Authore quidem, quia Scaliger in Eusebianis animadversionibus pag. 123. asserit, Aristæum hunc esse Autho-

rem suppositiitium; & ab Alexandrinis Judæis confictum: at Josephus, Eusebius, & Hieronymus epist. 104. verum fuisse authorem dicunt, & versioni, de qua loquimur, coetaneum, quæ & de illa scripserit. De libro vero ejus, qui latine, græce, & hebraice circumfertur etiam hodie, esse omnino sincerum ac germanum, negant Augustinus lib. 18. de Civit. cap. 4., quem sequitur Alphonsus Salmero prolegumen. 6. at germanum ac sincerum volunt Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap 6., aliique plures. His positis.

Dicimus II. Versionem hanc fuisse factam sub Regno Ptolomæi Philadelphi in Ægypto, qui fuit tertius ab Alexandro Magno Rex; & qui ab Eleazeru, Pontifice Judæorum, Interpretes petiit, ut libris illis Bibliothecam suam ditaret ac illustraret; & ab Eleazero fuisse missos septuaginta duos Interpretes, ut hoc præstarent; quo anno non constat, constat tamen de temporis spatio, quo facta est Alexandriæ in Ægypto, seu in vicina Insula, quæ dicebatur Pharo. Probabilius esse tamen, Interpretes hosce versionem hanc effecisse omnes simul inter se convenientes, ac conferentes. Plures habet partes conclusio.

Prima Conclusionis pars probatur I. authoritate omnium Patrum, veterumque Scriptorum, duobus tantum exceptis, qui funt Irenæus, & Clemens Alexandrinus, communi calculo afferentium, Versionem hanc factam fuisse regnante Ptolomæo Philadelpho, qui erat filius Ptolomæi Lagi. II. Versio hæc sub uno aut altero Ptolomæo facta est, & in hoc conveniunt omnes, quia Lagus fuit secundus ab Alexandro, & Philadelphus tertius, adeoque non fuerunt alii post Alexandrum, & ante illos; sed non fuit Ptolomæus Lagus: ergo fuit Ptolomæus Philadelphus. Probatur minor. Lagus non poterat hoc petere a Judæis, quia infensissimus illis erat, & plurimos ipsorum captivos duxerat in Ægyptum, quos deinde Philadelphus in Regno succedens liberavit.

Secunda Conclusionis pars probatur I. quia tunc temporis Eleazer Pontifex erat apud Judæos: ergo ab illo Interpretes petiit Ptolomæus. II. Idem Ptolomæus ex omni mundi parte libros quæsierat, ut Bibliothecam suam impleret ac locupletaret: ergo credibile est etiam, ut ab Judæis libros eorum peteret. III. quia hoc ipsum testantur Aristæus, ac Joseph Judæus IV. Philadelphus Judæorum libros sciverat a Demetrio Phalareo, qui venerat Alexandriam ab Atheniensi Civitate, ut Regiæ suæ Bibliothecæ præesset.

Tertia pars Conclusionis, scilicet quod Interpretes fuerunt septuagintaduo, & quod erant Seniores populi, & in linguis doctissimi, probatur I. authoritate Aristæi, Josephi, & aliorum, qui dicunt, fuisse septuaginta duos, quia ex singulis tribubus sex fuerunt electi. II. Quia ex iis Authoribus clare habetur hujuscemodi Interpretum doctrina, & in linguarum cognitione peritia.

Quarta Conclusionis pars, quæ est de tempore, probatur I. Ubi notabilis est Scriptorum varietas in tempore adnotando ibi pariter est incertitudo; sed varietas est inter Scriptores circa annum Regni Ptolomæi Philadelphi, tempore cujus versio hæc initium habuit: ergo est incertitudo. Probatur minor. Eusebius in Chronico scribit, fuisse inceptam anno Philadelphi quarto, vel quinto; Epiphanius vero anno septimo. Varietas est quoque notabilis, quo anno ante Christum contigerit; siquidem Chrysostomus homil. 5. in Matthæum dicit annos centum; Theodoretus annos 250. Præfatio Romana in versionem septuaginta unum supra 300. II. Quia Arillæus, Josephus, Aristobolus, Philo, &c. dicunt, opus illud fuisse absolutum a septuaginta duobus Interpretibus infra septuagintaduos dies.

Quinta Conclusionis pars, quæ est de loco, probatur I. Quia communi voto post Aristæum, Aristobolum, Josephum, Philonem, Christiani Scriptores nostri agentes de hac versione, scripserunt, eam fuisse Alexandriæ apud Pharum inceptam, & peractam. II. Scire oportet, quod quidam putarunt, Interpretes illos intra unam Basilicam fuisse clausos, in qua septuaginta duæ cellulæ erant, & in unaquaque ipsarum quemlibet Interpretem versionem suam adornasse, & quod postmodum omnes in mente fuerunt uniformes: Alii vero dixerunt, quod in unaquaque cellula fuerunt positi duo Interpretes, adeoque cellulas fuisse triginta-sex: Alii demum afferunt, quod nullæ fuerunt cellulæ in Basilica illa; sed in ea omnes Interpretes convenerunt, inter seipsos conferentes, & sacros libros transferentes. Prima sententia tribuitur Justino

in

in oratione exhortatoria ad Gentes, Irenæo lib. 3. cap. 25. Cyrillo catech. 4. Augustino lib. 18. de civit. cap. 42., & eam sequitur Baronius. Secunda sententia dicitur esse Epiphanii lib. de mensuris, & ponderibus. Tertia sententia tribuitur Hieronymo præfat. in Pentateuc., & eam amplectitur Bellarminus; & hæc sententia probatur ex silentio omnium illorum, qui versionis hujusce historiam scripserunt, & de cellulis nec verbum quidem posuerunt. Hi sunt Josephus, lib. 12. antiquit. cap. 2. Philo, Tertullianus Chrysostomus &c. III. Quia Aristæus testatur, quod Interpretes illi intra Basilicam convenientes inter se conferebant usque ad horam nonam: ergo non erant in cellulis clausi. IV. Quia Hieronymus in præfatione in Pentat. scribit *Nescio, quis primus author septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit.* V. Quia si hoc egissent septuaginta duo illi Interpretes, Deum certe tentassent, temere ab eo miraculum petentes, & expectantes, non observando scilicet humanam viam, quæ erat mutua collatio ad opus suum exequendum.

Dicimus III. fuisse olim divinæ authoritatis versionem septuaginta in rebus fidei, & morum, & quia authentica est, pariter esse modo.

Prima Conclusionis pars probatur I. Quia hoc ipsum afferunt Aristæus, Josephus, Philo, Justinus, Irenæus, aliique. II. Quia Apostoli, quando ad Gentiles conversos scribebant, & vetus Testamentum citabant, septuaginta Interpretum versione utebantur. III. Quia ex testimonio Augustini, & Hieronymi, per quinque priora secula in Ecclesia Christianorum versio hæc locum habuit. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 15. *Septuaginta Interpretum, quod ad vetus Testamentum attinet, excellit authoritas, qui jam per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia Spiritus Sancti interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit.* Hieronymus in lib. de optimo genere interpretandi: *Jure septuaginta editio obtinuit in Ecclesia, vel quia prima est, & ante Christi facta adventum, vel quia ab Apostolis, in quibus tamen ab hebraico non discrepat, usurpata.*

Secunda Conclusionis pars probatur I. Versio septuaginta erat authentica tempore Apostolorum: ergo est etiam modo; Consequentia probatur; quia inter illam, quæ erat tempore Apostolorum, & illam, quæ nunc est, nulla fuit facta mutatio, & præcipue quoad fidem & mores. II. Ex Augustino in tanto pretio erat antiquitus versio septuaginta, & ita communis, ut plerique putarent, non aliam, quam hanc, in Ecclesia esse. Proinde ait S. Doctor lib. 18. de Civit. Dei cap. 43. *Hanc, quæ septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique, utrum alia sit aliqua, ignorant.* III. Ecclesia Græca semper usa est hac versione, & etiamnum utitur, & nunquam hoc ei Ecclesia Latina objecit. IV. Sixtus V. approbans hujuscemodi Versionis editionem, quam anno 1582. ex antiquissimo Vaticanæ Bibliothecæ Codice fieri curaverat pius ac doctus Cardinalis Antonius Carafa, hæc habet in suo Diplomate: *Volumus & sancimus ad Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, ut vetus Græcum Testamentum juxta septuaginta ita recognitum, & expolitum, ut ab omnibus recipiatur, & retineatur; quo potissimum ad Latinæ vulgatæ Editionis, & veterum Sanctorum Patrum, intelligentiam, utantur; prohibentes, ne quis de hac nova Græca Editione audeat in posterum quicquam immutare.*

Opponunt I. Patres omnium versionum primam ac vetustissimam vocarunt illam, quæ facta est a septuaginta Interpretibus: ergo ante hanc non fuit altera, quæ Alexandri Magni tempus præcesserit. II. Si fuisset hæc versio ante Alexandrum Magnum facta, Ptolomæus Philadelphus non petisset aliam græcam versionem a Judæis Hellenistis faciendam: ergo ante hanc septuaginta altera non fuit. III. Interpretes isti passim apud Patres, & alios Scriptores, tum recentes, tum veteres, dicuntur septuaginta: ergo non fuerunt septuaginta duo. IV. Tempore, quo facta est hæc versio, solæ Tribus Juda, & Beniamin, erant in Judæa, quia aliæ decem Tribus deportatæ fuerant in Mediam captivæ, tempore Ezechiæ Regis: ergo non poterant desumi ex qualibet Tribu sex Senes Interpretes. V. Ex testimonio Patrum versio hæc fuit miraculosa; sed ideo fuit miraculosa, quia senes Interpretes, quamvis in cellulis divisi, consenserunt tamen in eandem sententiam, & in eadem verba: ergo &c. VI. Justinus in orat. ad Gentes testatur, se Alexandriæ vidisse ruinas cellularum, in quibus hæc versio dicebatur facta. VII. Epiphanius lib. de mensuris, & ponderibus, testatur pariter, se legisse cellulas in Aristæi libro, in quo historia versionis refer-

refertur. VIII. Septuaginta Interpretes transtulerunt Pentateuchum tantum: ergo suppositi sunt alii sacri libri, qui ab his translati dicuntur. IX. Aristæus, Josephus, & Philo, dicunt septuaginta vertisse Legem tantum; nomine autem Legis non venit nisi Pentateuchus. X. Hieronymus in cap. 2. Michææ sentire etiam videtur, quod septuaginta Pentateuchum tantum verterint. XI. Multa scribit Hieronymus, quæ authenticitati hujusmodi versionis obstant: ergo ex Hieronymo versio hæc non est authentica. XII. Ex Aristæo summa erat consonantia inter versionem septuaginta, & Textum hebraicum; sed modo hanc consonantiam non experimur: ergo versio septuaginta non est authentica. XIII. Patres, & præcipue Justinus in Dialogo cum Tryphone, testantur, Judæos versionem hanc multis in locis corrupisse. XIV. Versio hæc in multis fuit emendata ab Origene, Luciano, Hesychio, Hieronymo, &c. ergo erat corrupta. XV. Hieronymus in præfatione in Pentateuchum docet, septuaginta Interpretes, vel aliter interpretatos esse, vel omisisse Textus omnes, qui de Sanctissimæ Trinitatis mysteriò loquebantur; sed hæc est materia fidei: ergo &c. Hæc sunt verba Hieronymi: *Ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt . . . . Ut & Regi satisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent.* XVI. Quia Interpretes illi Interpretes quidem erant, at non Prophetæ; unde labi aliquando poterant. Quare Hieronymus ait: *Aliud est enim vatem, aliud est esse Interpretem: ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditio, & verborum copia, ea, quæ intelligit, transfert.*

Respondemus ad I. Versionem illam, ante tempora Alexandri Magni factam, tractu temporis fuisse deperditam; illaque jam non amplius extante, quæ fuit a septuaginta Senibus facta, prior omnium ac vetustissima jure optimo a Patribus dicebatur.

Ad II. Admisso, quod tempore Ptolomæi Philadelphi extaret adhuc versio illa vetustior ante tempora Alexandri Magni facta, ea tamen in multis mendosa erat, ac in plurimis quoque defectuosa. Et quia Ptolomæus correctam optabat versionem & integram atque completam, inde est, quod de alia se sollicitum maxime demonstravit. Et re vera versio illa, Alexandrum præcedens, incertos habebat authores, ac proinde magnæ esse non poterat authoritatis. Insuper non omnium sacrorum librorum, sed aliquorum tantum, versio erat.

Ad III. Dicuntur quidem septuaginta, etsi septuaginta duo fuerint; sed sic dicuntur brevitatis gratia, & majoris numerandi facilitatis caussa. Ea prorsus ratione, qua apud Romanos, qui erant centum & quinque, centum viri dicebantur; & qua apud Christianos discipuli Christi licet septuaginta duo fuissent, septuaginta tamen communiter dicti sunt atque dicuntur.

Ad IV. Quando Tribus Israel captivæ ductæ sunt in Mediam, e singulis Tribubus aliqui in Judæa remanserunt, ut patet ex iis, quæ Judith 2. leguntur. Insuper e Media in patriam post captivitatem quoque multi redierant; unde fit, quod etsi in Judæa in majori numero essent homines de Tribu Juda, & de Tribu Beniamin, ex aliis vero Tribubus erant quoque, in eo saltem numero, ut ex unaquaque ex illis sex saltem senes, periti ac docti, eligi ac desumi possent.

Ad V. Miraculum in eo fuit, quod tot homines sine ulla discrepantia, vel altercatione, in eandem sententiam venerint consensu unanimi, sive de verbis, sive de sententiis, contulerint inter se, vel non contulerint. Et hæc est mens Augustini lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 15. *Qui si, ut fertur, multique non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati, cum interpretati essent; nihil in alicujus eorum Codice inventum est, quod non iisdem verbis, eodemque verborum ordine inveniretur in ceteris: quis huic authoritati conferre aliquid, ne dum præferre, audeat? Si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu, judicioque, vox fieret, nec sic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia ad emendandam tot Seniorum, doctorumque consensum aspirare oportet, aut decet.*

Ad VI. Justinus admodum se facilem ostendit, Judæorũ fabulis credendo; & quidem prudentius se gessisset, Aristæum legens, quam illas videns ac narrans ruinas, quæ nullo modo esse potuerunt cellularum illarum, quæ nunquam in mundo fuerunt.

Ad VII. In Aristæo nec Josephus, nec Tertullianus, nec Eusebius, deprehendit unquam illarum cellularum memoriam, quas asserit se deprehendisse Epiphanius. Unde non immerito possumus cum Bellarmino dicere, quod vel Epiphanius

memo-

memoria lapsus, quando hæc scribebat, vel ex relatione aliorum, loquebatur.

Ad VIII. Septuaginta Interpretes verterunt omnes sacros libros, qui in Judæorum Canone continebantur, hoc est viginti duos, quos refert Hieronymus in Prologo Galeato post Josephum. Hoc ipsum testantur Justinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. cap. 25. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Eusebius lib. 8. præparationis Evangelicæ cap. 1. Additur, quod est prorsus inverisimile Ptolomæum voluisse Pentateuchi tantum versionem, & non reliquorum librorum, qui erant antiquissimi, & præcipue Prophetarum. Denique Apostoli citantes Prophetas, græca versione utebantur; sed ipsorum tempore non erat alia græca versio, quam septuaginta: ergo &c.

Ad IX. Legis nomine Scriptores in objectione laudati intelligebant omnes Judæorum libros canonicos, qui quidem dicebantur lex, non quod continerent solam legem, quam Moyses dederat Judæis, sed quod lex inter libros illos præcipuum locum obtineret, ut ait Jueninus. Hac ratione Joannis 10. & 15. Christus dixit, scriptum esse in lege, quod in Psalmorum libro legitur scriptum: Et Paulus 1. ad Corinth. 14. scribit, in Lege scriptum inveniri quod apud Isaiam continetur.

Ad X. Citatus Jueninus dicit: „ Hieronymum scripsisse non affirmando, sed dubitando; unde in commentariis Prophetarum, mentionem facit versionis septuaginta, & eam explicat. „

Ad XI. Quæ objicit Hieronymus nec fidei, nec moribus obstant, ideo objecta ejus Conclusioni nostræ non refragantur. Additur, quod menda illa, seu errata, de quibus Hieronymus loquitur, non sunt dicenda Interpretum, sed Librariorum errata. Quod ipsemet Hieronymus asserit præfat. in Paralipom. *Si septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in græcum versa est, Editio permaneret, superflue me, Chromati, Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut hebræa tibi volumina latino sermone transferrem.*

Ad XII. Summa est consonantia inter Textum hebraicum, & septuaginta versionem, in iis, quæ fidem, & mores, respiciunt; in aliis vero, si quid mendi irrepsit in versionem præfatam, a Librariorum oscitantia, non Interpretum infidelitate, provenit.

Ad XIII. Si quæ in versione septuaginta corruperunt Judæi, non fuerunt certo ad fidem, & mores spectantia, quia aliter Apostoli, & Apostolici Patres, nunquam versione illa usi fuissent. Immo nec Judæorum malitia ullum potuit ad perficiendum illud, habere locum; eædem enim militant rationes, quibus nos probavimus hebraicum Textum Judęos corrumpere in iis, quę ad fidem, & ad mores pertinent, non potuisse.

Ad XIV. Pręfati Scriptores emendarunt menda levioris momenti, quę Librariorum incuria in versionem septuaginta irrepserant; quę quidem correcta fuerunt, vel ad hebraicum Textum, vel ad antiquorum Patrum lectionem, vel ad cohęrentiam cum pręcedentibus, & subsequentibus.

Ad XV. Quum non intelligerent Interpretes illi Sanctissimę Trinitatis mysterium, quia eis non fuerat expresse revelatum, nec pariter poterant de eodem expresse loqui; unde quando eis se offerebat occasio de eodem loquendi, vel aliter interpretabantur, vel omnino tacebant. Cęterum si velimus iisdem revelasse Deum arcanum divinum, poterunt quoque aptari Hieronymi verba, illos scilicet ita scripsisse, *ut & Regi satisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent.*

Ad XVI. Etsi demus, quod Interpretes illi labi poterant, non ex hoc tamen infertur, quod lapsi de facto fuerint. Et quamvis illos Interpretes dumtaxat dicamus, non abs re tamen quis diceret, fuisse Deum iisdem Prophetię donum impartitum in iis, quę versionem spectabant, & pręcipue in rebus illis, quę fidem & mores respiciebant. Et hoc quidem fuisse miraculum, quod antiqui Patres in versione hac tantopere proclamarunt.

Pro tertia demum Dissertationis parte, quę est de versionibus latinis, certum est, quod ante Hieronymum plures circumferebantur ex septuaginta Interpretum versione veteris Testamenti latinę versiones, & novi etiam ex fonte gręco. Hoc patet ex Hieronymo ipso pręfatione in Josue: *Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot Codices, cum unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est.* Et ex Augustino lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 11. *Qui ex hebræa lingua scripturas in græcam verterunt linguam, numerari possunt; Latini autem nullo modo.*

Certum est quoque, quod inter plures latinas versiones, ante Hieronymum factas, principem locum obtinebat in Ecclesiis Occi-

Occidentalibus illa, quæ Itala dicebatur. Docet Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 15. *In ipsis interpretationibus Itala cæteris præfertur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ*. De hac pariter Versione loquutus est Hieronymus in cap. 14. Isaiæ; loquutus est Gregorius Magnus præfat. in libros moralium cap. 5., & vocat eam veterem, & Vulgatam; Veterem, quia erat antiquior illis, quas Hieronymus ediderat; Vulgatam, quia in Occidentalium Ecclesiarum usu communior erat. Et in hoc sensu intelligendus est Honoratus Tournely, quando scribit: „ Quæ præcipuæ sint „ Scripturæ Sacræ Versiones? Respondeo: „ Duplicem potissimum. 1. Græcam Septuaginta Interpretum, qui libros Sacros „ hebraice scriptos in græcum sermonem „ converterunt: qua Versione usi sunt „ Apostoli, qua utuntur etiamnum Græci, „ & quæ velut authentica diu in Ecclesia „ obtinuit; ac nunc etiam obtineret, si ex „ Ecclesiæ judicio atque sententia constaret eam, quæ jam extat, autographo Septuaginta Interpretum conformem esse. 2. „ Altera Versio ea est, quam Augustinus „ Italam, Hieronymus Vulgatam, Gregorius Veterem, appellat, quæ simpliciter „ Vulgata nostra dicitur, quam Concilium „ Tridentinum sess. 4. authenticam declaravit, idest ab omni errore contra fidem, „ & mores, immunem, & liberam; *Neque* „ *data opera corruptam*, ait Pallavicinus L. 6. „ cap. 17. *in quacunque parte quantumvis minima, & ad præcipuam rei sententiam non spectante: neque unquam plane ex inconsiderantia ab archetypo difformem in iis, quæ rem* „ *constituunt*. Quæ proinde fidem, & authoritatem habeat in fidei, & morum „ controversiis definiendis.„

Devenientes modo ad Latinas Versiones, quas edidit Hieronymus, primo pro certo habemus Hieronymum vertisse in linguam latinam ex Textu hebraico Vetus Testamentum, sed non omnes ejus libros. Secundo, Hieronymum vertisse in Latinum ex Septuaginta Versione aliquos libros Canonis Judaici. Tertio Hieronymum non vertisse in latinum ex Septuaginta Versione omnes libros Canonis Judaici. Quarto Hieronymum nunquam vertisse novum Testamentum ex græco Textu in latinum, sed ad græcum Textum illud emendasse. Quæ sunt omnes Conclusiones, quas ponit Ieninus, & sequentibus rationibus probat.

Primum dictum probatur pro prima parte ex ipsomet Hieronymo ad calcem libri de Scriptoribus Ecclesiasticis dicente: *Novum Testamentum græcæ fidei reddidi: Vetus juxta Hebraicum transtuli*. Insuper ex præfationibus ejusdem Hieronymi, de quibus ipse dicit epist. 11. inter Epistolas Augustini: *Omnes præfationes divinorum Voluminum, quas editioni nostræ, ex Hebræo in Latinum præposuimus, explicant; quod interpretationis videlicet genus, in Scripturis Sanctis sequendum sit*. Item ex Augustino lib. 18. de civit. Dei cap. 43. *Non defuit nostris temporibus presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo, in latinum eloquium, easdem Scripturas converterit*. Pro secunda vero parte probatur etiam, quia Hieronymus non convertit in latinum illos libros, in quibus ipsius præfationes non inveniuntur, ut patet ex citata ejus epist. 11., sed præfationes tantum inveniuntur præpositæ Pentateucho, Josue, Paralipomenis, Judicibus, Ruth, libris Regum in Prologo Galeato Esdræ, & Nehemiç, Tobiç, Judith, Esther, Job, Psalterio, Proverbiis, Ecclesiastæ, Cantico Canticorum, Ezechieli, Danieli, Isaiç, Jeremiç, duodecim Prophetis minoribus; ex quibus idem Ieninus infert, quod Hieronymus non transtulerit ex hebræo in latinum Ecclesiasticum, Sapientiam, & Baruch; transtulerit vero Tobiam, & Judith, qui in Judæorum Canone non inveniebantur.

Secundum dictum probatur ex Augustino epist. 10. ad Hieronymum: *Job ex hebræo a te interpretatum, cum jam haberemus interpretationem tuam ejusdem Prophetæ, ex græco eloquio versam in latinum*. Ex eodem Hieronymo, qui in Epistola ad Suriam, & Fretellam testatur, se in latinum vertisse Psalterium ex pura Versione græca Septuaginta, prout inveniebatur in Exaplis Origenis. Et lib. 2. Apologiç prioris ex eadem versione se vertisse Ecclesiastem, & Proverbia.

Tertium dictum, quod est contra Bellarminum, aliosque paucos, probatur, quia Hieronymus recenses libros, quos vertit ex Septuaginta Versione in latinum; sed præter dictos libros non recenset alios: ergo &c. Ulterius Augustinus epist. 10. cap. 14. fatetur Hieronymum non fecisse ex Septuaginta translatione latinam versionem, quia illius correctionem petit: *Plurimum profueris, si eam Græcam Scripturam, quam Septuaginta operati sunt, Latinæ veritati reddideris, quæ in diversis Codicibus*

ita

ita varia est, ut tolerari vix possit, & ita suspecta, ne in Græco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri, aut probari, dubitetur.

Quartum dictum probatur etiam, quia Hieronymus ipse in præfatione ad Damasum Papam hæc habet: *Novum opus me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto Orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam, & quia inter se variant, quæ sint illa, quæ cum Græca consentiant veritate, decernam.* Et in fine libri de viris illustribus: *Novum Testamentum Græcæ veritati reddidi.*

Versiones vero Latinæ, quas post Hieronymum fecerunt alii, tum ex Catholicis, tum ex Hæreticis, hæ sunt, quas enumerat præfatus Jueninus ex Serario: „ Ex „ Catholicis prima est Santis Pagnini Lu- „ censis anno 1528. de qua Genebrardus „ in præfatione ad Origenem. Secunda „ est Isidori Clari Brixiani; illius meminit „ Canus locorum theologicorum lib.2.cap. „ 13. Tertia est Ariæ Montani: Quarta est „ Vatabli Parisiensis professoris; illius ni- „ mirum nomine commendata est a Rober- „ to Stephano in Editione Bibliorum, quam „ Parisiis edidit anno 1545. Vatabli tamen „ esse, negat Genebrardus præfatione in „ Origenem „. Ex Acatholicis vero hæ sunt: „ Prima, quæ est Munsteri versio, „ prodiit anno 1525. Secunda est Oecolam- „ padii anno 1535. Tertia Leonis Judæ, qui „ ex Judæo factus Zuinglianus, Biblia lati- „ ne vertit; ea Versio vulgo dicitur Tigu- „ rina, quod anno 1544. Tiguri edita est. „ Quarta Sebastiani Castalionis, quæ Ty- „ pis mandata est Basileæ anno 1556. „ Quinta Junii ac Tremellii Heidelbergen- „ tium professorum: edita fuit Genevæ „ anno 1590., & postea Hannoniæ anno „ 1592. Iis versionibus Genebrardus præ- „ fatione in Origenem addit Versionem „ Genevensium; *quæ quidem*, inquit, *est* „ *rapsodia assuta e variis, Santis, Munsteri, Va-* „ *tabli, & reliquorum centonibus, & pan-* „ *nis* „.

Obstant I. Ex Augustino scribente epist. 10. cap. 4. quod Hieronymus novum Testamentum ex Græco in latinum transtulit. Hæc sunt verba Augustini: *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpretatus es.* II. Hieronymus in epist. 11. inter Epistolas Augustini, asserit, se vertisse libros Canonicos in latinum ex Textu Græco septuaginta Interpretum, verbis hisce cap. 5. *Quod autem quæris, cur mea prior in libris Canonicis interpretatio asteriscos habeat, & virgulas prænotatas, &c. illa interpretatio septuaginta Interpretum est &c.* III. Hieronymus contra Versionem a se factam plures obtrectatores habuit: ergo non fuit numeris omnibus absoluta. IV. Versio a Hieronymo facta non habuit locum in Ecclesia: ergo Ecclesia eam non probavit.

Respondemus ad I. cum Juenino, quod vox illa Augustini: *Interpretatus es*, intelligi debeat pro emendasti; & hoc pacto intelligit eam Hieronymus ipse citata epist. 11. *Et si me, ut dicis, in novi Testamenti emendatione suscipis*: loquitur ergo de emendatione, non de interpretatione.

Ad II. Hieronymus loquitur de sola Versione libri Job., quia Augustinus de hac tantum ad eum scripserat. Hæc sunt Augustini Epistola 10. *Hoc addo, quod postea didicimus Job ex hebræo a te interpretatum, cum jam quandam haberemus interpretationem tuam ejusdem Prophetæ, ex Græco eloquio versam in Latinum. Ubi tamen asteriscis notasstis, quæ in Hebræo sunt, & in Græco desunt, obelieis autem, quæ in Græco inveniuntur, & in Hebræo non sunt.*

Ad III. Etsi Hieronymus obtrectatores habuerit, fat nihilominus sibi fuit habere Damasum Papam laudatorem, cujus auctoritate emendationem susceperat, atque compleverat. Unde in præfat. in Evangelia Damasum alloquens, dicit: *Adversus quam invidiam duplex me causa consolatur, quod & tu, qui Summus Sacerdos es, fieri jubes.* Cæterum quo omnium plausu versio Hieronymi novi Testamenti, ex Græco Textu facta, fuerit recepta, & pretio habita, liquet ex Augustino epist. 10. cap.4. dicente: *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpretatus es; quia pene in omnibus nulla offensio est, cum scripturam in Græcum contulerimus.*

Ad IV. fatemur quidem, Hieronymi versionem Latinam ex Hebraico Textu veteris Testamenti non habuisse statim in Ecclesia locum, sed habuisse postea. Hoc ipsemet fatetur præfat. in Job. *Cogor per singulos divinæ Scripturæ libros, adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam, reprehensionem Septuaginta Interpretum criminantur.* Insuper Augustinus epist. 10. testatur, quod plures obstarent, si Hieronymi Versio in Ecclesiis legeretur. Ait enim cap. 3. *Perdurum enim erit, si tua interpretatio per multas Ecclesias frequentius cœperit lectitari.* Et rationem subjungit: *Quod a Græcis Ecclesiis Latinæ Ecclesiæ dissonabunt.* Cæterum Gregorius Ma-

Magnus præfar. in libros moralium cap. 5. testatur, quod suo tempore Romana Ecclesia utraque Versione utebatur, Vetere nimirum, & nova; vetus erat, quæ facta fuerat ex translatione Septuaginta Interpretum; nova vero quam ediderat Hieronymus ex Hebræo in Latinum: *Novam translationem dissero, sed ut comprobationis causa exigit, nunc novam, nunc veterem, per testimonia assumo; ut quia Sedes Apostolica, cui, Authore Deo, præsideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.*

DISSERTATIO CCLXXXI.

De Vulgata Versione. Quisnam ejus fuerit Author? Cujus fuerit authoritatis, antiquitas? Cujus modò sit post Tridentinum Concilium? Et de Vernaculis Bibliorum versionibus.

SUb nomine Vulgatæ Editionis intelligit P. Boucat Versionem, quæ continet partem illius, quæ Itala dicebatur, nimirum Psalterium, Sapientiam, Ecclesiasten, & libros Machabæorum; & continet quoque libros veteris Testamenti, quos ex hebræo vertit Hieronymus; continet denique totum novum Testamentum Versionis Italæ per eundem Hieronymum emendatæ; post quæ subdit P. Boucat: „ Hæc est Vulgata, quæ nunc est in usu, de Editione Xisti V., fuit postea iterum emendata jussu Clementis VIII. Pius IV. & post à Pius V. opus purgationis inceperant, ut satisfacerent Concilio Tridentino, quod quidem jusserat, Vulgatam Typis mandari omni cum diligentia, & exactitudine. Absolvit Sixtus V. qui in decreto suo declarat manibus propriis isti vacasse operi, scilicet in emendandis Codicibus: ultimam etiam manum adjecit Clemens VIII., & quantum potuit, illam omnibus absolvit numeris, & perfecit „.

At quæ scribit Boucat non ita communiter ab omnibus recipiuntur, ut ipse supponit ac credit, absque eo quod mentionem faciat Theologorum, qui in diversas abeunt sententias. Itaque clarius ac distinctius rem videtur explicasse Juenínum, qui cohærenter ad quæ dicimus, hæc scribit: „ Nota 1. Circa propositam quæstionem triplex est Theologorum sententia. Prima docet, Vulgatam nostram esse antiquam illam, quæ Itala dicebatur, & qua utebantur Occidentales Ecclesiæ ante Hieronymi tempora. Secunda, quæ est Augustini Eugubini, & Pici Mirandulani, asserit, quoad vetus Testamentum, esse eam, quam ex Hebraico textu edidit Hieronymus, & quoad novum, eam esse, quam idem ipse Hieronymus ad græcum fontem correxit. Tertia, quæ est Joannis Driedonis, & Sixti Senensis lib. 8. Bibliothecæ sanctæ, censet, nostram Vulgatam esse mixtam, tum ex Itala Versione, tum ex ea, quam Hieronymus edidit. Not. 2. Ex iis, quibus placet Vulgatam esse mixtam ex vetere latina, & nova Hieronymi, nonnulli docent, plures integros libros esse ex antiqua versione, & alios etiam integros esse ex Versione Hieronymi: ita Bellarminus de Verbo Dei lib. 2. cap. 8. Alii contendunt, ne unum quidem librum esse omnino, aut ex antiqua Versione, aut ex nova Hieronymi, sed esse ex utraque ab incerto authore mixtum; ita Baronius tom. 2. Sixtus Senensis Biblioth. lib. 8. „ Ex quibus patet etiam, quam turpius fallatur Tournely in verbis, quæ supra exscripsimus, & quæ hic denuo scribimus, quibus unam atque eandem versionem esse dicit illam, quam modo Vulgatam appellamus, & illam quam Augustinus Italam, Hieronymus Vulgatam, Gregorius Veterem, nominavit: „ Altera Versio ea est, quam Augustinus Italam, Hieronymus Vulgatam, Gregorius Veterem, appellat, quæ simpliciter Vulgata nostra dicitur, quam Concilium Tridentinum sess. 4. authenticam declaravit, id est, ab omni errore contra fidem & mores immunem & liberam „.

Di-

Dicimus I. Vulgatam Versionem veteris Testamenti non esse illam, quę Hieronymum præcessit, sed quam Hieronymus ex Textu hebraico concinnavit, si aliqui libri excipiantur, adeoque illius Hieronymum esse Authorem. Pariter Vulgatam Versionem novi Testamenti esse illam, quæ Hieronymum præcessit; sed quam Hieronymus ad Græcum Textum emendavit; & de illius Authore non constat. Quatuor habet partes Conclusio.

Prima Conclusionis pars probatur. I. Antiqua Versio Veteris Testamenti, quæ Hieronymum præcessit, facta est ex Septuaginta Interpretum Versione; sed nostra Vulgata cohæret potius cum Textu Hebraico, quam cum Versione Septuaginta: ergo dicendum est, quod facta fuerit potius ex Textu Hebraico, quam ex versione Septuaginta: Atqui Versionis Latinæ, factæ ex Textu Hebraico, Author est Hieronymus: ergo &c. II. Nostra Vulgata Versio continet illa, quæ Hieronymus dixit non inveniri in antiqua Versione Latina: ergo nostra Vulgata Versio, non est Versio antiqua Latina. Antecedens probatur. Multa retulimus supra, quę desunt in Versione Septuaginta; atqui hęc omnia in nostra Vulgata Versione Veteris Testamenti inveniuntur: ergo &c. III. Plerique Patres, & Scriptores, nostram Vulgatam Versionem sub nomine Hieronymi laudant: ergo vere Hieronymus illius est author. Probatur antecedens. Isidorus lib. 6. etymol. cap. 5. *S. Hieronymi editione omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur*. Hugo Victorinus lib. de Scripturis cap. 9. *Hieronymi translatio, quia hebraicæ veritati concordare magis probata est, idcirco Ecclesia Christi per universam Latinitatem, præ cæteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio, sive prima de Hebræo in Græcum, sive secunda de Græco in latinum facta, corruperat, hanc solam legendam, & in authoritate habendam constituit*.

Secunda Conclusionis pars, quæ est de libris Veteris Testamenti, qui excipiuntur, probatur I. Hieronymus duplicem fecit Psalterii versionem, unam ex Textu hebræo, alteram ex Versione Septuaginta, sed neutra ex his convenit cum nostra Vulgata Versione: ergo fuit potius Versio Itala, quæ Hieronymum præcessit. II. Quia ipsemet Hieronymus hoc ipsum asserit in epistola ad Suniam, & Fratellam. III. Hieronymus nunquam transtulit in Latinum libros Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum: ergo Editio Vulgata horum librorum non est Hieronymi, adeoque erit Itala, de qua diximus.

Tertia Conclusionis pars probatur I. Correctiones, quas fecit Hieronymus in Versione Novi Testamenti antiqua, quæ Itala dicta est, eædem omnino inveniuntur in nostra Vulgata: ergo nostra Vulgata ex illa antiqua facta est, quæ Itala dicebatur. Antecedens hac enumeratione probat Jueninus: ,, Exempli gratia,
,, in antiqua Versione, Matth. 2. legebatur: *In Bethleem Judææ*; Hieronymus in
,, Commentario ejusdem cap. 2. docet legendum: *In Bethleem Juda*; sic vero in
,, nostra Vulgata legitur lib. 1. in Jovinianum, reprehendit illud veteris Ver-
,, sionis 1. ad Corinthios 7. *Divisa est mulier, & Virgo*, & legi vult, quod jam
,, legitur: *Mulier innupta, & Virgo*. In
,, epistola ad Marcellam arguit illud Veteris Versionis ad Romanos 12. *Tempori
,, servientes*; aitque legendum, ut nunc
,, legitur in nostra Vulgata: *Domino servientes*. ,, II. Antiqua Versio Latina, quam Hieronymus emendavit locum habuit in Ecclesia ex testimonio Augustini: ergo non solum non fuit rejecta, sed fuit etiam ab Ecclesia probata, & præcipue a Damaso Pontifice, qui emendationem illam Hieronymo præceperat: ergo nullum erat obstaculum, quin ex hac versione nostra Vulgata conficeretur.

Opponunt I. In Vulgata legitur ad Romanos 12. *Sapere ad sobrietatem*; Hieronymus lib. 1. in Jovinianum legendum vult: *Sapere ad pudicitiam*. In Vulgata legitur 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam*; Hieronymus in cap. 5. Epist. ad Galatas legendum asserit: *Ita ut glorier*. II. Nostra Vulgata in Veteri Testamento differt in multis a Textu Hebræo: ergo nostra Vulgata non est Versio Hieronymi ex Textu Hebræo. III. Non legimus in nostra Vulgata Asteriscos, & obelos, quibus Hieronymus suam Versionem Latinam ex Hebræo factam distinxerat, ut ipse ait in præfat. in Psalmos, & in Job. IV. Nostra Vulgata continet plura, quæ Hieronymus ex Textu hebraico asserit aliter esse legenda: ergo &c. V. Nostra Vulgata Latina non continet eadem verba, quæ continet Textus Hebraici versio latina a Hieronymo facta: ergo &c. VI. Hieronymus Vetus Testamentum transtulit

ex Græca Versione Septuaginta Interpretum, & ex Textu Hebraico: quare ergo nostra Latina Vulgata desumpta est ex una, & non ex altera? vel cur non ex utraque?

Respondemus ad I. quod Hieronymus id ex industria fecit, scilicet, non mutavit in novi Testamenti versione, quæcunque censebat mutanda; & hoc ne majorem incurreret indignationem apud illos, qui antiquæ Versioni se nimis addictos ostendebant. Et hoc ipsemet fatetur in præfatione ad Damasum: *Ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua remanere pateremur, ut fuerant.*

Ad II. dicitur, quod varietas inter Textum Hebraicum, & Vulgatam provenerit, vel a Librariorum oscitantia, & incuria, vel ab eo, quod Hieronymus voluerit magis attendere ad verborum sensum, quam ad verba ipsa; quod ipsemet fatetur, & faciendum quoque in quavis interpretatione jubet in libro de optimo genere interpretandi.

Ad III. Hanc difficultatem solvit ipsemet Hieronymus, qui scribens ad Augustinum in Epistola, quæ est inter Augustini Epistolas 11. declarat, se distinxisse per asteriscos, & obelos libros tantum, quos ex Versione Septuaginta transtulerat, non vero illos, quos verterat ex Textu Hebraico.

Ad IV. Bellarminus apud Justinum respondet: „ Multis de causis accidisse, ut „ quædam sint in nostra Vulgata, quæ „ aliter legenda dixit Hieronymus. Prima „ est error, & incuria Librariorum; secunda varia significatio vocabulorum, „ quæ proinde modo in unum sensum, „ modo in alterum sumpta sunt ab Hieronymo; tertia est quod ipse priorem suam „ sententiam non nunquam mutaverit: ac „ proinde aliter legerit in sua versione, „ quam prius in suis operibus legendum „ duxerat. „

Ad V. Fatemur Versionem Vulgatam non continere in omnibus eadem verba, quæ continet versio a Hieronymo facta ex Textu Hebraico; sed dicimus continere in majori parte; & quum denominatio a majori parte desumatur, inde est, quod asserimus Versionem Vulgatam esse illam in veteri Testamento, quam Hieronymus confecit ex Textu Hebraico.

Ad VI. Responsio est, quod sic placuit Majoribus nostris; uti scilicet in aliquibus libris Veteris Testamenti versione, quam fecerat Hieronymus ex Versione Septuaginta Interpretum; in cæteris vero omnibus uti versione, quam idem Hieronymus fecerat ex Textu Hebraico.

Dicimus II. Versionem Vulgatam Veteris Testamenti fuisse statim admissam in aliquibus Ecclesiis; post Hieronymi mortem fuisse admissam in Ecclesia Romana simul cum Itala; a septimo seculo fuisse admissam solam in omnibus occidentalibus Ecclesiis; Vulgatam vero versionem novi Testamenti statim post sui Editionem locum in Ecclesiis habuisse. Quatuor habet partes Conclusio.

Prima Conclusionis pars probatur. Versio, quam fecit Hieronymus Veteris Testamenti ex Textu Hebraico statim habuit locum in quibusdam Ecclesiis, & non in omnibus: ergo pariter Versio Vulgata, quæ est eadem cum illa. Antecedens probatur ex Apologiis, quas vulgavit Hieronymus pro sua Versione, & ex præfationibus, quas præposuit libris, quos transtulit, & insuper probatur ex Augustino lib. 18. de Civit. Dei cap. 43., quod autem in omnibus Ecclesiis locum non habuerit statim, immo e quibusdam fuerit rejecta probavimus supra Hieronymi pariter, & Augustini verbis.

Secunda pars Conclusionis probatur ex Gregorio Magno. Nuper probavimus, quod Hieronymi Versio simul cum Itala locum habebat in Ecclesia, & quidem hoc fuit post Hieronymi mortem: ergo post Hieronymi mortem Versio Vulgata locum habuit in Ecclesia Romana.

Tertia Conclusionis pars probatur, quia septimo seculo evanuerunt aliæ Versiones, etiam Itala; quia illius nemo meminit post seculum septimum, præter Isidorum Etymol. lib. 6. cap. 5. Immo post Gregorium Magnum apud omnes Occidentales Ecclesiæ in Concionibus, in Theologicis disputationibus, in Synodis, nulla alia Versio fuit in usu, quam Vulgata, tanquam Hebraico Textui magis consona.

Quarta Conclusionis pars probatur. Versio Latina novi Testamenti, quam emendavit Hieronymus ad Textum græcum statim habuit locum in Ecclesiis Occidentalibus: ergo pariter statim habuit locum in iisdem Ecclesiis vulgata Versio, quæ eadem est cum Itala, quam Hieronymus jussu Damasi ad Græcum Textum emendavit. Antecedens est Augustini epist. 10. ad Hieronymum cap. 4. cujus verba retulimus supra, & nunc verba etiam dicimus:

Nos

Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpretatus es; quia pene in omnibus nulla offensio est, cum Scripturam Græcam contulerimus.

Dicimus III. Concilium Tridentinum declarasse authenticam Vulgatam Versionem, sed non in eo sensu, quod Textus Hebraicus & Græcus non sint authentici, nec in eo sensu, quod eam prætulerit fontibus Hebraicis & Græcis; nec in eo sensu, quod in ea nulla errata vel menda omnino reperiantur, sed in eo sensu, quod non sit corrupta in capitibus spectantibus ad fidem & mores, & quod non discrepet a primario & vero sensu divinæ Scripturæ in rebus, quæ magni sunt momenti: Unde Tridentini declarationem esse optime & rite factam. Quinque partes habet Conclusio.

Antequam autem ad probationem deveniamus, Tridentini Decretum referimus, quod habetur sess. 4. decreto de editione & usu Sacrorum Librorum verbis hisce: *Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur Sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & Vulgata Editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu, audeat, vel præsumat.* Contra autem hoc decretum primo oblatrat Calvinus in Antidot. sess. 4. dicens, quod vox illa *authentica* sonat, quod aliqua Versio sit præferenda fontibus Hebraicis, & Græcis; secundo, quod non possit dici authentica, quia multos contineat errores. Ex adverso autem Catholici quidam nimis rigide vocem illam authenticam sumentes, dicunt per illam significari, quod nulla menda, nec levia quidem in Vulgata Versione reperiantur. Insuper quod per illam Concilium declaravit, nec Textum Hebraicum Veteris Testamenti, nec Græcum novi, esse authenticos; hoc est, non esse primævos, ac germanos fontes Scripturarum; vel quod idem est, non esse Textus, quibus a Prophetis & Apostolis libri Canonici primum exarati sunt.

Prima pars Conclusionis probatur I. Authenticitas Versionis Vulgatæ stare potest cum authenticitate Textus Hebraici, & Textus Græci: ergo per hoc, quod declaretur authenticitas Vulgatæ Editionis, inferri minime potest, quod Textus Hebraicus, & Textus Græcus minime sint authentici. II. Concilium Tridentinum declarando authenticitatem Vulgatæ Editionis, nullam mensionem fecit Textus Hebraici & Græci: ergo nunquam in mente habuit, quod Textus Hebraicus & Græcus non sint authentici.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Concilium Tridentinum Vulgatam Editionem, nec comparavit cum fontibus Hebraicis, & Græcis, nec iisdem eam anteposuit: ergo &c. Antecedens patet, quia illorum fontium Concilium nec implicite meminit. II. Mens Concilii erat comparare vulgatam non cum Textu hebraico, & Græco, sed cum aliis Latinis versionibus, quæ tunc temporis circumferebantur: ergo præ his, non præ Textu Hebraico, & Græco, declaravit Concilium vulgatam esse authenticam. Antecedens patet ex verbis ipsiusmet Concilii, quæ nuper attulimus, & quæ hic denuo recitamus: *Considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat.* III. Quia hanc Hæreticorum calumniam contra Tridentinum Concilium apertis verbis restati sunt ex nostris duo gravissimi Scriptores; Bellarminus scilicet, & Salmeron; Primus quidem lib. 2. de Verbo Dei cap. 10. ait: *Hoc ideo mendacium voco, quod nihil ejusmodi in Decreto legatur. Nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt.* Secundus vero Prolegomeno 3. disp. 2. de Latina Versione, scribit: *Nihil ibi de Exemplaribus, aut Græcis, aut Hebraicis, agebatur; tantum inter tot Editiones Latinas, quot nostra secula parturierunt, quænam ex illis præstaret, sermo erat; & rejectis reliquis Latinis, unam hanc Vulgatam, reliquis tanquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, ac suis fontibus, unde est orta magis consentientem, pronuntiavit; atque huic soli, ut commentariis, & Scholiis illustretur, contulit.*

Tertia conclusionis pars probatur I. quia eodem tempore sacra Synodus Tridentina Vulgatæ Versionis authenticitatem declaravit, & emendationem illius præcepit: ergo non judicabat illam a mendis quoque levissimis esse immunem. II. Pius IV., quo sedente, Tridentinum Concilium absolutum est, emendationem vulgatæ versionis præcepit, Pius V. continuavit illam, Sixtus V. perfecit, & deinde Clemens VIII. denuo illam emendatiorem prodire jussit, ut videre est in

præfatione, quæ ad eandem vulgatam præmittitur.

Quarta conclusionis pars probatur I. Mens Tridentini Concilii fuit declarare, quod Vulgata Editio valeat ad faciendum fidem de aliquo; sed hoc importat pariter quod sit authentica: ergo declaratio Concilii de authenticitate Vulgatæ Editionis est simul de validitate ipsius ad faciendam fidem præcipue in rebus fidei, & morum. II. Eo ipso, quod Vulgata Versio non est corrupta, non discrepat a vero Scripturæ sensu; sed Concilium Tridentinum declarans ejus authenticitatem, declarat pariter quod non sit corrupta: ergo Concilium Tridentinum declarans Vulgatæ Editionis authenticitatem, declarat pariter eam a vero Scripturæ sensu non discrepare, saltem in rebus, quæ spectent ad fidem, & ad mores. III. probatur Catholicorum Scriptorum, ac præcipue Theologorum testimonio. Melchior Canus de locis theologicis lib. 2. cap. 13. conclus. 1. ait ,, Editionem hanc veterem atque vulgatam, quam post tempora D. Hieronymi Latina Ecclesia usurpavit, fidelibus esse retinendam in his omnibus, quæ ad fidem & mores spectabunt. ,, Conclus. 2. ,, Si qua morum & fidei quæstio inter Catholicos exoriatur, eam definiri oportere per Latinam hanc veterem Editionem: cujus videlicet si aliquod testimonium alteram quæstionis partem confirmaverit, ea sit Catholicis amplectenda: sin contra reprobaverit, rejicienda. ,, Conclus. 3. ,, In fidei ac morum disputatione non esse nunc temporis ad Hebraica, Græcave Exemplaria provocandum, nec ex iis certam controversiarum fidem esse faciendam. ,, Et conclus. 4. ,, In his, quæ ad fidem & mores pertinent, non esse Latina exemplaria per Hebraica, vel Græca corrigenda. ,, Andræas Vega, qui Concilio Tridentino interfuit, & in præfata sess. 4. fuit præsens, asserit in lib. 15. in Concil. Trident. cap. 9. *Eatenus voluit Synodus, eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, & moribus colligi posset*. Bellarminus lib. 2. cap. 11. de Verbo Dei: *Certos nos voluit reddere Ecclesia in iis præsertim, quæ ad fidem, & mores pertinent, nulla esse in hac Versione Interpretum errata*. Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ, quamvis asserat in vulgata Versione *errata quædam, & leves defectus reperiri*, vult tamen eam esse authenticam, quia: *Certum est neque in veteri, neque in nova Editione, aliquid unquam inventum esse, quod fuerit a veritate christianæ fidei devium, falsum, ac mendax, vel contrarium dogmatibus, ac regulis orthodoxis, vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præjudicium veritatis omissum, vel adeo depravatum, ut occasionem perniciose errandi attulerit*. Cardinalis Sfortia Pallavicinus lib. 6. histor. Concil. Trid. cap. 17. *Neque data opera corruptam in quacunque parte quantumvis minima, & ad præcipuam rei sententiam non spectante: neque unquam plane ex inconsiderantia ab archetypo difformem in iis, quæ rem constituunt.*

Quinta Conclusionis pars, quod scilicet Concilium Tridentinum rite ac recte authenticitatem Vulgatæ Versionis declaraverit probatur I. Versio, qua sola usa est Ecclesia Catholica in Occidente potuit ut authentica ab Ecclesia declarari; sed sic fuit vulgata versio ut probatum est superius: ergo potuit ab Ecclesia ut authentica declarari. II. Negari non potest in Ecclesia potestas declarandi authenticitatem sacrorum librorum, aliter homines legendo illos se exponerent errandi periculo: ergo potuit Concilium Tridentinum vulgatæ Versionis authenticitatem declarare.

Opponunt I. Vel ante Concilium Tridentinum erat præceptum Ecclesiæ sequendi Vulgatam Versionem; vel non erat? Si non erat: cur ergo hoc præceptum imposuit Concilium Tridentinum? Si erat frustra etiam a Concilio Tridentino fuit impositum. II. Hugo Victorinus videtur asserere fuisse ante Concilium Tridentinum præceptum de usu Vulgatæ Editionis verbis hisce, quæ scripsit in lib. de scripturis cap. 9. *Ecclesia Christi per universam Latinitatem .... versionem hanc solam legendam, & in authoritate habendam constituit*. III. Si in Vulgata Versione essent aliqua menda posset a nobis rejici; sed non potest rejici: ergo in ea nulla sunt menda. Minor probatur ex verbis Concilii Tridentini superius relatis, quæ sunt: *Ut nemo illam rejicere, quovis prætextu, audeat vel præsumat*. IV. Augustinus epist. 10. asserit Hieronymum in sua Versione ex Hebræo in Latinum falli potuisse: *Unde etiam nobis videtur, aliquando te quoque in nonnullis falli potuisse*; sed hæc Hieronymi versio est Vulgata versio: ergo potuit non esse authentica: ergo non bene eam Concilium Tridentinum authenticam declaravit.

Re-

Respondemus ad I. quod nulla invenitur in Ecclesia constitutio ante Concilium Tridentinum, quæ positive præscribat Vulgatæ versionis usum. Hoc tamen non obstante potuit illum præcipere Concilium; & quia tunc temporis utilitas Ecclesiæ id poscebat, & necessitas quoque urgebat propter Novatores, qui sub Sacrarum Scripturarum falsa intelligentia Ecclesiam quam maxime perturbabant.

Ad II. Hugo Victorinus intelligendus est de consuetudine, quæ sensim introducta est in Ecclesiam Occidentalem utendi Vulgata versione, quia consuetudo etiam vim legis habet.

Ad III. Verba Concilii Tridentini intelligenda sunt de rebus, quæ ad fidem, & mores spectant, & in hoc sensu nemo potest Vulgatam versionem rejicere. De levibus vero mendis videatur quod scribit Bellarminus in Epistola ad Lucam Brugensem, a quo acceperat libellum de Correctione Vulgatæ: *De libello ad me misso, gratias ago; sed scias velim Biblia Vulgata non esse a nobis accuratissime castigata; multa enim de industria, multis de causis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur.*

Ad IV. Aliud est errare potuisse, aliud est errasse. Potuit quidem Author Vulgatæ Versionis errare, ut asserit Augustinus; sed non erravit, ut Tridentinum Concilium declaravit, definiendo nimirum Vulgatam ipsam versionem in iis, quæ ad fidem, aut mores spectant, a genuino & primævo Scripturarum Textu non discrepare, ac per consequens illius authorem in iis, quæ spectant ad fidem, aut mores, non errasse.

Denique de Vernaculis Bibliorum Versionibus asserimus I. quod si illæ fiant a Catholicis, & necessariis facultatibus non sint destitutæ, nec præceptum habemus legendi eas, nec præceptum non legendi. Si vero fiant ab Hæreticis, uti fuerunt illæ factæ a Vvaldensibus, a Vviclephistis, Luteranis, & Calvinistis, has ab Ecclesia prohibitum est legere. II. Quod potest Ecclesia pro loci, temporis, & personarum ratione Vernacularum versionum, etiam Catholicarum, lectionem interdicere. Quæ omnia patent ex quarta Judicis librorum prohibitorum regula, qui quidem Judex ejusdem Tridentini Concilii jussu editus est, & in qua regula hæc leguntur: *Cum experimento manifestum sit si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis, oriri; hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum Consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum a Catholicis Authoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis argumentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque ea facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.* Ex quibus verbis ait Juenimus damnari has sequentes Hæreticorum assertiones: „ Nos affirmamus 1. Scripturarum lectionem cunctis hominibus communem fieri debere: „ 2. Nullos quantumvis imperitos, ab earum lectione arcendos, aut deterrendos „ esse. 3. Sed excitandos potius omnes ad „ eas sæpe & diligenter legendas. 4. Idque „ non modo, si concessa a Prælatis copia „ legendi fuerit, sed etiam quantumvis illi „ Ordinarii, & Confessores prohibuerint. „ Unde Clemens XI. in Constitutione *Unigenitus* has Quenellii propositiones damnavit; nempe 70. *Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi, studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria scripturæ.* Et 80. *Lectio Scripturæ est pro omnibus*; & præter has quoque proscripsit propositiones 81. 82. 83. 84. & 85.

DIS-

DISSERTAT. CCLXXXII.

De Sacræ Scripturæ inspiratione. An quicquid extat in Scripturis, sit divinitus revelatum, aut inspiratum? An inspiratio hæc sit pro rebus, seu pro sententiis, an quoque pro verbis? Et an denique pro verborum serie, aut structura, seu stylo? Et quænam sit differentia inter revelationem, inspirationem, & directionem, seu specialem adsistentiam?

CONveniunt quidem omnes Catholici, Sacros Libros fuisse a Sacris Scriptoribus exaratos per Dei inspirationem; at non conveniunt in explicando modo, quo Deus Scriptores Sacros inspiraverit, & in quibus. Proinde hic scire oportet in Sacris Scriptoribus triplicem distingui posse Dei operationem, nempe revelationem, inspirationem, ac specialem directionem, seu adsistentiam. Revelatio si proprie ac stricte accipiatur, est declaratio, seu manifestatio a Deo facta rei, quæ fuerit ante ignota: Inspiratio vero est motus quidam, seu incitatio interior, qua Deus movet, & excitat Scriptorem ad scribendum, & ad delectum eorum, quæ vult ut ab eo scribantur: assistentia vero, seu specialis directio, est Sancti Spiritus singulare auxilium, quo fit, ut scriptor nihil falsi scribere possit.

Ulterius tria pariter in sacris literis distingui possunt nimirum res, seu sententiæ, verba, & verborum ordo, seu stylus. Res, seu sententiæ verbis exprimuntur, & sunt vel dogmata quædam, quæ fidem & mores spectant, vel præteritorum temporum historiæ, vel prædictiones futurorum, vel Leges, ac præcepta quædam, quibus homines retrahuntur a vitiis, & ad virtutes informantur. Antequam autem nos ad Conclusiones nostras defendendas deveniamus, primo loco oportet nonnullorum Hæreticorum errores recitare. Secundo vero loco Catholicorum Theologorum sententias referre.

Primo igitur est error Anomæorum, quem postremis temporibus Erasmus renovavit, & de eo sic loquitur Bellarminus lib.1. de Verbo Dei cap.6. qui citatur ab Apologetica censura Lovaniensi pag.37. *Postrema eorum hæresis est, qui in ipsis B.Pauli Epistolis, aliisque Sacris ac divinis Libris, non omnia scripta esse volunt, dictante Spiritu Sancto, sed aliqua interdum sola providentia ac ratione humana duce. Quo circa totam Epistolam ad Philemonem, ut ore humano scriptam contempserunt. Laborabant olim hoc errore tum Anomæi apud Epiphan.&c. alii quidam apud Hieronym. in c.5. Michææ, & præfatione Commentarii Epistolæ ad Philemon. & apud Augustinum lib.2. contra adversar. legis & prophet. cap. 2. nostro seculo tandem hæresim Erasmus renovavit.*

Secundo errarunt alii scribentes Sacros Scriptores præcipue Historicos a Spiritu Sancto minime inspiratos scripsisse, quod non oporteat illos, qui Historias scribunt, esse Prophetas. Pro hoc errore citantur a Cherubino a S. Joseph, Carmelita discalceato in Criticæ sacræ Summa tom. 4. disp. 1. art. 4.; Grotius, Rivetus, Spinosa, &c. Refert insuper, quæ de his, quos citavit narrat Simonius in Histor. Critic. Novi Testam. cap. 23. *Si Lucas, divino afflatu dictante, sua scripsisset, inde potius sumpsisset authoritatem, ut Prophetæ faciunt, quam a testibus, quorum fidem est sequutus; sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Pariter refert de

Spi-

Spinosa diceare in tract. theolog. polit. cap. 11. *Dubitare possumus, num Apostoli, tanquam Prophetæ, ex revelatione divina, & expresso mandato, ut Moyses, Jeremias, & alii, an vero, ut privati, tanquam Doctores, Epistolas scripserint. Si ad eorum stylum attendere volumus, a stylo prophetiæ alienissimum inveniemus. Nam Prophetis usitatissimum erat ubique testari, se ex Dei edicto loqui; nempe: Sic dicit Deus: Ait Deus Exercituum: Edictum Dei &c. Atque hoc non tantum videtur locum habere in publicis Prophetarum concionibus, sed etiam in Epistolis, quæ revelationes continebant.*

Tertio de Fausto Socino, & de ejus sequacibus Socinianis hæc refert Spanhemius in Elencho Controversiarum cum Socinianis apud citatum Cherubinum: *An Scriptores Sacri quædam nonnunquam scripserint motu proprio, optimo quidem & pio, sed tamen citra ductum internum Spiritus Sancti (Si non prophetica, aut quæ ad doctrinam fidei spectant, saltem historica, & quæ minus faciunt ad fidem...) affirmant Sociniani, negant Orthodoxi.*

Quarto Authur quidam Anglus Sacrorum librorum inspirationem negavit, cujus meminit author etiam Anglus, Dominus Lamothe; ut videre apud Cherubinum citatum.

Quinto erravit Simonius in novis observationibus super novum Testamentum cap. 5. asserens, Sacros Scriptores interdum memoriæ lapsum fuisse passos circa res fidei; videatur citatus Cherubinus.

Sexto Catholicorum opiniones referentes, ponimus primam, quæ vult, non tantum res, & sententias, sed etiam singula verba, immo & apices verborum, stylum ac sermonis texturam, a Spiritu Sancto inspirante, ac movente, provenisse. Ita Theologi Lovanienses, & Duacenses in censura anni 1588. De secunda sententia hæc scribit Tournely: „ Secunda priori e diametro contraria, nec verba, nec ipsas etiam res, seu sententias, inspirationi divinæ ascribi debere, quod nempe Prophetæ & Apostoli in multis, ut homines plerumque loquuti fuerint; memoria lapsi, ac humanis affectibus abrepti. Ita quondam Anomæi, referente S. Epiphanio heresi 76. & inter Recentiores Erasmus, & Author Anonymus cujusdam Commonitorii, de quo in 11. & 12. epistola Scriptoris Gallici, cui titulus: *Sentimens de quelques Theologiens d'Hollande, &c.* quin & ipse impius Spinosa in tractatu theolog. politic., contendunt revelationem, & inspirationem accommodari, tum ad indolem, tum ad vim imaginandi, tum ad præconceptas opiniones Prophetarum etiam falsas, quibus Deum etiam usum fuisse putant, ut voluntatem suam declararet. „ Tertia, quæ est inter has duas media, vult, neque verba, neque stylum, neque omnes omnino sententias, & historias, esse a Spiritu Sancto specialiter revelante, seu inspirante, sed dirigente dumtaxat, & assistente, ne quis unquam irrepat error. Et hæc tribuitur nonnullis Societatis Jesu Theologis, quibuscum Duacenses, & Lovanienses Doctores dissidium habuisse, refert citatus Tournely.

Septimo aliorum Catholicorum Theologorum placita & verba referimus, quæ pariter a citato Cherubino referuntur. Cardinalis Cajetanus in cap. 1. Lucæ ad ea verba: *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsa viderunt*, hæc scribit: *Originem plenissimæ scientiæ declarat traditionem Apostolicam; unde clare apparet, Lucam scripsisse, ex auditu ab Apostolis, & non revelatione sibi immediate facta, divina tamen gratia dirigente & servante, ne in aliquo erraret.* Scalante lib. 1. clypei concionator. c. 4. *Donum Spiritus Sancti circa materiam propositam, trifariam potest considerari. Primo, si Deus alicui ad scribendum revelaverit; non res solum, sed singula verba, per lumen internum. Secundo si dignatus fuerit alicui pandere mysteria, non tamen ad ea exaranda, verba suppeditaverit. Tertio, si Scriptori neque res aperuerit lumine superno, neque verba suggesserit, sed tantum incitaverit ipsum instinctu divino ad scribendum quæ oculis vidisset, aut a testibus fidelibus audiisset, vel denique lectione quorundam voluminum didicisset, assistente jugiter, dum scribit, Spiritu veritatis, ne ullatenus errare, aut decipi possit.* Frassen disquisitionum Biblicarum cap. 6. de edit. vulgata §. 3. „ Præsupponendum est Spiritum Sanctum tribus modis se habere ad veritatem & certitudinem scripturæ alicujus, nempe antecedenter & concomitanter, & consequenter. Antecedenter se habet dum inspirat, revelat, demonstrat, quæ dicenda, scribendave sunt, ita ut de suo proprio genio nihil addat Scriptor, sed ea dumtaxat scribat, quæ a Spiritu Sancto inspirata, revelataque sunt, ad eum modum, quo discipulus Magister dictante excipit quæ ab eo præferuntur. Concomitanter ad Scriptorem sacrum se habet Spiritus Sanctus, cum non agit vices inspirantis & docentis, sed

„ so-

solum dirigentis ; ut Scriptorem in nullo errare, fallique permittat ; qualiter se habuisse videtur in texendis libris sacris, qui Historias, & ab aliis gesta referunt ; quales sunt Libri Judicum, Regum, Machabæorum. Evangeliorum, Acta Apostolorum, &c. Consequenter se habet ad al quam Scripturam, cum aliquid humano Spiritu, & absque ulla speciali ope, directione, & assistentia, a quopiam homine fuit conscriptum. Postea tamen Spiritus Sancti instinctu verum & certum esse declaratur ; licet enim hujusmodi, Scriptura ex parte sui authoris, nonnisi fidem humanam mereatur, quia tamen testimonio divino ejus veritas comprobatur, nullus est christianus, qui ut illi adhibeat assensum, fide divina se non existimet adactum. Tunc enim certum est hæc verba eandem infallibilitatem habitura, quam habent cætera, quæ inspiratione, vel directione ejusdem Spiritus Sancti conscripta sunt „ Bellarminus loco citato : *Deum quidem authorem esse dicit omnium divinarum Scripturarum, aliter tamen adesse solitum Prophetis, aliter aliis, præsertim Historicis. Nam Prophetis revelabat futura, & simul assistebat, ne aliquid falsi admiscerent in scribendo. Et ideo Propheta non alium habuerunt laborem, quam scribendi, vel dictandi. Alii autem Scriptoribus Deus non semper revelabat ea, quæ scripturi erant, sed excitabat, ut scriberent ea, quæ viderant, vel audierant, quorum recordabantur, & simul assistebat, ne falsi aliquid scriberent. Quæ assistentia non faciebat ne laborarent in cogitando & quærendo quid, & quomodo scripturi essent.* Melchior Canus lib. 2. de locis cap. 17. „ Sive ergo Matthæus & Joannes, sive Marcus & Lucas, quanvis illi visa, hi audita, referrent, non egerint quidem nova Spiritus Sancti revelatione; egebant tamen peculiari Spiritus Sancti directione „. Et rursus l. 2. c. 18. Quæ sacri anthores scripserunt, hæc in duplici sunt differentia. Quædam, quæ supernaturali tantum revelatione cognoscebant. Et ea Basilius tradit a Spiritu Sancto esse ; alia vero naturali cognitione tenebant, quæ scilicet aut oculis viderant, aut manibus attrectaverant. Atque hæc quidem, ut jam diximus, supernaturali lumine, & expressa revelatione, ut scriberentur, non egebant, sed egebant tamen Spiritus Sancti præsentia, & auxilio peculiari, ut, licet & humana essent, & naturæ ratione cognita, divinitus tamen sine ullo errore scriberentur. Hæc vero illa sunt, quæ juxta Basilium, Paulus & Prophetæ de suo loquebantur „. Cornelius a Lapide in 1. ad Timotheum 2. 3. v. 16. *Nota Spiritum Sanctum non eodem modo dictasse omnes Sacras Litteras ; nam legem & Prophetas ad verbum revelavit, & dictavit Moysi, & Prophetis. Historias vero, & morales exhortationes, quas antea, vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione, didicerant, ipsi Scriptores Hagiographi, non fuit necesse inspirari, aut dictari a Spiritu Sancto, utpote cum eas scirent, aut callerent ipsi Scriptores. Sic S. Joannes dicit, se scribere quæ vidit, S. Lucas vero c. 1. v. 2. dicit se scribere Evangelium quod audivit, & traditione accepit ab Apostolis.*

Dicimus I. singulas Canonicorum Librorum particulas a Sacris Scriptoribus Spiritu Sancto assistente, fuisse scriptas.

I. Probatur. Si contraria opinio subsisteret Sacrarum Scripturarum authoritas magna ex parte labefactaretur ; sed hoc impium est dicere : ergo & unde sequitur. Major est Augustini epist. 8. & 19. ad Hieronymum ; & refertur c. si ad Scripturas, & c. Ego solis dist. 9. ubi Augustinus docet, quod si in sacro quovis libro unaquælibet falsitas reperiretur, totius libri certitudo interiret. Eodem argumento utitur Augustinus de consensu Evangel. lib. 2. cap. 12. ubi satis ostensum ac patefactum esse credit, Prophetarum, & Apostolorum scripta nullam omnino habere falsitatem, non solum eam, quæ mentiendo promitur, sed ne eam quidem, quæ obliviscendo; ut ait Canus.

II. Probatur. Si semel admitteretur Spiritum Sanctum astitisse Sacris Scriptoribus in rebus gravibus, non vero in levibus, tota Scriptura perturbaretur ; sed hoc non est dicendum : ergo &c. Probatur major ; nam innumeræ & interminabiles essent quæstiones, ut discerneretur quæ essent res graves, & quæ leves ? In quibus Spiritus Sanctus astiteris, & in quibus non ? Quas res affirmare deberemus, & de quibus licitum esset dubitare, vel eas etiam negare ? Quæ quidem summa esset & perniciosa nimis Scripturarum perturbatio.

III. Probatur. Spiritus Sanctus proculdubio assistebat Apostolis, & Evangelistis concionantibus : ergo multo magis assistebat illis scribentibus : sed non solum assistebat illis concionantibus, quando loquebantur de iis, quæ sibi fuerant revelata; verum quoque quando prædicabant illa, quæ ab aliis audierant ; ergo iisdem assistebat

flebat non solum quando scribebant illa, quæ sibi fuerant revelata, verum etiam quando scribebant illa, quæ ab aliis audierant. Minor subsumpta probatur; quia aliter Judæi dictorum falsitatem ipsis objecissent; sciebant enim Judæi ea, quæ Apostoli, & Evangelistæ ab aliis audierant; unde si aliter ab his narrata fuissent, illico dictorum falsitatem objecissent.

IV. Probatur ex Patribus. Chrysostomus homil. 15. in cap. 15. Genes. *Ut omnia diligenter interpretantes, doceamus vos, neque dictionem parvam, neque syllabam, in divinis litteris contentam, esse prætereundam. Non enim verba tantum sunt, sed & Spiritus Sancti verba. Et propterea magnum thesaurum invenire licet etiam in una dictione.* Et homil. 1. ad Populum Antiochænum: *Ostendamus in Scripturis nihil superfluum esse, nihil frustra prolatum. Si quis Philosophiæ amator, & spiritualis auscultationis amicus sit, audiat quam non sint frustra, & sranter posita, quæ in Scripturis videntur esse minima.* Et in cap. 6. Isaiæ homil. 2. *Hæc mihi non temere dicta sunt, neque fortuito produxi sermonem, sed ob id, quod sint homines quidam opifices, qui postquam sacras litteras in manus sumpserint, deinde repererint, vel annorum numerum positum, vel nominum recensionem illico prætermittunt, & monefacientibus respondent: Nomina tantum sunt, neque quidquam habent utilitatis; Quid ais Deus loquitur, & tu audes dicere, nulla est dictorum utilitas? Etenim si ad nudam inscriptionem aspexeris tantum, dic mihi, nonne opertas, cum omni studio, repositasque scrutaberis opes? Sed quid loquor de temporibus, de nominibus, & titulis? Disce quantum valeat unius tantum litterulæ adjectio, & desine contemnere nomina.* Nyssenus orat. 1. *Si idem dixerim esse faciamus hominem ad imaginem, & faciamus ad similitudinem, scriptorem accusabimus. Dicere autem verbum aliquod in script. redundare, est grave nefas. Quod si nihil redundat, nihil est inane, nihil supervacaneum.* Ambrosius de Paradiso cap. 3. *In scripturis divinis non facile reprehendimus aliquid, quod intelligere non possumus.* Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 3. *De illa omnino dubitari, & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit quicquid in ea scriptum esse constiterit.*

Dicimus II. Prophetias, & omnia fidei mysteria, fuisse immediate a Spiritu Sancto Sacris Scriptoribus revelata; historias & facta fuisse scripta non per revelationem, sed per inspirationem, quia illa propriis oculis usurpaverant, assistente semper Spiritu Sancto, ne quid falsi scriberent; verba denique, ac verborum ordinem, seu stylum, fuisse commissa cujuslibet Scriptoris ingenio, & indoli.

Prima Conclusionis pars probatur ex verbis, quæ libris suis Prophetæ præmittunt; nimirum: *& Dominus loquutus est ad me: Ecce videbam*; & alia similia. Insuper Matthæi 16. *Beatus es, Simon Bar jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est.* Et Apocalypsis 1. *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito: & significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni. Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu Christi, quæcunque vidit.*

Secunda Conclusionis pars probatur I. Joannes epist. 1. cap. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ; & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis.* Et Lucæ 1. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Visum est & mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* II. Revelatio est rei incognitæ manifestatio: sed res, quæ gestæ erant coram Apostolis, & aliis quoque ex Judæis, non erant incognitæ: ergo pro illis scribendis non erat necessaria revelatio. III. Ut ait Tournely: „ Pariter necessaria non videtur fuisse specialis revelatio, ut narraretur, quomodo Tobiæ canis blandiente cauda herum suum anteverterit. Quomodo auctor lib. 2. Mac. ea, quæ a Jasone Cyrenæo quinque libris fusius scripta, & enarrata fuerant, ipse contraxerit, & uno breviore volumine collegerit. Quomodo S. Paulus moneat Timoth. ut penulam, quam reliquerat Troade apud Carpum, veniens secum afferret, & ut fideles salutaret. At res hujuscemodi scribendas non revelatione proprie dicta opus fuit, sed tantum inspiratione ut scriberentur, & assistentia, seu directione Spiritus Sancti, ne quid falsi scriberetur. „

Tertia Conclusionis pars probatur I. quia in Sacris Libris diversus, & inæqualis

est scribendi modus; qui scilicet varie efformatur ab ingenio, ab educatione, a peritia, vel imperitia Scriptorum. II. Quia citatus Tournely ad particularia descendens, hæc habet: „ Grandis ac „ vehemens sermo Prophetarum, ad exci- „ tandos pios affectus opportune compara- „ tus. Vivida rerum apud ipsos imago, & „ pictura. Legatur v. gr. descriptio resur- „ rectionis corporum apud Ezechielem c. „ 37. nihil ad vivum melius expressum. „ Videas quasi oculis subjecta ossa commo- „ veri: accedere ossa ad ossa, unumquod- „ que ad juncturam suam: nervos extendi, „ carnes succrescere &c. Historiarum vero „ stylus purus, & æquabili brevitate pro- „ fluit; non conquisitis ornamentis turgi- „ dus, sed in narratione rerum, quæ plus „ habent admirationis, simplex, & aper- „ tus. Canticorum ac Psalmorum concita- „ tior oratio. Lenis vero est, ac placida, „ perspicuaque legum ac præceptorum ex- „ positio. Isaiæ, viri nobilis, & urbani, „ orationem elegantem commendat S. Hie- „ ronymus. Ezechielis vero sermonem nec „ satis disertum, nec admodum rusticum, „ sed ex utroque temperatum esse pronun- „ tiat. Amos vero in lata Eremi vastitate „ inter leones degentem, rusticitate qua- „ dam durum, ac incultum, ait, *artis suæ* „ *usum esse sermo ibus, ut vocem Domini ter-* „ *ribilem, atque metuendam, rugitum leonum,* „ *& fremitum nominaret*. Pariter inter Scri- „ ptores novi Testamenti, Sanctus Lucas, „ quia græce peritus erat, eleg antius scri- „ bit, quam S. Marcus, & S. Joannes, „ sicut observat idem S. Hieronymus.

Arguunt I. 7. ad Corinth. 7. Apostolus fatetur pœnitentiam in se habuisse reprehensionis, quam in præcedenti epistola Corinthiis fecerat; sed pœnitentia supponit errorem: ergo Apostolus erravit, quando Corinthios reprehendit. II. In eadem Epist. cap. 11. Apostolus se dicit insipientem, & in insipientia loqui; sed qui insipiens est, errat: ergo Apostolus se dicit, vel errasse, vel errare. III. In eadem epistola Apostolus corrigit se ipsum: quum enim dixisset, se plus omnibus laborasse, deinde se corrigens, dicit: *Non autem Ego, sed gratia Dei mecum*; sed ubi est correctio ibi est error: ergo &c. IV. Sacri Scriptores non semper habuerunt in se spiritum loquentem: ergo aliquando errarunt. Probatur antecedens. Nec humana imbecillitas potuisset unum Spiritus Sancti tenorem tam longo orationis decursu ferre; nec dignum est, ut ad nostras naturales necessitates Spiritus Sancti majestatem sine caussa deducamus. V. Joannis 1. dicitur, quod Christi Domini privilegium singulare fuerit, ut Spiritus Sanctus super ipsum descenderet, & maneret: ergo & si descenderit Spiritus Sanctus super Canonicos Scriptores in iis, quæ gravia erant, in levibus tamen non mansit, quia aliter idem ac Christus privilegium habuissent. VI. Apostolus in 1. epist. ad Corinth. dicit, aliqua præcipi a Domino, aliqua vero præcipi non a Domino, sed a seipso: ergo Apostolus non omnia scribebat ex interna Spiritus Sancti revelatione, quia aliter semper dixisset, Dominum præcipere, non seipsum. VII. Si quæcunque precepit Apostolus, præcepisset Christus, Ecclesia non posset in iis dispensare; sed dispensat: ergo præcepit Apostolus, & non Christus. Probatur minor. Apostolus præcipit, ut Episcopus non sit Bigamus; hoc est, ut sit unius uxoris vir; sed Ecclesia in hoc dispensat: ergo &c. VIII. Potest sane dici, quod Sacri scriptores aliquod falsum scripserint per memoriæ lapsum, & quod Dominus falli permiserit, absque eo quod lapsus fidei divinæ Scripturæ derogaret immo potius fidem arrogaret; & hic fuit error Erasmi in cap. 2. Matthæi in annotat. super illa verba: *Et tu Bethlehem &c. Ut Spiritus Divinus, mentium Apostolicarum moderator, passus est suos ignorare quedam, & labi; errareque alicubi judicio, sive affectu.... ita fieri potuit, ut ita temperarit organum Apostolicæ memoriæ, ut si quid humano more fugisset, id non solum non deroget fidei divinæ Scripturæ, verum etiam fidem arroget*. IX. Petrum Paulus reprehendit, ut habetur ad Galat. 2., vel ergo reprehensio Pauli fuit recte facta, & dicendum est, Petrum errasse: vel non fuit recte facta, & dicendum est, errasse Paulum. X. Actor 15. habetur dissensisse inter se Paulum, & Barnabam; hoc, ait Erasmus fieri non potuit, nisi alteruter errante: ergo, vel Paulus, vel Barnabas, erravit.

Respondemus ad I. Per verbum illud, *pœnitet me*, non intelligere Apostolum retractationem, aut resipiscentiam, sed potius displicentiam, vel dolorem, quia Corinth. contristaverat. Et quia deinde addidit Apostolus se de illa contristatione gaudere, nullo modo dici potest, quod intervenerit error; nunquam enim Paulus gavisus de errore fuisset.

Ad II. Dicit S. Thomas ad verba illa, qui addu-

adducitur a Cherubino citato: *Dicit Apostolus, confiteor, quod in his omnibus commendationibus meis factus sum insipiens, idest, videtur vobis, quod opus insipientis fecerim.* Et addit: *Frequenter subditi cogunt Prælatos, aliqua facere, quæ insipienter facta esse videri possunt, sed pro loco, & tempore sapienter facta sunt.* Cæterum verborum illorum sensus est, non quod Apostolus fuerit insipiens, sed, quod dixerit visum fuerit insipientiæ speciem habuisse. Dicebat igitur: *Loquor quasi insipiens*; quia qui se commendat, insipiens haberi solet, non vero sapiens. Ex hoc autem, quod quis se gerit ut insipientem, & quod hoc ex sapientia facit, minime sequitur ipsum esse insipientem.

Ad III. Nulla fuit correctio, quam sibi ipsi fecisset Apostolus in allato loco, quia nullus fuit error, exorbitantia nulla. Et si enim Apostolus dixisset, *plus omnibus laboravi*; hoc tamen suis non tribuebat viribus, quia jam dixerat; *non sumus sufficientes aliquid cogitare, quasi ex nobis*; igitur quando illa dixit, non incaute loquutus est, aut non satis attendens ad ea, quæ loquebatur; sed quum sciret verum esse, quod dixerat, noluit sibi ipsi gloriam tribuere, sed totam Deo, & gratiæ ejus detulit, dicens: *Non autem Ego; sed gratia Dei mecum.*

Ad IV. Hæc reponit Canus de locis theolog. lib. 2. cap. 18. "Fateor enim non singulas Scripturæ particulas, ut a Sacris auctoribus scriberentur, propria & expressa revelatione indiguisse, sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritus Sancti instinctu, afflatuque, vere, & jure contendo. Ille Christus ait, vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Alias etiam oblita suggeret, alias etiam vestris auribus audita suggeret, quæ alias natura sponteque sua in mentem venire poterant, ea quoque suggeret, non supernaturalia modo, sed & naturalia suggeret, & quæ alias humano more scriberentur. Omnia, inquit, quæcunque dixi vobis. Atque Apostolus, Nos ait non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Spiritualis enim judicat omnia, sicut scriptum est: Quis cognovit sensum Domini? Nos autem sensum Christi habemus. Ecce Apostoli, in quorum nomine Paulus loquitur, ad doctrinam Spiritus edendam spiritum accepere, per quem in Christi sensu omnia judicabant; nimirum animalia illa oculis undique plena ad expressionem quatuor Evangelistarum posita, per Scriptores omnes sacros transferre merito, & optimo jure possumus. Nihil ergo Authores sacri cæcis oculis scribebant: sed scribentium calamum Spiritus Ipse attemperabat, ne scribendo laberentur."

Ad V. Cherubinus citatus pariter respondet: "Christum, & Sacros Scriptores, nonnisi unam constituere Scripturæ causam integram, nimirum principalem, & instrumentalem. Unde non ipsis tribueretur error Scriptoribus, sed Christo. Quare cum ipse Christus sit veritas, ac tantum veritas, fieri nequit, ut in suis instrumentis, quæ applicat ac dirigit, inveniatur falsitas." Verum nos dicimus, quod differentia inter Christum, & Sacros Scriptores stat in hoc, quod quum Christus sit Homo-Deus, privilegium illud a semetipso habet; Sacri autem Scriptores quum puri homines sint, a Spiritu Sancto habere debent. Et quum Christus a semetipso habeat, inde est, quod in omnibus verbis ejus, scriptis, aliisque factis ostendere illud poterat, & eo uti; Sacri autem Scriptores illud non habuerunt, nisi quando a Deo excitati, & interius impulsi ea scribebant, quæ Deus volebat, ut scriberent ad Ecclesiam suam docendam.

Ad VI. Jam diximus alibi Sacros Scriptores fuisse caussam instrumentalem Canonicorum Librorum, quorum Deus solummodo caussa principalis erat. At quia, hoc non obstante, possunt Adversarii instare per nostram responsionem confirmari, utrumque fuisse caussam, quanvis unus fuerit principalis alter instrumentalis, per verba tamen Apostoli unum ab altero excludi: attamen nos ad hoc dicimus, exclusionem appellare præceptum, non scriptionem; aliud enim est, quod præcipiat Apostolus, & non Christus; aliud vero quod Apostolus scribat, & Spiritus Sanctus ei non adsistat. Et de facto quæ præcipiebat Christus, præcepta in Ecclesia sunt; quæ vero præcipiebat Apostolus, & non Christus, sunt consilia tantum. Sive vero Christus præciperet, sive Apostolus, semper Apostolus ex Spiritus Sancti assistentia scribebat.

Ad VII. Præcepta, quæ nobis dederunt

Apostoli duplicis generis sunt, alia divina, & in his Ecclesia dispensare non potest, alia Ecclesiastica, & in his dispensare potest. Præceptum quod Episcopus non sit Bigamus, est secundi generis præceptorum, non vero primi; & ideo Ecclesia aliquando dispensat, quamvis raro hoc faciat. Audiatur Melchior Canus, ad rem nostram aptissime scribens de locis theolog. lib. 2. cap. 18. „ Nam Pauli præceptum de non ordinando Episcopo, qui bigamus fuerit, secundi generis est, id est, humanum & Ecclesiasticum, cujus proinde vinculum solvere Ecclesia jure suo potest. Sed id tamen nisi semel, aut iterum, & gravi etiam urgente causa, non fecit. Nec id nisi summo Pontifici permissum in Ecclesia est: nam Episcopis contra Apostolum dispensare cum bigamis non licet: ut Lucius, & Innocentius tradunt. Divus vero Augustinus de legibus primi generis loquebatur, quas si Christus ipse tulerit, ut quæ vere, & proprie divinæ, & Evangelicæ sunt, nemo aut possit, aut ausit immutare. „

Ad VIII. cum Hieronymo lib. 1. Comment. in c. 2. Matth. super verba: *In Bethlehem Judæ:* dicimus, Librariorum errorem hunc fuisse, non lapsum memoriæ sacri Scriptoris. Nam cum Spiritu Sancto assistente singulæ particulæ sacræ Scripturæ fuerint conscriptæ, memoriæ lapsum pati non poterant, juxta dicta superius Conclus. 1. & probat. 2. Erasmus vero, qui sacris, & canonicis Scriptoribus memoriæ lapsum tribuit, & in levioribus quibusdam errasse, non sine ingenti errore id asseruit. Hoc autem si semel admissum fuerit, sacram Scripturam vacillare, ejusque authoritatem labefactari manifeste patet, lapsus memoriæ prætextu.

Ad IX. & X. dicimus argumenta proposita esse extra rem nostram, quia nos loquimur de scriptis, non de factis sacrorum Scriptorum. Si quid autem in his duobus factis, quæ opponit sit, quod nostra egeat responsione, suo loco dabitur.

DISSERTAT. CCLXXXIII.

De multiplici Sacræ Scripturæ sensu, & de multiplici sacrorum Librorum divisione. An Sacra Scriptura sit aperta, & omnibus manifesta? Qui sensus aliis sit præferendus? Ad quem spectet germanum Sacræ Scripturæ sensum tradere? An bona sit divisio Sacrorum Librorum, tam veteris, quam novi Testamenti, in Legales, Historicos, Sapientiales, & Propheticos?

PRIMO loco erravit Lutherus, volens divinas Scripturas esse apertas omnibus ac manifestas; unde asseruit præfatione in assertiones articulorum a Leone X. damnatorum: „ Oportet Scriptura judice hic sententiam ferre. Quod fieri non potest, nisi Scripturæ dederimus principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus, hoc est ut sit ipsa per se certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres omnium, omnia probans, judicans, ac illuminans „. Et de servo arbitrio: „ Esse in scriptura quædam abstrusa, & non omnia exposita, invulgatum est quidem per impios sophistas, quorum ore, & tu loqueris, Erasme; Sed nunquam unum articulum produxerunt, nec perducere possunt, quo suam hanc insaniam probarent. Talibus larvis Sathan nos absterruit a sacris literis, & reddidit Scripturam sanctam contemtibilem, ut suas pestes in Ecclesia faceret regnare. Hoc sane fateor esse multa loca in Scripturis obscura, & abstrusa, non ob majestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum, & Grammaticæ, sed

„ quæ

„ quæ nihil impediant scientiam omnium rerum in Scripturis. Res in scripturis contentæ, sunt omnes proditæ; licet quædam loca adhuc verbis incognitis obscura sint. Stultum vero, & impium est scire res scripturæ omnes in luce positas clarissima, & propter verba obscuriora res obscuras dictare. Si uno in loco obscura sunt verba, at in alio loco clara. Igitur tu, & omnes Sophistæ, agite, & producite unum aliquod mysterium, quod sit in Scripturis adhuc abstrusum. Quod vero multis multa manent obscura, non hoc fit Scripturæ obscuritate, sed illorum cæcitate, vel socordia, qui non agunt, ut clarissimam lucem videant.

Secundo loco erravit Bernardinus Ochinus Dialogo 2. „Sacræ literæ per se sunt perspicuæ, præsertim in rebus ad salutem necessariis.„

Tertio loco erravit Joannes Brentius in prolegomenis contra Petrum a Soto: „Dicamus de perspicuitate sacræ Scripturæ: Negantur enim Scripturam esse obscuram, adeoque indigere interpretatione. Negari quidem nequit, quod impiis, & incredulis Scriptura sit maxima ex parte obscura: sed piis, & credentibus in Christum, atque Spiritu Christi donatis, præcipua capita doctrinæ ita nota, & manifesta sunt, ut audeant etiam de his cum Sathana ipso certamen inire.„

Dicimus I. Sacram Scripturam non adeo esse apertam ac manifestam, ut sine explicatione ad fidei controversias judicandas sufficiat.

I. Probatur ex Scripturis. Deuteron. 17. *Si difficile, atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter causam & causam .... ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venies que ad Sacerdotem Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Psalm. 118. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua ... Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam ... Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas.* Isaiæ 29. *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti literas, dicent: Lege istum, & respondebit; Non possum, signatus est enim.* Daniel 12. *Tu Daniel claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum; plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* Lucæ 24. *Et incipiens Jesus a Mose, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant, &c. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Actorum 8. *Accurrens Philippus, audivit Eunuchum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum, ut ascenderet, & sederet secum. Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tanquam ovis ad occisionem ductus est, &c. Respondens Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se? an de alio aliquo? &c.* 2. ad Corinth. 3. *Usque in hodiernum diem; idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur) sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* 2 Petri 3. *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius Magnus præfat. in libros Moralium ad Leandrum cap. 4. *Divinus sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat, servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe fluvius (ut ita dixerim) planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* Lib. 20 Moral. cap. 1. *Omnem scientiam, & doctrinam Sacra Scriptura sine aliqua comparatione transcendit; ut taceam, quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam vocat, quod a terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis invitat, quod dictis obscurioribus exercet fortes, & parvulis humili sermone blanditur, quod nec sic clausa est, ut pavisci debeat: nec sic patet ut vilescat: quod usu fastidium tollit, ac tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur.* Homil. 6. in Ezechielem: *Tenebrosa est aqua in nubibus aeris: quia obscura est scientia in Prophetis. Sed Salomonis voce attestante, didicimus: Gloria Regum celare verbum, & gloria Dei est investigare sermonem, quia & honor est hominum eorum secreta abscondere, & gloria Dei est mysteria sermonis ejus aperire. Ipsa autem per se Veritas dicit discipulis: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine; id est, aperte exponite quæ in allegoriarum obscuritatibus auditis. Magnæ vero utilitatis est ip-*

sa obscuritas eloquiorum Dei : quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, ut exercitatus capiat, quod non potest capere otiosus. Habet quoque adhuc aliud majus; quia Scripturæ Sacræ intelligentia, si in cunctis esset aperta, vilesceret. In quibusdam locis obscurioribus tanto majori dulcedine inventa reficit, quanto majori labore fatigat animam quæsita. Innocentius III. tit. de Hæreticis, cap. cum ex injuncto; & citatur a Judoco Coccio : Tanta est Scripturæ profunditas, ut non solum simplices & illiterati; sed etiam prudentes & docti non plene sufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura: Quam multi defecerunt scrutantes scrutinio? Unde recte fuit in lege divina statutum; ut bestia, quæ montem tetigerit, lapidetur, ne vid. licet simplex aliquis, & indoctus præsumat ad subtilitatem Sacræ Scripturæ.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum sess. 4. docet : Sacrosancta Synodus temeritatem illam reprimere volens, qua ad prophana quæque convertuntur, & torquentur verba, & sententiæ Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas, incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ, ad hæc, aut similia, audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines temeratores, & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos puniantur.

IV. Probatur ex Patribus. Irenæus lib. 2. cap. 47. Credere autem hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit, rectissime scientes, quia Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei & Spiritu ejus dictæ : nos autem secundum quod minores sumus, & novissimi a Verbo Dei, & ejus Spiritu, secundum hoc & scientia mysteriorum ejus indigemus. Et non est mirum si in Spiritualibus ac cœlestibus, & in his, quæ habent revelari, hoc patimur nos : quandoquidem etiam eorum, quæ ante pedes sunt (dico autem quæ sunt in hac creatura, quæ & conteruntur a nobis, & videntur, & sunt nobiscum) multa fugerunt nostram scientiam, & Deo hæc ipsa committimus &c. Si ergo & in rebus creaturæ quædam quidem eorum adjacent Deo, quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in Scripturis requiruntur, universis scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non solum in hoc seculo, sed & in futuro: ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ sunt a Deo. Clemens Alexandrinus lib. 2. strom. cap. 7. Propter multas ergo caussas occultant Scripturæ sententiam, primum quidem, ut diligenter inquiramus, & semper vigilemus, in inveniendis salutaribus orationibus; præterea nec omnibus quidem conveniebat hominibus intelligere, ne læderentur, aliter accipientes ea, quæ a Spiritu Sancto dicta sunt salutariter. Quamobrem iis, qui sunt electi ex hominibus, & iis, qui ex fide coaptati sunt ad cognitionem quæ servantur, sancta mysteria Prophetarum teguntur parabolis. Scripturarum enim stylus est parabolicus. Origenes lib. 7. contra Celsum : Alii quoque cordati viri scrutando Scripturam, intellectum ejus invenire potuerunt, licet revera multis locis sit obscura. Chrysostomus homil. 40. in Joannem in illud : scrutamini Scripturas : Christus Judæos ad Scripturarum non simplicem & nudam lectionem, sed ad investigationem per quam diligenter relegavit : non enim dixit : Legite Scripturas, sed scrutamini. Divina enim summa indigent diligentia. In umbra enim majoribus illis non absre locutus est. Idcirco effodere profundius jubet, ut quæ alte delitescunt, invenire possimus. Non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profunde reconditur. Qui enim hujusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam & laborem, nusquam quæsita inveniet. Ambrosius serm. 10. in psalm. 118. Da mihi intellectum, ut discam mandata tua : Si Propheta intellectum dari sibi postulat, quis tam arrogans, qui profiteatur, in sua potestate esse intelligentiam? Intellectum petit, ut ipse se noverit, & naturæ suæ possit scire rationem. At illi, qui de rerum natura disputant, Cœli scrutantur plagas, qui se ipsos scire non possunt, putant intelligentiam sine Dei dono posse concedi. Unde & nos humilitatem debemus assumere, ne extollamur si forte unam aliquam de Scripturis parabolam cognoverimus : aut quia interdum secundum literam plane legimus, si forte secundum literam aliquid intellexerimus, doctrinæ nobis assumamus scientiam. Propheta ille, qui accepit Spiritum Sanctum, postquam unctus est in Regem, unctus est in Prophetam, centessimum decimum octavum psalmum scribens, intellectum dari sibi poscit, ut mandata Dei intelligat; & scit nisi a Domino acceperit gratiam, intelligere ejus se mandata non posse. Et epist. 44. ad Constantium : Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem pro-

phe-

pheticorum ænigmatum. Hieronymus epist. 13. ad Paulinum de institutione Monachi cap. 4. *Totum quod legimus in divinis libris, nitet quidem, & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est: qui edere vult nucleum, frangat nucem. Revela, inquit David, oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos, & pene lactentes inscitiæ nocte circumdari? Hoc autem velamen non solum in facie Moysi, sed & in Evangelistis & Apostolis positum est. Turbis Salvator in parabolis loquebatur, & contestans mysticum esse quod dicebatur, ajebat: Qui habet aures audiendi, audiat. Nisi aperta fuerint universa, quæ scripta sunt ab eo, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, nullo alio reserante pandentur*. Et epist. 150. ad Edibiam quæst. 10. *Omnis quidem ad Romanos epistola interpretatione indiget, & tantis obscuritatibus involuta est, ut ad intelligendam eam Spiritus Sancti indigeamus auxilio, qui per Apostolum hæc ipsa dictavit*. Et præfatione in Oseam: *Si in explanationibus omnium Prophetarum, Sancti Spiritus indigemus adventum, ut cujus instinctu scripti sunt, illius revelatione pandantur. Et in Isaia signatum librum legimus, quem Scribæ & Pharisæi, qui legis literas se nosse jactant, non possunt legere, quia signatus est. Nullusque invenire potuit, nisi Leo de Tribu Juda, quem signavit Deus Pater, qui ejus posset reserare mysteria: quanto magis in explanatione Oseæ Prophetæ orandus est Dominus, & cum Petro dicendum: Edissere nobis parabolam istam, præsertim cum obscuritatem voluminis in fine testetur ipse, qui scripsit: Quis sapiens, & intelliget ista, intelligens, & cognoscet ea? Quod non pro impossibili, sed pro difficili debemus accipere*. Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. cap. 6. *Ita obscure quædam dicta sunt, ut densissimam caliginem obducant. Quod totum divinitus provisum esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt*. Præf. in psalm. 140. *Sunt in Scripturis Sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad hoc quæruntur ut exerceant; ad hoc aperiuntur ut pascant*. Et epist. 3 ad Volusianum: *Tanta est Christianorum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum consummaverit homo, tunc incipit &c. Modus ipse dicendi, quo Sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis, penetralibus, ea, quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco, ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea vero, quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem, sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur*. Et 12. Confession. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus! Mira profunditas; horror est intendere in eam: horror honoris, & tremor amoris*.

V. Probatur rationibus. I. Si scriptura divina indiget interpretatione est obscura; sed indiget interpretatione: ergo est obscura. Probatur minor. Si sine interpretatione habet sensus obvios contrarios, indiget interpretatione; sed sine interpretatione habet sensus obvios contrarios: ergo indiget interpretatione. Minor probatur ex illo Exodi 20. ubi dicitur: *Ego... Deus... Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios*. Et Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*. II. Multæ sunt sententiæ in Sacra Scriptura, quæ sunt ambiguæ, & indigent explicatione: ergo pro illis Sacra Scriptura non est aperte manifesta, sed est obscura. III. Lingua hebraica multas habet voces, quarum unaquæque multa habet significata: ergo difficile est illis propriam dare significationem; Sed sine propria significatione voces illæ obscuræ remanent, & ambiguæ: ergo &c. IV. Christus ut plurimum loquebatur in parabolis; sed sensus parabolarum non est cuique expositus & apertus: ergo &c. V. Sunt pariter in Scriptura oracula plura, quæ non nisi quam ex contextu intelliguntur: ergo pro illis Scriptura non est om-

omnibus aperta & manifesta. VI. Unaquæque lingua habet phrases suas, & idiomatismata sua, quæ non nisi quam a peritis illarum linguarum percipiuntur; sed multa præ cæteris habent lingua hebraica & græca, quibus scripta est Scriptura: ergo multa continet Scriptura, quæ solum sunt peritis illarum linguarum aperta & manifesta.

VI. Probatur ex ipsorumet Adversariorum contradictione. Lutherus iis, quæ retulimus Dissertationis initio, contraria affert præfat. in psalm. „ Nolim ab ullo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit Sanctissimorum, & doctissimorum, id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere, & docere, sat est, aliquos, & eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit Spiritus, quod nos semper discipulos *habeat*. „ Et post pauca. „ Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus intellectum. „ Brentius quoque scribens contra Petrum a Soto dicit, quod impiis, & incredulis Scriptura sit tantum obscura; & in sua confessione Vvirtembergica capite de Sacra Scriptura dicit: „ Non est obscurum, quod donum interpretandæ Scripturæ non sit humanæ prudentiæ, sed Sancti Spiritus: Spiritus autem Sanctus est liberrimus, nec est ad certum genus hominum obligatus, sed distribuit dona hominibus pro suo ipsius beneplacito. „ Quæ quidem contraria omnino videntur iis, quæ ex ipsomet Brentio Dissertationis initio recitavimus.

Opponunt I. Hæretici. Multa sacrarum Scripturarum loca, quibus probari falso credunt omnibus esse obviam ipsarumet Scripturarum intelligentiam. Uti sunt Deuteron. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est*. Psalm. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. 2. Petri 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*. 2. ad Corinth. 4. *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii*. II. Ideo in veteri testamento loca ad intelligendum sunt obscura, quia in eo omnia scripta sunt per figuras; sed hæ figuræ locum in novo testamento non habent: ergo saltem novi Testamenti intelligentia omnibus est aperta, & manifesta. III. Patres priorum seculorum sacras Scripturas optime intelligebant, & nihilominus nullæ illos præcesserant interpretationes, quibus adjuti, sacras Scripturas intelligerent: ergo signum est, quod illis Scripturæ erant apertæ, & manifestæ. IV. Chrysostomus homil. 3. in 2. ad Thessalonicenses scribit: *Quamobrem opus est Concionatore? Omnia clara sunt, & plana ex Scripturis divinis; sed quia delicatuli estis Auditores, delectationem audiendo venantes, propterea Concionatores quæritis*. Idem Chrysostomus homil. 3. de Lazaro hanc differentiam ponit inter Philosophos, & sacros Scriptores, quod illi obscura scribebant, hi vero clara, & intelligibilia. V. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 6. scribit: *Magnifice, & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detegeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur*. VI. S. Thomas ad cap. 1. Apocalypsis asserit, quod scriptura *est aperta, ne omnino clausa videatur, & inde diffidentia intelligendi generetur, & ut simplices aliquid inde capiant, & ut per ea, quæ sunt plana, sit via ad explanationem clausorum*: ergo ex Angelico Scriptura non est obscura, sed aperta, & manifesta.

Respondemus ad I. explicando eum P. Boucat Scripturarum textus adductos. Et quidem primo, loquitur Scriptura de præceptis Decalogi, quæ vel naturalia sunt, & intellectu etiam sunt facilia, vel supernaturalia, & non superant humanum captum, si sit divina gratia adjutus. Secundo præceptum Domini illuminat, seu aperit mentis oculos ut unusquisque sciat quænam sit Dei voluntas, & lex Domini est lucida, quantum ad aliquid, sed non quantum ad omnia. Tertio facit Petrus comparitionem inter legem Evangelicam & legem Mosaycam, & dicit legem Evangelicam esse clariorem, quia Propheticus est firmior; nullam vero facit comparationem in intelligentia & sensu. Quarto Paulus facit comparitionem inter Justos & impios, & dicit Evangelium magis esse opertum impiis, quam justis, quia impii, nec voces Prophetarum, nec Evangelii audiunt, nec Spiritus Sancti gratiam illuminantem amplectuntur.

Ad II. Discrimen inter vetus Testamentum & novum consistit in hoc, quod in illo myste-

mysteria fidei implicite, ut plurimum credebantur, in hoc vero explicite creduntur; ut sunt præcipue mysteria Trinitatis Incarnationis, Eucharistiæ &c. Quia tamen in utroque Testamento creduntur, inde est quod vana omnino dici debet differentia illa, quam Adversarii comminiscuntur.

Ad III. Patres priorum seculorum, vel Apostolos habebant, vel vivos Apostolicos, qui Apostolos audierunt, a quibus in Scripturarum intelligentia seipsus adjutos intelligebant; vel Spiritus Sancti operante virtute per internam mentis illustrationem, quæ per externam lectionem discere non poterant, assequebantur. Cæterum ad rem hanc Pater Boucat hæc scribit: „ Legitur non semel in Actibus, „ Paulum explicasse Scripturas in orationibus, quas habebat apud Judæos de „ Christi divinitate: fuisse Doctores in „ Ecclesia, inter quos numerantur Barnabas, & alii permulti, qui interpretabantur Scripturas, satis constat. Imo in veteri lege erant gymnasia, ad hunc finem „ instituta, qui legis sensum secundum „ Prophetarum traditionem aperiant. De „ ejusmodi Doctoribus multus est sermo „ Act. 7. Habetur enim multos, & Alexandrinos, & Cyrenenses disputasse cum „ Stephano. Cæterum res claret ex Concilio Apostolorum, qui adunati explicaverunt Scripturas in Gentilium gratiam, „ ne cæremoniis legalibus subjicerentur. „ Addo Papiam apud Eusebium lib 3.cap. „ ultimo, & Clementem Alexandrinum „ lib. 1. Stromatum numerare Apostolorum Discipulos Præceptores suos, & in „ iis præcipue Parthenum, postea Justinus „ & Irenæus cœperunt commentaria in „ divinas Scripturas dare, & alii post eos. „ Sic refert S. Hieronymus lib. 1. de viris „ illustribus. „

Ad IV. Chrysostomus loquitur comparando novum Testamentum ad vetus, & excitando Auditores ut in novi Testamenti lectione se occupent: Unde cit. loco sic se explicat: *Quid igitur, si non intelligamus ea, quæ continentur in libris? Maxime quidem, etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascuntur sanctimonia*. Et post pauca: *Sume librum in manu, lege historiam omnem, & quæ nota sunt, memoria tenens, & quæ obscura sunt, parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad Doctorem*. Insuper addit in homil. 3. in 2. ad Thessalonic. *Quæ est ista obscuritas? Dic, quæso, non historiæ sunt? Nosti quæ clara sunt. Quid de obscuris rogas?*

Ad V. Utique dicimus & nos cum Augustino aliqua Scripturæ loca esse clara respectu aliorum, quæ obscura sunt; attamen non ita sunt clara, ut tuto possint sine Ecclesiæ interpretatione & explicatione intelligi. Quævis igitur Scripturæ sententia, etsi clara nobis videatur, non debemus tamen sine Ecclesiæ tacito saltem assensu adeo fidenter exponere, ut explicationi nostræ robur a nobis tantum perveniat, & non potius, vel ab Ecclesiæ judicio, vel a Patrum unanimi consensu, ut inferius explicabimus.

Ad VI. Authoritas S. Thomæ trunca & mutilata proponitur. Nos ut ad eam respondamus, integra & completa Angelici Doctoris verba recitamus; & hæc sola objectioni responsio satis erit. *Quæritur*, scribit ipse ad cap. 1. Apocalypsis, *quare Scriptura est sub tanta obscuritate, quæ utilior videretur, si aperte intelligeretur?* Resp. *Ad hæc prædicta intelligendum, quod sapientissime condita est Scriptura, ita quod in quibusdam locis est aperta, ne omnino clausa videatur, & inde diffidentia intelligendi generetur, & ut simplices aliquid inde capiant, & ut per ea, quæ sunt plana, sit via ad explanationem clausorum. In quibusdam vero locis est occulta, & velata, & hoc triplici ratione, scilicet propter indignos, ne sit eis locus pervertendi, item propter fastidiosos, quia multa fastidirent & contemnerent: nunc autem gratius, & pretiosius, & sapidius est, cum investigatur, & hoc exigit reverentia divinæ virtutis; item propter diversos exponendi modos.*

Devenientes modo ad Sacræ Scripturæ sensus, iis accedimus, qui illos dividunt in tres, literalem scilicet accommodatitium, & mysticum. Literalis est, quem significant verba immediate, sive verba sumantur proprie, sive improprie, hoc est, metaphorice. Mysticus est, quem verba significant mediate; sensus literalis immediate importat. Accommodatitius est, quem verba, nec mediate, nec immediate significant, & qui ad aliud applicatur. Sensus literalis potest esse multiplex in uno & eodem Scripturæ loco. Adducuntur pro exemplo verba Genesis 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*; in quibus voces illæ *in principio* ex Augustino duplicem sensum literalem habent, hoc est in principio *temporis, &* mun-

mundi: & in super: *ante omnia*. Per primum sensum, quem indicat Augustinus 11. confes. 10. probatur mundum non esse æternum; per secundum vero, quem exprimit idem Augustinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 6. probatur Angelos ante mundum corporeum non fuisse creatos. Sensus mysticus dicitur triplex, allegoricus, tropologicus, & anagogicus; Allegoricus est de rebus credendis, tropologicus est de rebus agendis, anagogicus est de rebus sperandis. Exemplum adducunt de voce hac Hierusalem, quæ per sensum literalem significat Urbem, in Palæstina positam, par allegoricum Ecclesiam, per tropologicum animam, per anagogicum Paradisum, seu beatitudinem æternam. Sensus accommodatitius, qui nec mediate, nec immediate Scripturæ verbis significatur, & ad aliquid aliud applicatur, explicatur exemplo verborum illorum Ecclesiastici 44. *Inventus est Justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, quæ dicuntur de Noe, & a Breviariis & a Ritualibus, cuicunque Confessori Pontifici applicantur.

Dicimus II. Sensum literalem esse cæteris præferendum; mysticum vero adhiberi posse, quando asseritur vel ab aliquo alio Scripturæ textu, vel ab aliquo, qui authoritatem habeat id decernendi; accommodatitium vero non subministrare firmum argumentum ad fidei, aut morum dogmata probanda.

Prima Conclusionis pars probatur, quia sensus literalis, quando aliquod non sequitur incommodum, semper fieri debet quod sit principaliter intentus a scribente; adeoque semper principem debet habere locum, quando verba ad aliquid probandum assumuntur. Et quia ut diximus sensus literalis & duplex proprius scilicet & improprius seu metaphoricus; ad hoc dignoscendum sequentes regulas docet nos Augustinus lib. 3. de doctrina Christ. cap. 16. *Præceptiva locutio, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non est figurata: si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est*. Post quæ utriusque acceptionis exemplum ponit, explicando verba illa Scripturæ: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*: ubi hæc habet: *Hic nullo dubitante beneficentiam præcepit, sed quod sequitur: Hoc enim faciens, ut dubitaveris figurate dictum: Et cum possit dupliciter interpretari, uno modo ad docendum, altero ad præstandum; ad beneficentiam te potius charitas revocet, ut intelligas carbones ignis esse urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, a quo ejus miseria subvenitur*.

Secunda Conclusionis pars probatur verbis Hieronymi in cap. 13. Matthæi, ubi agens de explicatione fermenti, qua aliqui utebantur, ut explicarent Trinitatis mysterium, hæc scribit: *Pius sensus, sed nunquam parabolæ, & dubia ænigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum proficere*, Ad quæ verba Jueninus tom. 1. dissert. 4. cap. 8. art. 3. hæc habet. „ Sensum litteralem eo in capite differre a „ mystico, quod ex illo firmum semper, „ ac quovis in casu argumentum petatur „ ad fidei, aut morum dogmata: e contra „ vero non petatur e sensu mystico, nisi, „ cum ab aliquo alio Scripturæ textu, vel „ aliquo authoritatem habente, mysticus „ sensus asseritur. „

Tertia Conclusionis pars probatur; quia sensus accommodatitius non est Spiritus Sancti, sed hominis, adeoque ex ipso sumi nequit argumentum ad fidei, aut morum dogmata probanda. Et quod non sit Spiritus Sancti, patet etiam; quia scripturæ verbis non exprimitur nec mediate, nec immediate, ut dictum est.

Dicimus III. ad authoritatem Ecclesiæ spectare germanum Scripturæ sensum fidelibus tradere. Est contra posteriorum temporum Novatores, Lutheranos, & Calvinianos, asserentes, quod quilibet fidelis circa Scripturæ sensum sit supremus, & ultimus Judex.

I. Probatur ex Scripturis. Exodi 18. legitur, Moysen dixisse: *Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniant ad me, ut judicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges ejus*. Quibus verbis dicitur, quod si quæ oriebantur controversiæ circa legem, eas non quilibet privatus judicabat, sed sed ad Moysem, qui erat Ecclesiæ Princeps, deferebantur, ut ab eo judicarentur. Insuper Deuteron. 17. post mortem Moysis dubiorum circa legem quilibet privatus non erat judex, sed Ecclesia: *Si difficile, atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris .... venies ad Sacerdotes Levitici generis, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus*. Ulterius Paralipom. 19. Rex Josaphat Sacerdotes alloquens, dicebat, ad illos spectare, non ad privatos homines,

nes, dubia de lege judicate: *Ubicunquem quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum*. Denique Matthæi 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus*.

II. Probatur rationibus. I. Ad Ecclesiam spectat judicare, qui libri sunt canonici: ergo pariter Ecclesia judicat de verborum sensu, quæ in libris hujusmodi inveniuntur. Antecedens supponimus in superioribus probatum. Consequentia sequitur, quia ideo Ecclesia judicat de Canonicitate librorum, & non quilibet privatus, quia hi possunt facillime falli in iis judicandis; Sed hoc etiam facillime evenire potest in Sacræ Scripturæ sensu decernendo: ergo &c. II. Privati homines multi sunt, qui Scripturarum sensum nequeunt examinare, vel ob mentis hebetudinem, vel ob linguarum imperitiam: ergo Deus male consuluisset Ecclesiæ suæ si his Scripturarum sensum decernendum commisisset. III. Privati homines ut plurimum dissentiunt inter se in scripturarum sensu declarando, & fere quot homines sunt, tot essent sententiæ; & per consequens magna esset in Ecclesia confusio.

Objiciunt I. Est in Scriptura sensus metaphoricus ut patet in illis verbis, in quibus dicitur Christus, leo, lapis, vitis, &c. ergo præter sensum literalem, mysticum, & accommodatitium, admitti pariter debet sensus metaphoricus. II. Sensus ambiguus est ineptus ad fidei, & morum dogma probanda; sed textus, qui habet duplicem sensum literalem, est ambiguus: ergo est ineptus &c. III. Si idem textus duplicem haberet literalem sensum, Deus dedisset nobis errandi occasionem; sed hoc non est dicendum: ergo &c. IV. Non est de fide, quod unius textus duplex sit literalis sensus: ergo hoc asseri non potest. V. Vel in aliquibus Scripturæ partibus admittendus est sensus mysticus, vel in omnibus? Si in omnibus, incurrimus in errorem Origenis, qui ubique allegorias inquirebat, & propterea a Patribus, & præcipue a Hieronymo reprehensus est: Si in aliquibus tantum: ergo non est æqualem membrum dividens cum literali; quia sensus literalis in omnibus Scripturæ verbis invenitur. VI. Ex Apostolo. *Litera occidit, Spiritus autem vivificat*; ubi nomine literæ venit sensus literalis, nomine vero Spiritus venit sensus mysticus, qui etiam spiritualis dicitur: ergo non est præferendus sensus literalis sensui mystico, & accommodatitio. VII. Christus, & cum eo pariter Patres, & Theologi, ex historiis, parabolis, & factis, desumunt argumentum ad probandum aliquid ex sensu accommodatitio: ergo sensus accommodatitius assumi potest, ad aliquid probandum. VIII. Ex Scripturis habetur, privatos homines posse de Scripturarum sensu judicare: ergo non est recurrendum ad externam Ecclesiæ authoritatem. Probatur antecedens. Joannis 6. *Est scriptum in Prophetis: & erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audit a Patre, & didicit, venit ad me*. Joannis 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me*. 1. ad Corinth. 2. *Spiritualis autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur*. Et 1. ad Thessalonic. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete*.

Respondemus ad I. Verba metaphorica & si non sumantur ad literam pro re, quam significant proprie, sumuntur tamen ad literam pro re, quam significant improprie; unde sub hac ratione sensus metaphoricus reducitur ad literalem. Et in hoc sensu Christus dicitur Leo propter fortitudinem, quam vere habuit; dicitur lapis, & quidem angularis, quia utrumque junxit angulum, hoc est vetus, & novum Testamentum; dicitur vitis propter humorem, quem palmitibus suis communicat, & cætera hujusmodi.

Ad II. Textus, qui habet duplicem sensum literalem, non solum non est ineptus, sed potius est aptus, non ad unam tantum, sed ad duplicem veritatem probandam, atque firmandam. Unde tantum abest ut sit ambiguus, quod potius sit potens pro una, & altera parte ex illis duabus, quas significat; modo scilicet pro una, quando res exigat, & modo pro altera, quando institutii ratio exposcit.

Ad III. Ille præbet errandi occasionem, qui unicum intendit sensum, ita tamen verba componit ut audientes alium ab illo diversum percipiant. At Deus duos intendit sensus, & in Scripturæ litera duos etiam ponit, quos æque per verba, quæ præsefert litera, manifestat. Et hoc pacto Deus nunquam dicendus est, quod æquivocatione utatur, & quod nobis errandi præbeat occasionem.

Ad IV. Etsi illud non sit de fide, quia tamen a S. Thoma asseritur, Theologi valde probabile esse putant. Et ita Syl-

vius dicens ex S. Thoma illud esse valde probabile, hoc ipsum etiam affirmat de fide non esse. Caeterum nos non dicimus, quod quilibet textus duplicem habeat sensum literalem, sed quod aliquando dari possit, & detur textus, qui duos sensus habeat literales.

Ad V. Admittimus quidem in praecipuis Veteris Testamenti partibus reperiri sensum mysticum; sed in omnibus non concedimus. Primum habemus ex Apostolo 1. ad Corinth. 10. *Haec autem omnia in figura contingebant illis: Scripta sunt autem ad correctionem nostram*; & ad Hebraeos cap. 11. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem*. Docet pariter Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 7. *Omnia, quae in illis* (veteris Testamenti) *continentur libris, vel de ipso* (Christo) *dicta sunt, vel propter ipsum*. Secundum vero idem Augustinus monet lib. 7. de Civitat. Dei cap. 3. *Mihi sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum veteris Testamenti, aliquid aliud praeter id, quod eo modo gesta sunt, significare arbitrantur: ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt*. Caeterum sufficit, quod in utroque testamento locum habeant sensus literalis, mysticus, & accommodatitius; quod vere aeque habeant in omnibus, non est necesse.

Ad VI. Potest dari casus, quod aliquando sensus literalis non sit ad rem; & in hujusmodi casu sensus mysticus illi praefertur. Et pro hoc, vel similibus casibus, regula est S. Augustini, quam superius retulimus.

Ad VII. Sensus accommodatitius non est ille, qui assumitur ad aliquid probandum utcumque, sed qui applicatur, vel transfertur ad probandum aliud, vel ob similitudinem, vel ob aliquam aliam rationem. Unde aliquando videtur, quod argumentum petatur ex sensu accommodatitio, quando potius ex literali sensu desumitur.

Ad VIII. In allatis testibus fit mentio de observantia mandatorum Dei, quam praedestinatis suadet continuo, & semper Spiritus Sancti unctio, hoc est auxilium gratiae Christi. Spiritualis autem homo scilicet, qui non est animalis judicat omnia, hoc est de omni genere rerum, non vero de omnibus, & de singulis rebus uti respondet Jueninus.

De Divisione autem Veteris, & Novi Testamenti Librorum, dicimus, quod bene utrique dividuntur in Legales, Historicos, Sapientiales, & Propheticos. Libri Legales veteris Testamenti sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Libri Historici veteris Testamenti sunt, Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdrae duo, primus, & secundus, Esther, Judith, Machabaeorum duo, primus, & secundus. Libri Sapientiales veteris Testamenti sunt, Tobias, Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticus Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Libri Prophetici Veteris Testamenti sunt, quatuor Prophetae majores, hoc est, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel. Prophetae vero minores sunt duodecim, scilicet, Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, & Malachias.

Novi Testamenti vero Libri Legales quatuor continent Evangelia, seu potius Evangelium quatuor Evangelistarum, Matthaei nimirum, Marci, Lucae, & Joannis. Libri Historici novi Testamenti comprehenduntur in libro Actuum Apostolorum. Libros Sapientiales Novi Testamenti componunt Canonicae Epistolae, duae scilicet Petri, prima, & secunda, quatuordecim Pauli, hoc est, duae ad Thessalonicenses, una ad Galatas, duae ad Corinthios, una ad Romanos, ad Philippenses una, ad Philemonem una, ad Ephesios una, ad Colossenses una, ad Hebraeos una, duae ad Timotheum, prima, & secunda, una ad Titum. Aliae pariter Epistolae Canonicae sunt, Jacobi, Judae, Joannis tres, prima nimirum, secunda, & tertia. Denique Libros Propheticos Novi Testamenti sola Apocalypsis continet. Qui plura cupit alios Scriptores consulat, qui rem exprofesso pertractant.

DIS-

DISSERTAT. CCLXXXIV.

De Sacræ Scripturæ Chronologia. Ex Chronologiis Textus Hebraici, & Versionis Septuaginta, quænam sit alteri præferenda? An anni Patriarcharum, quos Moyses enumerat, annis nostris pares fuerint? Et quid de Patriarcharum longevitate sit dicendum?

CHronologia Versionis Septuaginta supra Chronologiam Textus Hebræi addit 1500. annos; unde qui secundum Versionem Septuaginta deducunt annos a Creatione mundi usque ad Christi nativitatem numerant annos 5493., & hujusmodi sunt Græci Antiochæni; Græci vero Alexandrini numerant annos 5501. Græci Constantinopolitani numerant annos 5509. Paulus Peronus, aliique plures, numerant annos 5878. Qui vero calculum deducunt secundum Chronologiam Textus Hebræi, sunt qui cum Petavio a creatione mundi usque ad Christum natum numerant annos 3983. alii cum Usserio numerant annos 4003. Nos in præsenti examinandum sumimus, an insistere debeamus Chronologiæ Versionis Septuaginta, an illi Hebræi Textus.

Dicimus I. Standum esse Chronologiæ Textus Hebræi. Conclusio est S. Augustini, quam sequitur P. Boucat, aliique cum ipso.

I. Probatur. Chronologia Textus Hebræi excedit illam Versionis Septuaginta, & quidem in immensum: ergo Chronologiæ Textus Hebræi stare debemus. Probatur consequentia. Est axioma: *Quod est per se primo tale, cætera non sunt alia, nisi per ordinem ad illud*: ex quo axiomate P. Boucath hoc efformat argumentum: Primigenii fontes, ex quibus cætera fluunt, in immensum præponderant omnibus, quia ab ipsis promanant; sed Textus Hebræus est primigenius, & ab eo fluxit versio Septuaginta: ergo &c. Corroborant hanc rationem verba Augustini lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. *Recte fieri, nullo modo dubitaverim, ut cum diversum aliquid in utrisque Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.*

II. Probatur. Antiquæ paraphrases, & Patres plurimi adhærent Chronologiæ Hebraicæ: ergo & nos eidem adhærere debemus. Probatur antecedens. Paraphrasis Chaldaica Onkeri, versio Syriaca, & Arabica, & nostra etiam Vulgata, sequuntur Chronologiam Textus Hebraici. Insuper Hieronymus lib. quæstionum hebraicarum in Genesim, Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 11. & 13. & Beda in præfat. libri de temporum ratione, hebraicum Textum pariter sectantur; & hic ultimus rationem reddens, quare recesserit a Chronologia Eusebii, exscribit: *Ego confidenter profiteor, quia non reprehendo veteres Chronographos, qui translationem Septuaginta Interpretum modo sequuti sunt, modo, pro ut libuit, probantur habuisse contemptui, sicut etiam in processu hujusce opusculi nostri monstrabitur. Sed omnibus his hebraicæ veritatis integram præfero puritatem: quam præeminentissimus Doctorum Hieronymus in libris hebraicarum quæstionum, Augustinus in libris de Civitate Dei, Eusebius ipse Chronographus in tertio historiæ Ecclesiasticæ libro ex verbis Josephi historici adversus Apionem Grammaticum scribentis breviorem temporum seriem, quam in Septuaginta editione vulgo fertur contineri, approbant.*

III. Probatur authoritate Masoretarum, qui omnia Scripturæ capita, versus, vocabula, radices, literas quoque, legerunt, consideraverunt, ac attente perpenderunt, ut sacras paginas illustrarent, & ab omni erroris suspicione vindicarent. Hi quidem Masoretæ fuerunt Rabbini Scholæ Ty-

Tyberiadis, ex Judæis Christiani facti, qui juxta Thomassinum in Glossario hebraico circa octavum seculum florebant, juxta alios vero Criticos circa quintum. Et hi quidem Textum hebraicum Versioni Septuaginta prætulerunt: ergo &c.

IV. Probatur. Hebraicus Sacræ Scripturæ Textus est genuinus, & invariatus usque ad nos perseveravit: ergo in Scripturæ Chronologia ab eo recedere non debemus. Probatur antecedens. Quod Hebraicus Textus sit genuinus, in superioribus probavimus; quod vero invariatus permanserit, ita probamus. Christus Dominus scripturæ verba hebraici Textus citabat, & hebræos ipsos ad eundem Textus lectionem mittebat; sed hoc nec fecisset, nec facere potuisset, si cognovisset hebraicum Textum fuisse corruptum: ergo hebraicus Textus usque ad Christi tempora invariatus, atque intemeratus permansit. Ulterius Judæi bene cognitum habebant Hebraicum Textum, & nunquam illum hujusce modi depravationis accusarunt. Insuper Sancti Patres priorum seculorum nunquam depravationem hanc Judæis objecerunt. Et denique redeunt argumenta, quæ nos superius pro genuinitate sacrorum librorum reportavimus.

V. Concilium Tridentinum sess. 4. approbando Vulgatam Versionem approbat pariter Textum Hebraicum, ex quo Vulgata Versio desumpta est, ut diximus; sed nos a Concilii Tridentini mente recedere non debemus: ergo Concilio Tridentino adhærentes circa sacræ Scripturæ Chronologiam pro Textu hebraico potius stamus, quam pro Græca Septuaginta Interpretum Versione.

VI. Probatur ex Sacræ Congregationis judicio, quod in plurium librorum censura ostendit, & quidem censuræ subjecit librum S. Juliani, Archiepiscopi Toletani, eo quod a calculis Textus Hebraici procul abiret; quod legitur apud Malvendam lib. 2. de Antechristo cap. 8. in margine operis S. Juliani, quod in Sanctorum Patrum Bibliotheca posterioris editionis legitur. Insuper eadem Congregatio proscripsit annotationes factas ab Antonio Confio, Doctore Bituricensi in Chronologia Nicephori, Patriarchæ Constantinopolitani, ut legitur tom. 7. Bibliothecæ Patrum editionis Parisiensis anno 1585. in Chronologia Nicephori. Tandem eadem Congregatio sub Gregorio XIV. flagitut, ut quotiescumque occurreret discrepantia inter Textum Hebraicum, & Versionem Septuaginta, semper Textus Hebraicus præferretur, servando regulam Augustini lib. 15. de Civitate Dei cap. 13. quam retulimus supra.

VII. Probatur. In Versione Septuaginta aliqua detecta sunt menda, quæ deinde in Vulgata nostra correpta sunt ad hebraici Textus lectionem, & hæc præcipue fuerunt circa sacræ Scripturæ Chronologiam: ergo in cæteris, adhærere potius debemus Hebraico Textui, juxta quem facta est correctio, quam Versioni Septuaginta, quæ correcta est. Probatur antecedens; tum quia Græcæ Versionis Chronologia, quam habemus multas addit annorum centurias Patriarchis primæ & secundæ ætatis, quę desunt in Vulgata juxta Hebraici Textus correctionem; tum etiam quia græca versio asserit Mathusalem annis quatuordecim post diluvium obiisse; quod & Textui hebraico, & nostræ Vulgatæ adversatur; immo & primæ Petri cap. 3. repugnat, ubi dicitur, quod a diluvio per arcam octo tantum animæ salvæ factæ sunt; hoc est Noe, & uxor ejus, tres ejus filii, & tres ipsorum uxores.

VIII. Probatur. Ut multa incommoda vitemus, quæ sequuntur, & ex iis, quę diximus, & ex illis quoque, quę dicenda supersunt, Hieronymus consulit, ut potius Hebraicum Textum, quam Gręcam Versionem in sacrę Scripturę Chronologia explananda sequamur. Et quidem hęc sunt verba maximi Doctoris lib. quęst. hebraicar. in Genesim: *Sciendum, quod usque ad diluvium, ubi in nostris Codicibus ducentorum, & quod excurrit annorum genuisse quis dicitur, in Hebræo habent centum annos, & reliquos, qui sequuntur: Fuerunt autem dies Adam postquam genuit Seth, septingenti anni. Quia in ducentis erraverat, consequenter hic posuit septingentos, cum in Hebræo hic habeatur octingentos, & supra centum. Et vixit Mathusala annis centum sexaginta septem, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech annos octingentos duos, & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Mathusalæ, quos vixit, anni nongenti sexaginta novem, & mortuus est. Famosa quæstio, & disputatione omnium Ecclesiarum ventilata, quod juxta diligentem supputationem quatuordecim annos post diluvium Mathusala vixisse referatur. Etenim cum esset Mathusala annorum centum sexaginta septem, genuit Lamech. Rursum Lamech cum esset annorum centum octoginta octo, genuit*

nuit Noe; & sunt usque ad diem nativitatis Noe anni vita Mathusala trecenti quinquaginta quinque. Sexcentesimo autem anno vita Noe diluvium factum est, ac per hoc habita supputatione per partes, nongentesimo quinquagesimo quinto anno Mathusala diluvium fuisse convincitur. Cum autem supra nongentis sexaginta novem annis vixisse sit dictus, nulli dubium est quatuordecim eum annos vixisse post diluvium. Et quomodo verum est, quod octo tantum animæ in arca salvæ factæ sunt? Restat ergo ut quomodo in plerisque, ita & in hoc sit error in numero. Siquidem & in Hebræis, & Samaritanorum libris ita scriptum reperi: Et vixit Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, septingentos octoginta duos annos, & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Mathusalæ anni nongenti sexaginta novem, & mortuus est. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit Noe. A die vero nativitatis Mathusala usque ad diem Nativitatis Noe, sunt anni trecenti sexaginta novem: His adde sexcentos Noe, quia in sexcentesimo vitæ ejus anno factum est diluvium: atque ita fit, ut nongentesimo sexagesimo anno vitæ suæ Mathusala mortuus sit, eo anno, quo cœpit esse diluvium. Adhęret S. Hieronymo S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 11. *Certum est non vixisse Mathusalam post diluvium, sed eodem anno fuisse defunctum, si verum est, quod de numero annorum in Hebræis Codicibus invenitur.* Idem Augustinus citato loco hęc addit cap. 13. *Si quæram, quid sit credibilius, Judæorum gentem tam longe lateque diffusam in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse, & dum aliis invident authoritatem, sibi abscondisse veritatem, an septuaginta homines, qui etiam ipsi Judæi erant, in uno loco positos, quoniam Rex Ægypti Ptolomæus eos ad hoc opus adsciverat, ipsam veritatem Gentibus alienigenis invidisse, & communicato istud fecisse consilio: quis non videat quid proclivius faciliusque credatur? Sed absit ut prudens quispiam vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ tantum potuisse credat in Codicibus tam multis, & tam longe lateque dispersis, vel septuaginta illos memorabiles viros hoc de invidenda Gentibus veritate unum communicasse consilium. Credibilius ergo quis dixerit, cum primum de Bibliotheca Ptolomæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in Codice uno, scilicet primitus inde descripto, unde jam latius emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam Scriptoris error. Sed hoc in illa quæstione de vita Mathusalem non absurdum est suspicari: & in illo alio, ubi superantibus vigintiquatuor annis summa non convenit. In his autem, in quibus continuatur ipsius mendositatis similitudo, ita ut ante genitum filium, qui ordini inseritur, alibi supersint centum anni, alibi desint; post genitum autem ubi deerunt, supersint, ubi supererant, desint, ut summa conveniat; & hoc in prima, secunda, tertia, quarta, quinta, septima generatione invenitur, videtur habere quamdam, si dici potest, error ipse constantiam, nec casum redolet sed industriam. Itaque illa diversitas numerorum, aliter se habentium in Codicibus Græcis, & Latinis, aliter in Hebræis, ubi non est ista de centum annis prius additis, & postea detractis per tot generationes continuata parilitas, nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ septuaginta Interpretum, sed scriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca supra dicti Codicem Regis describendum primus accepit...... Nimirum cum vellet persuadere, qui hoc fecit, ideo numerosissimos annos vixisse antiquos, quod eos brevissimos nuncupabant: & hoc de maturitate pubertatis, qua idonea filii gignerentur, conaretur ostendere; atque in illis centum annis decem nostros insinuandos putaret incredulis, ne homines tam diu vixisse recipere in fidem nollent, addidit centum, ubi habilem gignendis filiis non invenit ætatem, eosdemque post genitos suos, ut congrueret summa detraxit. Sic quippe voluit credibiles facere idonearum generandæ proli convenientiam ætatum, ut tamen numero non fraudaret universas ætates viventium singulorum. Quod autem in sexta generatione id non fecit, hoc ipsum est, quod magis movet illum ideo fecisse, cum res, quam dicimus, postulavit, quia non fecit ubi non postulavit. Invenit namque in eadem generatione apud Hebræos vixisse Jared, antequam genuisset Enoch centum sexaginta duos annos, qui secundum illam rationem brevium annorum fiunt anni sexdecim, & aliquid minus quam menses duo, quæ jam ætas apta est ad gignendum: & ideo addere centum annos breves, ut nostri viginti sex fierent, necesse non fuit, nec post natum filium eos detrahere, quos non addiderat ante natum. Sic factum est, ut hic nulla esset inter Codices utrosque varietas. Sed rursus movet, cur in octava generatione, antequam de Mathusalem nasceretur Lamech, cum apud Hebræos legantur centum octoginta duo anni, viginti minus inveniuntur in Codicibus nostris, ubi potius addi centum solent; & post genitum Lamech complendam restituuntur ad summam, quæ in Codicibus utrisque non discrepat. Si enim centum septuaginta annos propter pubertatis maturitatem, decem & septem volebat intel-*

intelligi; sicut nihil addere, ita nihil detrahere jam debebat; quia invenerat ætatem idoneam generationi filiorum, propter quam in aliis centum illos annos, ubi eam non inveniebat, addebat. Hoc autem de viginti annis merito putaremus casu mendositatis accidere potuisse, nisi eos sicut prius detraxerat, restituere postea curaret, ut summa conveniret integritas. An forte astutius factum existimandum est, ut illa, qua centum anni prius solent adjici, & postea detrahi, occultaretur industria, cum & illis, ubi necesse non fuerat, non quidem de centum annis, verum tamen de quantulocunque numero prius detracto, post reddito, tale aliquid fieret?

IX. Probatur. Probabilius est, mutationem fuisse factam in Versione Septuaginta, quam in Hebraico Textu: ergo huic, & non illi in Sacræ Scripturæ Chronologia adhærere debemus. Antecedens probatur a Natali Alexandro hoc discursu, & his verbis: „ Nulla caussa aut verisimilis ratio ostendi potest, cur Hebraici Codices hac in re interpolati sint. At mutationis in Græcis factæ ab eo, qui primus ex Ptolomæi Philadelphi Bibliotheca versionem septuaginta Interpretum descripsit, consilium & ratio aperiri probabili conjectura potest. Scilicet cum longævitatem Patriarcharum, a Mose memoratam videri, vel in dubium revocari ab Ægyptiis intelligeret, persuadere voluit annos a Mose intelligi lunæ senio definitos, hoc est menstruos, quales olim apud Ægyptios in usu fuisse, Plutarchus in Numa, Diodorus Siculus, & Plinius lib. 7. testantur. Quare annos generationis primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, & septimæ auxit integro centenario; quia menstruis annis juxta Codicem Hebræum intellectis, tempus pubertatis in singulis Patriarchis non constitisset. Nam Adamus anno centesimo trigesimo menstruo, hoc est, decimo, vel undecimo pleno, seu Juliano, Sethum generare non potuit, & quidem post Cainum & Abelem grandiores natu filios. Eadem ratio Seth, Enos, Kainanis, Malaleelis, & Enochi, si eorum anni prout in Codice Hebraico recensentur, menstrui intelligantur. At in sola generatione sexta, octava, & nona nihil mutatum est ab interpolatore, quia nimirum iis annis, qui his Patriarchis in Textu Hebraico tribuuntur, etsi menstrui intelligantur, pubertatem attigerant, seu ætatem generationi maturam. Jaredi enim annus menstruus centesimus sexagesimus secundus respondet fere anno ejus decimoquarto Juliano: Mathusalæ annus centesimus octogesimus septimus, & Lamechi annus centesimus octogesimus secundus menstruus anno decimosexto Juliano. Qui hæc attente consideraverit, vix dubitabit quin de industria, & quidem ob hoc ipsum consilium, Græci Codices interpolati sint. Cur enim varietas in his dumtaxat annis occurrit, quibus juxta menstruam Lunæ periodum intellectis, Patriarchæ nondum generationi habiles erant; in ceteris autem, in quibus erant uxori maturi, nulla omnino mutatio accidit? Imo cur mutatio facta est in annis tantum generationis, non in annis vitæ, exceptis unius Lamechi annis? Hæc sane consilio, non casu, facta, omnino verisimile est. „

X. Probatur. Corruptio illa, vel depravatio, quam fingunt Adversarii fuisse factam in Textu Hebraico, vel facta fuit consilio, & fraude Judæorum, vel casu & fortuito; sed neutrum dici potest: ergo, &c. Probatur minor; Credi enim non potest, Judæos, qui per totum Orbem dispersi inveniebantur, in depravationem, & corruptionem illam conspirasse; etsi enim illis omnibus idem fuisset consilium, esse tamen haud poterat eadem exequutio. At nec consilium esse poterat, quia cogitari nequit finis, quem hujusmodi consilium habuisset. Exequutio autem fuisset pariter impossibilis moraliter, quia non in sola Palestina, sed ubicumque Judæi erant Sacri Codices quoque inveniebantur. Per totum ergo fere terrarum Orbem quis dicet, Judæos uno consilio, & una manu exequutioni dedisse hanc universalem depravationem? Casu autem, & fortuito neque fieri poterat; quia etsi fieri potuisset in uno loco, fieri tamen non poterat in omnibus. Et aliquando si contigisset apud unum, qui illos habebat, quonam pacto contingere pariter poterat apud omnes, & singulos, a quibus libri illi terebantur. Cæterum Sacri Codices in omnibus, & singulis Synagogis inveniebantur, singulis Sabatis in iisdem legebantur, & præ manibus Judæorum ubique erant: quæ quidem omnia impossibilem probant moraliter depravationem, & corruptionem illam, quam Adversarii comminiscuntur.

Arguunt I. Septuaginta Seniores transtulerunt primigenium Textum hebraicum omni fidelitate, ac sinceritate: ergo si tractu temporis inter versionem, & Textum inventa est immutatio, fuit potius

ex

ex parte Textus, quam ex parte versionis, quia Textus non asservatus fuit, qualis tunc erat; versio enim semper integra habita est, apud quoslibet illa veniret. II. Textus Samaritanus dicitur continuatus ad Hebræum Textum; sed Samaritanus cohæret versioni septuaginta: ergo pariter Textus Hebræus cum eadem versione antiquitus conveniebat: ergo si modo non convenit defectus ex parte Hebræi Textus se tenet. Probatur major. Textus seu versio Samaritana facta est a Sacerdote misso Samariam ex Ninive anno circiter primo, aut secundo Babilonicæ captivitatis; & hoc ut doceret Gentes, quæ Regnum Israel occupabant, modum colendi Deum; ipsæ enim propter sua impietatem à leonibus passim discerpebantur. III. Alii errores in Textu Hebraico inveniuntur, qui non leguntur in Græca versione: ergo non mirum, si error, de quo loquimur, in uno, & non in altero, inveniatur. Probatur antecedens, enumerando errores hosce juxta Patris Boucat enumerationem, & verba: „A diluvio ad nativitatem usque Phaleg, quo tempore Gentium dispersio per universum Orbem facta est, in Hebræo centum dumtaxat numerentur anni; ab hoc vero eventu juxta S. Augustinum lib. 16. de Civit. Dei cap. 11. versus illa tempora Nembrodus Babyloniorum Regnum erexit. Sed incredibile est tres Noe filios intra centum annos tantum hominum numerum procreasse, qui regnis condendis, propagandisque Coloniis sufficeret: cum septuaginta capita, Jacob scilicet, ejusque Filii, & Nepotes ducentorum, & quindecim annorum intervallo, quo in Ægypto versati sunt, sexaginta dumtaxat hominum millia non sine benedictione speciali genuerint. Secundo: Textus Hebræus omittit Cainam juniorem Patriarcham, de quo tamen fit mentio in Codice græco, & Luc. 13. his verbis: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*: ergo, &c. Tertio: Demum Psal. 20 Hebræus Textus legit: *Foderunt manus meas, & pedes meos*: Judæi in suis Codicibus scripserunt: *Sicut Leo manus meas, & pedes meos*. Loco *Caru*, quod significat *foderunt*, posuere *Caari*, quod significat *sicut leo*: Igitur Textus Hebræus fuit adulteratus. Quarto: Ita propugnant Justinus martyr in dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. cap. 24. Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 3. Origenes homil. 12. in Jerem. Chrysostomus homil. 5. & 9. in Matth. Julianus Toletanus Archiepiscopus lib. 1. & 3. contra Judæos: ergo, &c." IV. Christus Dominus, & post illum Apostoli sui, septuaginta versione utebantur: ergo huic nos in omnibus adhærere debemus. Antecedens probatur ex Augustino lib. 18. de Civit. Dei cap. 43. *Hanc, quæ septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci Populi Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua, ignorat.* Idem Augustinus cit. loc. dicit hanc versionem septuaginta esse *inspiratam*. Et lib. 15. de Civit. cap. 11. asserit non esse probabile seniores timoratos in annis Patriarcharum secres mutilasse scripturas. V. Patres multi apud Baronium in Apparatu ad Annales, & Morinum lib. 1. de Hebræi, Græcique Textus genuinitate, Hebræo Textui græcam versionem præferunt. VI. Ecclesia Romana ennuntiando Christi Nativitatem, Chronologiæ septuaginta, non Hebraici Textus adhæret: ergo illam approbat, non hanc. VII. Sextum Generale Concilium juxta versionem septuaginta suam epocham formavit, scilicet notando annum a mundi origine 6199. VIII. Josephus Judæus lib. 1. antiquit. cap. 4. & 7. numerat annos Patriarcharum, qui vixerunt ante diluvium juxta Græcam septuaginta versionem. IX. Philo Judæus libro, qui inscribitur de temporibus, Josephi Judæi sententiam sequens, versionem quoque septuaginta sequitur. X. Justinus in dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. cap. 24. Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 3. Origenes homil. 12. in Jeremiam, & in epist. ad Julium Africanum, Chrysostomus homil. 5. & 9. in Evangelium S. Matthæi, Julianus Archiepiscopus Toletanus lib. 1. & 3. contra Judæos, Euthymius comment. in S. Matthæum, Chronologiæ pariter Septuaginta subscribunt.

Respondemus ad I. depravationem fuisse potius in versione septuaginta, quam in Hebraico Textu factam; docet Augustinus lib. 15. de Civitate Dei cap. 18. cujus verba in 8. probatione retulimus. Additur quod reponit P. Boucat ad hoc argumentum: „Akibah Rabbinus, qui secundo vivebat seculo, quique Barcochebath veluti Messiam habebat, ut se e Christianorum argumentis, quod Judæorum jugulum petebat, expediret, Messiam scilicet venisse juxta Prophetas quarto mundi millenario, addidit Chronologiæ hebrææ 1500. annos, ne eventus proba-

,, ret veritatem, contendens juxta Chro-
,, nologiam sic accommodatam, Christum
,, Messiam, nonnisi sexto, aut septimo
,, millenario expectandum, sicque Pro-
,, phetias in Jesu Nazareno adimpletas ne-
,, gari. Sed vel ista Rabbinæ Chronologia
,, ad metam regulæ S. Augustini compo-
,, nenda est; vel potius dicendum Chrono-
,, logiam Akibah prorsus adversari genui-
,, næ Synagogæ opinioni, quandoquidem
,, ex tractatu Sanhedrin quarta mundi
,, ætate debuit nasci Messias. Quid plura
,, pro eodem adjiciam momento? Ante-
,, quam Talmud Babylonicum esset a Rab-
,, binis septimo Ecclesiæ cadente seculo
,, editum, sicut ex Judæorum traditionibus
,, colligit R.P. Morinus lib.2. exercit.6. c.4.
,, nulla erat apud Judæos traditio de nasci-
,, turo Messia in tali, vel tali ætate, cujus
,, rei hæc est irrefragabilis ratio, quod in-
,, ter Judæos, & Christianos nulla unquam
,, mota fit de hoc controversia primis secu-
,, lis; non quidem primo ut liquet ex scri-
,, ptis Apostolorum, & ex Concilio Jero-
,, solymitano, ubi disputatum est de lega-
,, libus inter Judæos, & Gentiles ad fidem
,, conversos; Sed neque secundo, cum,
,, teste Eusebio lib.3. histor. cap.31. & lib.4.
,, cap. 8. multi tunc temporis extarent
,, Christiani Judæi in lingua hebræa exculti,
,, ti, qui pro virili, & ex Religionis zelo
,, hunc errorem debellare non cessassent. ,,

Ad II. Dicitur cum Hieronymo, quod versio Samaritana fuit viciata, atque depravata; & hoc probat lib. quæstion. hebraicarum in Genesim quæst 4., quia ipse legerat in Pentateucho Samaritanorum Mathusalem genuisse Lamechum anno 187. ætatis suæ: & nihilominus Morinus in Codice Samaritano, quem ad lucem attulit, legere facit, quod Mathusalem genuerit Lamech anno ætatis suæ 67. & Joseph Scaliger testatur se in alio Samaritano Codice legisse, quod genuerat anno 77. Quum igitur hæc, & aliæ variationes in Samaritana versione inveniantur, quas videre quilibet poterit in Anglicana Polyglotta, necesse est ut dicamus Samaritanam versionem, non Hebraicum Textum, fuisse depravatam.

Ad III. Idem P. Boucat, qui argumenta proponit, respondet: ,, Controversiam
,, præsentem nonnisi de calculis moveri,
,, quæ ad fidem saltem directe non perti-
,, net, nusquam vero de substantia, circa
,, quam nihil momenti reperies in Textu
,, hebræo, quod quidem potest illustrari
,, sententia Psalmi vigesimi laudata: *Fode-*
,, *derunt manus meas, &c.* Hæc enim: *Sicut*
,, *leo manus meas, & pedes meos.* In re con-
,, sentire utramque enim lectionem He-
,, bræorum libri habuerunt; ut vel ipsi Ma-
,, soretæ fatentur, & in parva Mazora tra-
,, ditur, vocis ipsius, *Caari* significationem
,, in idem, ac significationem voci, *Caru*,
,, recidere, quod nempe leo, sive ungui-
,, bus, sive dentibus, ad capiendam, &
,, vorandam prædam utatur, & carnes
,, pungat, & perfodiat. Solutio est Divi
,, Hieronymi, & August. prior epist. ad
,, Vitalem loquens de calculis, ait: *Hujus-*
,, *modi hærere quæstionibus, non tam studiosi,*
,, *quam otiosi hominis esse.* Rursus in cap.3.
,, epist. ad Titum hujusmodi quæstiones
,, appellat: *Inutiles, & vanas ..... Quid*
,, *enim mihi prodest, ait, scire quot annos vi-*
,, *xerit Mathusalem; quoto ætatis suæ anno Sa-*
,, *lomon sortitus sit conjugem: ne forsitan Roboam*
,, *undecimo ætatis illius anno natus esse credatur?*
,, *Et multa istiusmodi, quæ aut difficile est in-*
,, *venire propter librorum varietatem, & dum*
,, *paulatim de inemendatis inemendata scribun-*
,, *tur, errores insolitos; aut etiamsi invenire-*
,, *mus magno studio, & labore, nihil profectu-*
,, *ra cognovimus.* Cæterum comm. in cap.6.
,, Isaiæ ait exemplaria hebræa a Judæis non
,, fuisse deflorata, cum nec Christus, nec
,, Apostoli hujus proditionis illos insimu-
,, laverint, & arguerint. Alter scilicet Au-
,, gustinus lib.13. de Civit. Dei cap.3. vindi-
,, cat Textus Hebræi autenticitatem, cu-
,, jus verba jam jam supra recitimus. Re-
,, spondeo secundo ad primum quidem di-
,, stinguendo; & non dicit Textus sacer
,, divisionem Nationum factam, cœpisse
,, fieri eo præcise anno, quo natus est Pha-
,, leg, concedo: secus, nego. Sequitur
,, solum perdurasse ea, qua vivebat, ætate,
,, propter quod inquit Hieronymus in tra-
,, ditionibus hebraicis: *Heber vaticinio quo-*
,, *dam filio suo Phaleg nomen imposuit; qui in-*
,, *terpretatur divisio, ab eo quod in diebus ejus*
,, *lingua in Babylone divisa sunt.* Disputant
,, tamen de hoc calculo Historiographi,
,, quiquid sit Gen. 9 hanc Deus dedit ho-
,, minibus, translato diluvio, benedictio-
,, nem: *Crescite, & multiplicamini, & re-*
,, *plete terram.* Igitur versus Phaleg tem-
,, pora potuit fieri homines citius,
,, & magis multiplicare propter extermi-
,, nium diluvii, ut multiplicarentur ter-
,, ræ incolæ, quam ea ætate, qua Jacob
,, cum filiis habitabat Ægyptum, maxime
,, cum tunc non deessent Orbi incolæ. Ad
,, secundum distinguo similiter: Textus
,, Hebræus omittit Cainam juniorem, ex-

,, pli-

„ plicite, transeat: omittit & Textus Sa-
„ maritanus ad hebræum concinnatus: im-
„ plicite, nego. Dico implicite, eatenus
„ de Cainan fecisse mentionem, quatenus
„ Sale Cainam filium dicit ab Arphaxad
„ progenitum, non dubio procul imme-
„ diate, quippe qui esset ipsius Sale Pa-
„ truus, sed mediante suo filio Cainan,
„ quo sensu ad hudiernam usque diem filii
„ alicujus, etiam patrui filii nuncupantur.
„ Neque vero omittenda sunt quædam ob-
„ servatione digna, ut præter Cain pri-
„ mogenitum Adæ filium, duos distingui
„ Cainan, unum scilicet filium Enos, ut
„ habetur Genesis 5., alterum vero filium
„ Arphadax, ut legitur Lucæ 3. Porro
„ Christus suam, ut homo, non duxit ori-
„ ginem a Cain, cujus progenies in dilu-
„ vio fuit extincta, verum potius a Seth
„ filio Adam, a quo directe processit Noe,
„ & per ipsum, transacto diluvio, cæteri
„ homines. Neque prætereundum est per-
„ sonas easdem diversa in Scripturis sor-
„ tiri nomina, quod non uno potest illu-
„ strari exemplo ad difficultatum solutio-
„ nes. Sic 4. Regum 23. Joachim antea
„ Eliacim, fuit Rex Juda, & appellatur
„ Melchi Lucæ 3., post ipsum vero con-
„ stituitur Rex ejus filius Joachim 4. Re-
„ gum 24., qui & Jecunias nominatur Je-
„ rem. 37. Neri vero Luc. 3. 1. ei succes-
„ sit suus patruus Mathanias, qui & Sede-
„ cias vocatur 4. Reg. 24. demum Jecbo-
„ nias genuit Salathiel &c. Ad tertium ex
„ dictis patet solutio, cum lectiones sen-
„ tentiæ laudatæ in substantia conveni-
„ ant, & non nisi aliquam penes expres-
„ sionem diversæ sint. Ad quartum deni-
„ que ita distinguimus, & Patres pro ob-
„ jectione recensiti non loquuntur de
„ Textu hebræo primigenio, sed de ver-
„ sionibus Textus hebræi in græcum
„ Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi,
„ qui hereseos fuligine aspersi, Scriptu-
„ ram Sacram suis translationibus conta-
„ minarunt, concedo. Eas enim tametsi
„ græcas, nominabant tamen hebræas,
„ ex eo quod ex Hebræo primitus emana-
„ rent, in quo quidem sensu Patres non
„ nunquam Textum Hebræum deflora-
„ tum afferunt: & eloquuntur de Textu
„ Hebræo originali, nego. Sed hoc dato,
„ & non concesso, cæteris prævalet au-
„ ctoritas SS. Hieronimi & Augustini, qui
„ sunt, nullo diffitente, in indagandis
„ Sacris Scripturis omni exceptione majo-
„ res. „

Ad IV. Christus & Apostoli utebantur græca Versione Septuaginta, in quantum hæc secundum substantiam depravata non erat, & in rebus, quæ spectabant ad fidem & mores cum Hebraico Textu omnino conveniebat. Additur, quod Christi, & Apostolorum tempore hebræa lingua deperdita jam erat, & Judæi vulgo syriaco idiomate utebantur, ut alias dictum est a nobis; doctiores vero inter illos græcum sermonem adhibeant, qui alias a Romanis dominantibus ad latine loquendum non cogebantur. Igitur natione hebraica quia in quibusdam a Romanis in quadam libertatis suæ specie consistere permittebatur, & quia non per longum tempus sub Romanorum dominio fuerat, inde est, quod nec hebraice loquebatur, quia nesciebat, nec latine quia ad huc non cohortabatur, nec Syriace, quia adhuc Sacræ Scripturæ in Syriacum versæ non erant Hebraica natio, Christus & Apostoli, ut pote cum doctioribus loquentes, græca lingua loquebantur.

Ad V. Nos non negamus Versionis septuaginta genuinitatem, quod & allati Patres faciunt; sed dicimus in calculis annorum hebraico Textui non esse præferendum, quod allati Patres non scribunt. Cæterum si qui unus, aut alter pro Græca Versione stet, nos plurimos habemus stantes pro Hebraico Textu; & si omnes deficerent, satis nobis essent Hieronymus, & Augustinus.

Ad VI. Martyrologii lectioni præponimus Tridentini Concilii declarationem pro nostra Vulgata Versione, quæ Textui Hebraico conformis est, & non Versioni Septuaginta Interpretum. Verum est quidem, quod Baronius supputationem illam Martyrologii efformavit, & Ecclesia legendam quotannis nobis proposuit; at non per hoc Ecclesiæ mens fuit, ut illi soli supputationi adhæreremus, & omnem aliam rejiceremus, præcipue illam, quæ in Hebraico Textu continetur, & quæ a Tridentino Concilio in Editione Vulgata confirmata est.

Ad VII. Sexti Generalis Concilii non fuit illius Epochæ efformatio, sed tantum usus, qui quidem usus tunc vulgaris erat, & Concilium post voluit usu illi communi & vulgari se conformare. Cæterum maledicitur in objectione, quod illa fuerit Sexta Synodus Generalis, quum potius fuerit Synodus Quini-sexta, quæ dicitur Trullana, & de cujus legitimitate atque authoritate nulla est certitudo.

Ad VIII. Duas dat responsiones P.Boucar,
quæ sunt : ,, Ad auctoritatem Josephi
,, ipsum adhæsisse calculis Textus Hebręi,
,, ut observat P. le Quien cap.5. partis 2.
,, defensionis Textus Hebręi & Fridericus
,, Spahemius par. 2. cap. 3. Chronologiæ
,, factæ. Et vero si annos, quos Josephus
,, lib. 2. antiquit. cap. 2. & lib. 10. cap. 11.
,, numerat a creatione mundi usque ad
,, Templi ædificationem, quæ facta est an-
,, no Salomonis accurate quis supputare
,, velit, reperiet, a mundo condito usque
,, ad fabricam Templi effluxisse dumtaxat
,, juxta calculum Josephi 3045. annos, qui
,, Josephi calculus consentit cum Epilo-
,, gismo Hebræorum. Secundo idem Jo-
,, sepus lib. 1. contra Apionem cap. 2. ab
,, exordio mundi ad Moysis obitum usque
,, numerat tria propè annorum millia: Sed
,, si adhæsisset calculis Septuaginta, nume-
,, rasset usque ad Moysis obitum quatuor
,, annorum millia. Ultro tamen fatemur
,, Textum Josephi nonnihil depravatum
,, fuisse a Græcis in calculo annorum Pa-
,, triarcharum ante, & post diluvium.
,, Revera quidem lib. 1. Antiquit. cap. 4. a
,, creatione mundi ad diluvium usque
,, assignatos 2656. anni, & tamen in eo-
,, dem prorsus capite Textus hodierni so-
,, lum 2256. numerantur. Rursus Josephus
,, a diluvio usque ad Abrahæ nativitatem
,, in priori textu computat tantum 292.
,, annos; in pręsenti vero conficiunt an-
,, norum summam 992. quo circa Morinus
,, lib. 2. de Hebręi, Gręcique Textus ge-
,, nuinitate exercit.7. cap. 1. scribit quem-
,, dam sciolum Textui primogenio Josephi
,, centum addidisse sentenias. ,,

Ad IX. Philo certum est, quod in suppo-
tandis Patriarcharum annis sequutus est
Textum Hebraicum, non vero Septua-
ginta Versionem. Et hoc constat tum ex
Sixto Senensi lib.5. Biblioth. Sanctæ, tum
ex Becciolio lib. 7. Chronol. reformat.
cap. 2. Liber vero, qui adducitur inscri-
ptus de temporibus & tribuitur Philoni,
suppositus omnino est, quum de eo ta-
ceant penitus Eusebius lib. 2. histor. Ec-
clesiast. cap. 18. & Hieronymus in Ca-
thalogo Scriptorum Ecclesiasticorum;
& post hos Cardinalis Bellarminus in
Philone de Scriptoribus Ecclesiasticis
post opera sua genuina enumerata atque
enarrata, de hoc, de quo loquitur hæc
habet: *Circumfertur nomine Philonis Bre-
viarium temporum, sed ab omnibus rejicitur,
ut etiam alii Historici, qui cum eo Breviario
simul editi sunt.*

Ad X. quod etiam opponebatur supra num.
3. & ibi responsum non dedimus, quia
pro hoc loco reservavimus, dicitur, quod
enunciati Patres loquuntur de Textu he-
braico, quem depravaverant Aquila,
Theodotio Symmacus, ex Hebræo Chri-
stiani facti, ut diximus, sed non lo-
quuntur de Textu Hebraico primigenio.
Cui responsioni ex Natali Alexandro
hæc superaddimus: Respondetur Patres
,, illos de Textu hebræo, & primigenio
,, non loqui, sed de Versionibus Aquilæ,
,, Theodotionis, & Symmachi Judæorum
,, Apostatarum, qui Scripturâ Sacram trans-
,, lationibus suis contaminarunt, quas He-
,, braicam Scripturam appellabant, quia
,, ex Hebræo fuerant expressæ, ut eas Ver-
,, sioni septuaginta Interpretum Ecclesiæ
,, usu consecratæ apponerent. Deinde
,, esto ita senserint illi Patres, eorum sen-
,, tentia in quæstione, quæ fidei summam
,, non spectat, discutienda est. S. Hiero-
,, nymus & Augustinus, re accuratius ex-
,, persa, hanc opinionem ut probabilem
,, rejecerunt. Iste lib. 15. de Civit. Dei
,, cap. 13., cujus verba mox allata; ille
,, cap. 6. Commentar. in Isaiam; *Si aliquis*
,, inquit *dixerit, Hebræos libros postea a Ju-*
,, *dæis esse falsatos, audiat Origenem quid in 8.*
,, *volumine Explanationum Isaiæ huic respon-*
,, *deat quæstiunculæ, quod numquam Dominus,*
,, *& Apostoli, qui cætera crimina arguunt in*
,, *Scribis & Pharisæis, de hoc crimine, quod*
,, *erat maximum reticuissent. Sin autem*
,, *dixerint post adventum Domini Salvatoris,*
,, *& prædicationem Apostolorum, Libros He-*
,, *bræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non*
,, *potero, ut Salvator, Evangelista, & Apo-*
,, *stoli, ita testimonia protulerint, ut Judæi po-*
,, *stea falsaturi erant.* Quantum fuerit S. Hie-
,, ronymi Studium pro hebraica veritate,
,, nemo nescit, idque satis probat ejus in
,, nova Versione ex Hebræo adornanda
,, gloriosus labor, in eaque adversus æmu-
,, los defendenda ardor nobilis. Cum igi-
,, tur alicubi scripsit Hebraicum Textum a
,, Judæis fuisse interpolatum, ex propria
,, sententia non est loquutus, sed ex alio-
,, rum opinione, quod ipsi in Commen-
,, tariis solemne fuisse norunt eruditi; id-
,, que ipse de se testatur lib. 1. Apologiæ
,, adversus Roffinum. Lege dissertatio-
,, nem nostram 11. in Historiam Ecclesia-
,, sticam Seculi secundi. In ea etiam Dis-
,, sertatione rationibus inconcussis proba-
,, mus Textum Hebraicum a Judæis, nec
,, ante, nec post Christi adventum fuisse
,, depravatum. Non ante, quia Christus,
,, qui

„ qui alia Judæis crimina exprobravit, „ hujus eos nunquam arguit sceleris; imo „ Joannis 3. ad scrutandas Scripturas au„ ditores suos hortatur, quod non fecisset, „ si tunc depravatæ fuissent, sed de inter„ polatione monuisset. Et Matth. 23. *Su„ per cathedram Moysi*, inquit, *sederunt Scri„ bæ, & Pharisæi: Quæcunque ergo dixerint vo„ bis, servate & facite*. Certe ad corrupto„ res Scripturarum audiendos Christus po„ pulus non misisset. Neque etiam post „ Christi adventum Sacros Codices depra„ varunt, quod validis argumentis proba„ tur. Primo, quod in Codicibus Hebræis „ nunc extent, quæ ex iis a Christo, & „ Apostolis laudata sunt, testimonia. Se„ cundo, quod in iis vaticinia de Christo, „ ejusque mysteriis & Ecclesia, illibata „ sint, quibus tamen non pepercissent Ju„ dæi, si Sacros Libros violassent. Tertio, „ quod interdum Textus Hebræus Judæis „ magis obsit, quam Græcus, vel Latinus, „ ut in psalm. 2. videre est, ubi pro eo „ quod Græci & Latini Codices habent: „ *Apprehendite disciplinam, ne quando irasca„ tur Dominus*: in Hebræo legitur: *Oscula„ mini Filium, ne irascatur*. Quæ lectio „ Christum Dei Filium evidentius demon„ strat, quam prior. Quarto, quod Judæo„ rum tantus fuerit zelus erga Legem, & „ Libros Sacros, ut mortem potius, omnia„ que tormenta subirent, quam vel unum „ Legis apicem mutare, aut adulterare „ vellent, ut de ipsis testatur Josephus lib. „ 2. contra Apionem, & Philo apud Euse„ bium lib. 8. præparat. Evangel. cap. 6. & „ 8. Quinto injuriosum esset Dei providen„ tiæ, qui se Ecclesiæ semper adfuturum „ promisit, asserere Libros, quibus Deus „ totam mentem, ac voluntatem suam de „ doctrina salutis consignavit, Deo per„ mittente, fuisse corruptos in iis capitibus, „ quæ summam Religionis spectarent: „ maxime cum Judæos per omnes Gentes „ ideo dispersferit, ut hos Libros ubique „ ad probandam Christianæ Religionis ve„ ritatem circumferrent; *Tanquam capsarii „ nostri*, inquit S. Augustinus, *ut cum Pa„ gani non credunt quæ nos de Christo prædicta „ fuisse dicimus, quasi a nobis essent conficta, mit„ tamus eos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui „ libros circumferunt, in quibus eadem haben„ tur, quæ nos prædicamus*. Porro si Codices „ Sacros Judæi non interpolarunt in iis ca„ pitibus, quæ summam Religionis spe„ ctant, multo minus eos ex industria & „ malitia depravarunt in numeris anno„ rum veterum Patriarcharum, qui nullius „ sunt ad Religionis controversias momen„ ti „.

Pro secunda Dissertationis parte, an scilicet anni Patriarcharum veteris Testamenti æquales fuerint annis nostris, Moyses ex una parte Genesis 5. testatur, quod Adam vixerit nongentis & triginta annis, Seth nongentis & duodecim, Enos nongentis & quinque, Cainan nongentis & decem, Malaleel octingentis nonaginta quinque, Jared nongentis sexaginta duobus, Enoch trecenti sexaginta quinque usque ad suam translationem, Mathusala nongenti sexaginta novem, Lamech septingentis septuaginta septem, Noe nongentis quinquaginta annis. Ethnici autem, & alii quoque, hoc incredibile putarunt, proinde dixerunt, annos a Moyse numeratos pares nostris non fuisse, sed potius fuisse menstruos, quales erant illi, quos olim Ægyptii numerabant, vel ita breves, ut centum ex illis decem ex nostris non superarent; unde secundum illos annus unus fuerit tantum dierum triginta sex. Lactantius lib. 2. cap. 12. scribit, Varronem in hac sententia fuisse. *Sic facta hominis via est temporaria, sed tamen longa, quæ in mille annos propagaretur, quod divinis litteris proditum, & per omnium scientiam publicatum cum Varro non ignoraret, argumentari nisus est, cur putarentur antiqui mille annos vixitasse. Ait enim apud Ægyptios pro annis menses haberi, ut non solis per duodecim signa circuitus faciat annum, sed Luna, quæ Orbem illum signiferum triginta dierum spatio illustrat*. Fuisse pariter in eodem errore suo tempore alios, quos scribit, & refellit Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 12. *Neque enim ullo modo audiendi sunt, qui putant, aliter annos illis temporibus computatos, id est tanta brevitatis, ut unus annus noster decem illos habuisse credatur. Quapropter, inquiunt, cum audierit quisque, vel legerit, nongentos annos quemquam vixisse, debet intelligere nonaginta: decem quippe illi anni unus est noster; & decem nostri centum illi fuerunt. Ac per hoc, ut putant, viginti trium annorum fuit Adam, quando genuit Seth; & ipse Seth viginti habebat, & sex menses, quando ex illo natus est Enos, quos appellat Scriptura ducentos, & quinque annos. Quoniam sicut isti suspicantur; quorum exponimus opinionem, unum annum, qualem nunc habemus, in decem partes illi dividebant, & easdem partes annos vocabant.... Proinde etiam Enos, quem genuit Seth, decem & novem agebat annos, quando ex illo natus est filius ejus Cainan*, quos

quos annos dicit Scriptura centum nonaginta. Et deinceps per omnes generationes, in quibus hominum anni commemorantur ante diluvium, nullus fere in nostris Codicibus invenitur, qui cum esset centum annorum vel infra, vel etiam centum viginti, aut non multo amplius, genuerit filium; sed qui minima ætate genuerunt, centum sexaginta, & quod excurrit, fuisse referuntur: quia nemo, inquiunt, decem annorum homo potest gignere filios, qui numerus centum appellaretur anni ab illis hominibus; sed in annis sexdecim, est matura pubertas, & proli jam idonea procreandæ, quos centum & sexaginta annos illa tempora nuncupabant. Ut autem aliter annum tunc fuisse computatum non sit incredibile, adjiciunt quod apud plerosque Scriptores Historiæ, reperitur, Ægyptios habuisse annum quatuor mensium, Arcananas sex mensium, Lavinios tredecim mensium. Plinius Secundus cum commemorasset, relatum fuisse in literas, quemdam vixisse centum quinquaginta duos annos, alium decem amplius, alios ducentorum annorum habuisse vitam, alios trecentorum. quosdam ad quingentos, alios ad sexcentos, nonnullos ad octingentos etiam pervenisse, hæc omnia propter inscitiam temporum accidisse arbitratus est. Alii quippe, inquit, æstate unum determinabant annum, & alterum hyme, alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni, inquit. trimestres fuere. Adjecit etiam aliquando Ægyptios, quorum parvos annos quaternorum mensium fuisse supradiximus, Lunæ fine limitasse annum. Itaque apud eos, inquit, & singula millia annorum vixisse produntur. His velut probabilibus argumentis quidam non destruentes fidem sacræ hujus Historiæ, sed adstruere nitentes, ne sit incredibili, quod tam multos annos vixisse referuntur antiqui, persuaserunt sibi, nec se suadere imprudenter existimant tam exiguum spatium temporis tunc annum vocatum, ut illi decem sint unus noster, & decem nostri centum illorum.

Dicimus II. annos Patriarcharum veteris legis annis nostris fuisse pares; adeoque longævitatem ipsorum a Moyse narratam non esse incredibilem.

I. Probatur. Si anni illi fuissent menstrui, vel triginta sex dierum, sequeretur, quod aliqui ex illis anno vel sexto, vel septimo ætatis liberos genuissent; sed hoc non est dicendum: ergo &c. Probatur major. Cainam septuaginta annorum genuit Malaleelem; Malaleal & Henoch sexaginta quinque genuerunt, ille Iaredum, hic Methulalam; unde sequeretur, quod Cainam anno septimo Malaleel, & Henoch, statim post annum sextum filios genuerint. Rationem hanc sic prosequitur Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 12. *Poteramus certe hanc asservationem ex Hebræis Codicibus redarguere, aut convincere, ubi Adam non ducentorum triginta, sed centum triginta annorum fuisse reperitur, quando tertium genuit filium: qui anni, si tredecim nostri sunt, proculdubio primum genuit quando undecim vel non multo amplius annorum fuit. Quis potest hac ætate generare usitata ista, nobisque notissima lege naturæ? Sed hunc omittamus, qui fortasse etiam quando creatus est, potuit. Non enim eum tam parvum, quam infantes nostri sunt, factum fuisse credibile est. Sed filius ejus noc ducentorum quinque, sicut nos legimus, sed centum quinque fuit, quando genuit Enos, ac per hoc secundum istos nondum habebat undecim annos ætatis. Quid dicam de Cainam ejus filio, qui cum apud nos centum septuaginta repertatur, apud Hebræos septuaginta legitur fuisse, quando genuit Malaleel? Quis generat homo septennis, si tunc anni septuaginta nuncupabantur, qui septem fuerunt?*

II. Probatur. Genes. 7. legitur, quod diluvium incæpit die decimoseptimo mensis secundi, & duravit circiter usque ad diem vigesimum septimum mensis septimi, sicque diluvii dies fuerunt centum quinquaginta. Hæc positio, sic discurrimus: Si annus fuisset menstruus, vel triginta sex dierum, non potuisset continere varietatem mensium primi, septimi, decimi, & in eodem mensem dierum decem & septem; Annus menstruus non potuisset dividi in menses, & nullus mensis potuisset habere diem decem, & septem; & a decursu diei decimi septimi mensis secundi ad diem decimum septimum mensis septimi, qui fuit centum & quadraginta dierum, constat menses fuisse pares nostris, adeoque etiam annos. Quæ omnia confirmantur ex ejusdem capitis 8. Genesis verbis: *Requievitque Arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ. At vero aquæ ibant, & decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium.* Si enim annus fuisset menstruus, non potuisset habere decem menses, & quilibet ex his continere non potuisset plusquam decem & septem dies. Hoc pariter argumento utitur Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 14. *Sexcentesimo anno Vitæ Noe scriptum est, factum esse diluvium. Cur ergo ibi legitur: Et aqua diluvii facta est super terram sexcentesimo*

mo anno in vita Noe, secundi mensis, septima & vigesima mensis; Si annus ille minimus, quales decem faciunt unum nostrum, triginta sex dies habebat? Tantillus quippe annus si antiquo more hoc nomen accepit, aut non habet menses, aut mensis ejus est triduum, ut habeat duodecim menses. Quomodo igitur hic dictum est: Sexcentesimo anno, secundi mensis, septima & vigesima die mensis, nisi quia tales, quales nunc sunt, etiam tunc erant menses? Nam quo pacto aliter vigesimo & septimo die secundi mensis diceretur cœptum esse diluvium? Deinde postea in fine diluvii ita legitur: Et sedit Arca in mense septimo, septima & vigesima die mensis super montes Ararat. Aqua autem minuebatur usque ad undecimum mensem; in undecimo autem mense, prima die mensis, paruerunt capita montium. Si igitur tales menses erant, tales profecto & anni erant, quales nunc habemus. Menses quippe illi triduani, viginti & septem dies habere non poterunt. Aut si pars trigesima tridui tunc appellabatur dies, ut omnia proportione minuantur: ergo nec toto quatriduo nostro factum est illud tam grande diluvium, quod memoratur factũ quadraginta diebus & noctibus. Quis hanc absurditatem & vanitatem ferat? Proinde removeatur hic error, qui conjectura falsa ita vult adstruere Scripturarum nostrarum fidem, ut alibi destruat. Prorsus tantus etiam tunc dies fuit, quantus nunc est, quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo nocturnoque determinat; tantus mensis quantus & nunc est, quem Luna capta & finita concludit; tantus annus, quantus & nunc est, quem duodecim menses lunares, additis propter cursum solarem quinque diebus & quadrante, consummant: quanti anni sexcentesimi vita Noe secundus erat mensis, ejusque mensis vigesimus & septimus dies, quando cœpit esse diluvium; in quo dies quadraginta continuata ingentis pluviæ memorantur, qui dies non binas ac paulo amplius horas habebant, sed vicenas & quaternas, die noctuque transactas.

III. Probatur Genes. 11. Moyses narrat, quod Sem vixit sexcentos annos, Arphaxad trecentos triginta & octo, Sale quadringentos triginta sex, Heber quadringentos sexaginta quatuor, Phaleg ducentos triginta novem, Reu ducentos triginta novem, Sarug ducentos & triginta, Nachor centum quadraginta & octo, Thare ducentos & quinque, Abraham centum septuaginta quinque. Hi anni si fuissent menstrui, brevis admodum fuisset vita illorum, qui sequuti sunt Eberum; nam Phaleg non implevisset plus, quam viginti quatuor annos, Sarug totidem fere, id pariter Reu, Nachor quindecim, Thare viginti, Abraham decem & septem; & nihilominus Scriptura dicit, quod Abraham obiit, *deficiens in senectute bona, provectaque ætate, & plenus dierum*. Unde loco supra citato concludebat Augustinus: *Ac per hoc tam magnos annos vixerunt illi Antiqui usque amplius quam nongentos, quantos postea vixit Abraham centum septuaginta quinque, & post eum filius ejus Isaac centum octoginta, & filius ejus Jacob prope centum quinquaginta, & quantos interposita aliquanta ætate Moyses centum & viginti, & quantos etiam nunc vivunt homines septuaginta, vel octoginta, vel non multo amplius, de quibus dictum est: Et amplius eis labor, & dolor. Illa vero numerorum varietas, quæ inter Codices Hebræos invenitur & nostros, neque de hac Antiquorum longævitate dissentit, & si quid habet ita diversum, ut verum esse utrumque non possit, rerum gestarum fides ab ea lingua repetenda est, ex qua interpretatum est quod habemus.*

IV. Probatur, quod non sit incredibilis Patriarcharum longævitas, testimoniis a Josepho laudatis lib 1. antiquitatum, videlicet Berosi in Chaldaicis, Manethonis in Ægyptiacis, Hieronymi in Phœniciis, Hestiæi, Hecatæi, Hellanici in Græcanicis, Acusilai, Ephori, Nicolai Damasceni, quorum omnium opera Josephi tempore extabant. Josephi vero testimonium his verbis exhibet Eusebius lib. 9. præparationis Evangelicæ cap. 13. *Nemo priscorum hominum vitam cum nostra, annorumque nostrorum brevitate componens, quæ de ipsis memorantur falsa esse putet; dum ex longe brevioribus vitæ nostræ spatiis, ne veteres quidem illos tantum vivendo temporum conficere potuisse conjiciet. Nam illi sane partim quod Deo cariores, ipsaque illius manu fati essent, partim quod cibis vim suam diutius integritatemque retinentibus uterentur, vitam in tot annos propagare commode poterant. Adde verum etiam fuisse, ut partim in virtutis suæ præmium, partim ad accuratiorem ac certiorem cum Astrologiæ, tum Geometriæ, quas ipsi artes invenerant, usum & experientiam, longiorem eis Deus vitam indulgeret; quippe qui nisi sexcentos minimum annos, quod videlicet magnus Annus absolvitur, vivendo complevissent, certi nihil unquam iis de rebus posteris tradidissent. Cujus equidem rei testes habeo quotquot Græcos inter Barbarosque rerum antiquarum monimenta reliquere. Nam & Manethus, qui Ægyptiacam, & Berosus, qui Chaldaicam scripsit historiam,*

& Mo-

& Molus, & Hestiaus, & Hieronymus Ægyptius, quique res Phœnicum prosequuti sunt, uno mihi omnes ore suffragantur, imo etiam Hesiodus, Hecatæus, Hellanicus, Acusilaus, Ephorus item, & Nicolaus, Veteres mille annos vixisse tradunt: Quibus addimus Augustini verba lib. 15. de Civit. Dei cap. 9. *Antiquorum magnitudines corporum inventa plerumque ossa, quoniam diuturna sunt, etiam multo posterioribus sæculis produnt. Annorum autem numerositas cujusque hominis, qui temporibus illis fuit, nullis nunc talibus documentis venire in experimentum potest. Nec tamen ideo fides sacræ huic Historiæ deroganda est, cujus tanto impudentius narrata non credimus, quanto impleri certius prænuntiata conspicimus. Dicit tamen etiam idem Plinius, esse adhuc gentem, ubi ducentos annos vivitur. Si ergo humanarum vitarum diuturnitates, quas experti non sumus, hodie habere creduntur incognita nobis loca, cur non habuisse credantur & tempora? An vero est credibile alicubi esse, quod hic non est, & incredibile est aliquando fuisse, quod hic non est?* Denique rem firmamus testimonio Theodoreti interrogat. 49. in Genesim: *Quare longo tempore vivebant Antiqui? Ut Longiore temporis spatio augeri numero possent. Nam propter hoc etiam plures uxores ducebant. Itaque etiam post diluvium usque ad tempora Patriarcharum longævi erant. Postquam autem terram repleverunt, diminutus est deinceps annorum numerus.*

V. Probatur ratione, & verbis D. Huetii, quibus etiam utitur Natalis Alexander in Scholio 1. Huetius ergo lib. 2. Alnetanarum Quæstionum de concordia rationis, & fidei cap. 12. §. 4. sic scribit: „ Primorum hominum vitam nostra longe fuisse diuturniorem, non solum veterum Scriptorum testimoniis probare licet, quod a Josepho factum est, sed etiam compluribus exemplis, quorum constat fides. Seres annos vivere trecentos feruntur. Est hodieque apud Sinas templum Heroi cuidam consecratum, quem annos tradunt vixisse trecentos viginti duos, cum sæpius juventuti esset restitutus. Indorum vitam annis triginta, vel quadraginta supra centum vulgo determinant veteres. Memoratur idem Brachmanum diuturnitas, & Pandorarum, ac Cynocephalorum Indicarum gentium, quas tradidit Ctesias annum vitæ ducentesimum assequi. Scribunt Arabes in vita Tamerlanis, virum quemdam sogdianum Maracanda ortum, vixisse annos trecentos, & quinquaginta. Narrat Elmacinus seculo post Christum natum septimo obiisse Solimanum quendam Persam anno ætatis trecentesimo, & quinquagesimo; nec multo post venisse ad Muaviam Calipham Obeidum Saracenum trecentorum annorum. Prædicantur, & inter Græcos quidam insigni vitæ prolixitate nobiles velut Epiorum gens in Etolia, quos ajunt ad annos ducentos vitam produxisse, & quosdam etiam ex illis ad annos trecentos. Ad hæc adjiciuntur nonnulla a Plinio, & Valerio Maximo ex vetustioribus authoribus Xenophonte, & Alexandro Polyhistore, quæ etsi fabulis videntur similia, veritati tamen Sacrorum Codicum fidem faciunt. Danthoni Illyrio annos vitæ largiuntur quingentos; sexcentos alteri cuidam Regi; octingentos ejus filio. Macrosiridi, cujus cadaver in Insula Athenis proxima effossum est, annorum vitę quinquemillia tribuebat sepulchrale Epigrâma. Ex Italis multos longa ævi diuturnitate floruisse iidem perhibent Authores, quos dixi, Plinius, & Valerius, atque item Lucianus, & Phlegon. Longævos quoque homines habet Septentrio Hyperboreos progeniem vivacissimam appellat Callimachus. Millesimum vitæ annum assequi dicuntur ab Onesicrito, Simonide, Pindaro, & aliis. „

Objiciunt hoc unum Adversarii; quod scilicet incredibile plane sit veteres Patriarchas ad longam illam usque ætatem, qua Scriptura dicit liberos suscepisse, vixisse celibes, ac continentiam in matrimonio servasse. Etenim Seth genuit Enos anno centesimoquinto vitæ suæ, Enos anno nonagesimo genuit Cainan, Mathusalem quum esset annorum centum octaginta septem genuit Lamech, & Noe demum quingentesimo ætatis suæ anno genuit Sem, Cham, & Japhet.

Respondet I. Augustinus, quod homines illi ea proportione longævissimæ ætatis longe serius attingebant pubertatis annos II. Respondet idem Augustinus, quod Genealogia, quam describit Moyses contexta non fuit per Familiarum primogenitos, sed per eos tantum, per quos producenda erat series generationum usque ad Noe, & a Noe ad Abraham, ex cujus stirpe futurus erat Chrystus. En verba Augustini lib. 15. de Civit. Dei cap. 15. *Hæc quæstio duobus modis solvitur. Aut enim tanto serior fuit proportione pubertas, quanto vitæ totius major annositas: aut, quod magis video esse credibile, non hic primogeniti filii*

com-

commemorati sunt, sed quos successionis ordo poscebat, ut perveniretur ad Noe, a quo rursus ad Abraham videmus esse perventum; ac deinde usque ad certum articulum temporis quantum oportebat signari, etiam generationibus commemoratis cursum gloriosissimæ Civitatis in hoc mundo peregrinantis, & supernam patriam requirentis. Quod enim negari non potest, prior omnibus Cain ex conjunctione maris & fœminæ natus est. Neque enim illo nato dixisset Adam, quod dixisse legitur: Acquisivi hominem per Deum, nisi illis duobus ipse fuisset homo nascendo additus primus. Hunc sequutus Abel, quem major frater occidit, præfiguratione quadam peregrinantis Civitatis Dei, quod ab impiis & quodammodo terrigenis, id est, terrenam originem diligentibus, & terrenæ Civitatis terrena felicitate gaudentibus, persecutiones iniquas passura fuerat, primus ostendit. Sed quot annorum erat Adam, cum eos genuit, non apparuit. Exinde digeruntur generationes aliæ de Cain, aliæ de illo, quem genuit Adam in ejus successionem, quem Frater occidit, & appellavit nomen illius Seth, dicens, ut scriptum est: Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Cum itaque istæ duæ series generationum, una de Seth, altera de Cain, has duas, de quibus agimus, distintis ordinibus insinuent Civitates, unam Cœlestem in terris peregrinantem, alteram terrenam terrenis, tanquam sola sint gaudiis inhiantem vel inhærentem: Nullus de progenie Cain, cum dinumerata sit connumerato Adam usque ad octavam generationem, quot annorum fuisset expressus est, quando genuit eum, qui commemoratur post eum. Noluit enim Spiritus Dei in terrenæ Civitatis generationibus tempora notare ante diluvium, sed in cœlestis maluit, tanquam essent memoria digniores. Porro autem Seth quando natus est, non quidem taciti sunt anni Patris ejus, sed jam genuerat alios: & utrum solos Cain & Abel, affirmare quis audeat? Non enim quia soli nominati sunt propter Ordines generationum, quas commemorari oportebat, ideo consequens videri debet solos tunc fuisse generatos ex Adam. Cum enim silentio coopertis omnium nominibus cæterorum, legatur eum genuisse filios & filias, quota fuerit ista proles ejus, quis præsumat asserere, si culpam temeritatis evitat? Potuit quippe Adam divinitus admonitus dicere, postea quam Seth natus est: Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel; quoniam talis erat futurus, qui impleret illius sanctitatem, non quod ipse prior post eum temporis ordine nasceretur. Deinde quod scriptum est: Vixit autem Seth quinque & ducentos annos, & genuit Enos: Quis possit, nisi inconsideratus asseverare, hunc ejus primogenitum fuisse? Ut admirantes merito requiramus, quomodo per tot annos immunis fuerit a connubio sine ullo proposito continentiæ, vel non genuerit conjugatus; quandoquidem etiam de ipso legitur: Et genuit filios & filias, & fuerunt omnes dies Seth duodecim & nongenti anni, & mortuus est. Atque ita deinceps, quorum anni commemorantur, nec filios, filiasque genuisse reticentur. Ac per hoc non apparet omnino, utrum qui nominatur genitus, ipse fuerit primogenitus: Immo vero quoniam credibile non est, patres illos ætate tam longa aut impuberes fuisse, aut conjugibus caruisse vel fœtibus; nec illos eorum filios primos eis natos fuisse credibile est. Sed cum Sacræ Scriptor Historiæ ad ortum, vitamque Noe, cujus tempore diluvium factum est, per successiones generationum notatis temporibus intenderet pervenire, eas utique commemoravit, non quæ primæ suis parentibus fuerint, sed quæ in propagationis ordinem venerint.... Evangelista Matthæus generationem Dominicæ carnis per seriem parentum volens commendare memoriæ, ordiens a Patre Abraham, & ad David primitus ut perveniret intendens: Abraham, inquit, genuit Isaac: Cur non dixit Ismael, quem primitus genuit? Isaac autem, inquit, genuit Jacob: Cur non dixit Esau, qui ejus primogenitus fuit? Quia scilicet per illos ad David pervenire non posset. Deinde sequitur Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus: Nunquid Judas primogenitus fuit? Judas, inquit genuit Phares & Zaram: Nec istorum geminorum aliquis fuit primogenitus Judæ, sed ante illos jam tres genuerat. Eos itaque tenuit in ordine generationum, per quos ad David atque inde quo intenderet, perveniret. Ex quo intelligi potest, veteres quoque homines ante diluvium non primogenitos, sed eos fuisse commemoratos, per quos succedentium ordo generationum ad Noe Patriarcham duceretur, ne seræ pubertatis illorum obscura & non necessaria quæstio nos fatiget.

DISSERTAT. CCLXXXV.

De Traditionibus. An in omni Ecclesiæ statu fuerint, & modo etiam sint, divinæ traditiones? An præter divinas, sint alię etiam traditiones, & quęnam sint? In quibus ex his sit locus, ex quo peti possit argumentum theologicum?

TRADITIO intelligitur a Theologis pro doctrina, quæ non sit scripta, & quæ ab uno ad alium, & sic deinceps traditur. Hoc pacto eam intelligunt Patres, & præcipue Irenæus, Tertullianus, Augustinus aliique. Dicitur non scripta, non quod nunquam scripta fuerit, sed quia ab Authore Canonico scripta non fuit; Cæterum autem abstrahit ipsa ab eo, quod ab aliis aut scripta fuerit, aut non scripta. Dividitur in traditionem divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. Prima est immediate a Deo, vel a Christo; Secunda ab Apostolis; Tertia ab Ecclesia, vel a consuetudine. Dividitur pariter in universalem & in particularem; illa habet locum in tota Ecclesia, hæc habet tantum in aliqua particulari Diœcesi. Quando traditio non deducit initium, quam a Christo, est divina; quando ab Apostolis, est Apostolica; quando ab Ecclesia est Ecclesiastica. Denique traditio dicitur pariter triplex, fidei, nimirum, morum, & disciplinæ; Prima respicit fidem; Secunda mores; Tertia disciplinam.

Primo errarunt Valentinus & Marcion, priorum seculorum Hæresiarchæ, traditionem omnem rejicientes. Testantur Tertullianus lib. de præscript. hæret. & Irenæus lib 3. adversus hæres. cap. 2.

Secundo errarunt Ariani, qui convenientes in Synodum Seleucianam, se declararunt in fidei quæstionibus, præter divinas Scripturas nihil aliud admittere velle. Refert Epiphanius hæresi 75. & Augustinus in conflictu contra Maximinum, prout testatur Thomas Valdensis lib. de sacramental. doct. 2.

Tertio erravit Eunomius, ut asserit Basilius apud Melchiorem Canum de locis Theologicis lib. 3. cap. 1.

Quarto errarunt, ut ait Basilius quidam Anciranus Episcopus in confessione, quam exhibuit Septimæ Synodi anathematismo 7. Nestoriani, Eutichiani, Dioscorus, aliique ex illorum sectis.

Quinto errarunt Iconomachi, qui ut in hæresi contra sacras Imagines se tuerentur, omnem traditionem rejiciebant.

Sexto errarunt Hæretici quidam, quos commemorat Bernardus hom. 66. in Cantica.

Septimo erravit Vviclephus, ut testatur Thomas Valdensis lib. 2. doctrinæ fidei antiquæ cap. 19. ut refert citato loco Canus.

Octavo Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Socinus, aliique Novatores Hæretici, nullam voluerunt esse divinám traditionem; unde concludebant, nullum posse vel pro fide, vel pro moribus, ex traditione desumi argumentum infallibile, sed tantum illud desumendum volebant ex verbo Dei scripto, quod est scriptura, non vero ex verbo Dei non scripto, quod est traditio. His Canus adjungit Erasmum, de quo dicit, quod „ Cum sæpe „ alias, tum in epist. nuncupatoria operum „ Hilarii, hoc demum asserit eruditionis „ vere theologicæ esse, nihil ultra, quam „ sacris libris proditum est, definire. Cæ„ tera omnia esse problemata in illud reji„ cienda tempus, quum sublato speculo vi„ debimus Deum de facie. „ Catholici vero omnes communiter docent, præter verbum Dei scriptum, admittendum esse verbum Dei non scriptum; hoc est traditionem, & ex ea desumi argumentum theologicum infallibile. Unde Tridentinum Concilium sess. 4. decernit: *Perspiciens, hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptę, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes li-*

libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit author, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur.

Dicimus I. fuisse traditiones divinas in statu Ecclesiæ legis naturæ, in statu Ecclesiæ legis scriptæ & esse modo in statu Ecclesiæ legis Evangelicæ.

Prima Conclusionis pars probatur. In statu legis naturæ hoc est ab Adamo ad Moysen fuit vera fides: ergo fuit traditio divina. Antecedens est certum, quia aliter nulli ex illis hominibus placuissent Deo, nec salvi facti fuissent. Consequentia Probatur. Vera fides in illis vel habuisset ortum ab umana ratione, vel a Verbo Dei scripto, vel a Verbo Dei non scripto; non ab humana ratione, quia quum humana ratio esset per peccatum corrupta, fidei ac motum certa & infallibilis ratio esse non poterat; neque Verbum Dei scriptum, quia tunc temporis nulla extabat divina scriptura: ergo Verbum Dei non scriptum: ergo traditio.

II. Probatur. Adam quæ a Deo didicerat de Christo mediatore, & de aliis fidei mysteriis scripto non tradidit, sed voce tantum filios suos docuit; & deinde post ipsum posteri ejus voce pariter subsequentibus tradiderunt: ergo traditione; quod patet Ecclesiast. 17. *Deus creavit hominem de terra, & secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipsam, & secundum se vestivit illum virtute .... Et disciplina intellectus replevit illos: Creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis.*

Secunda Conclusionis pars probatur I. Exodi 13. Populo dicebat Moyses: *Narrabitque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est, quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos: & ut lex Domini semper sit in ore tuo; in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.* Et Ecclesiastici 8. *Non te prætereat narratio Seniorum; ipsi enim didicerunt a Patribus suis.* Et psalm. 77. *Quanta audivimus, & cognovimus ea, & Patres nostri narraverunt nobis ....* Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis.

II. Probatur. Multa sunt, quæ in lege Mosaica servabantur, & in lege scripta non leguntur: ergo illa Judæos docebat traditio. Antecedens probatur; quia etsi remedium pro originale peccato datum fuerit, pro masculis Circumcisio, quæ fieri debebat octavo die, nullum tamen remedium legitur datum pro mulieribus, neque ullum remedium legitur pro masculis, qui ante octavum diem decedebant; non est autem credibile, quod Deus reliquerit mulieres, & masculos ante octavum diem decedentes sine remedio: ergo dicendum est, quod quum hoc remedium non legeretur in lege scripta, per traditionem habebatur.

Tertia Conclusionis pars I. Probatur ex Scripturis. 1. ad Corinth. 11. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum &c.* Rursus 2. ad Thessal. 2. *Itaque, Fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Et ibidem cap. 3. *Denuntiamus autem vobis ..... Ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis* 1. ad Timoth. 6. *O Timothee, depositum custodi.* 2. ad Timoth. 2. *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu; & quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius I. epist. I. ad Decentium Eugubinum: *Si Instituta Ecclesiastica, ut sunt, a Beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur.* Sixtus III. epist. ad Antiochenum Episcopum: *Ergo quia sicut ait Apostolus, fides una est, quæ evidenter obtinuit dicendo credamus, & tenenda credamus. Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides, & credulitas nulla cæni permixtione turbetur.* Leo I. serm. 2. de jejunio Pentecostes cap. 1. *Dubitandum non est, omnem observantiam christianam traditionis esse divinæ. Et quicquid ab una Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Spiritus Sancti prodire doctrina, qui nunc quoque cordibus suorum fidelium præsidet suis institutis, & ea omnes & obedienter custodiant, & sapienter intelligant.* Et serm. 9. de jejunio septimi mensis cap. 1. *Quod dudum & traditio decrevit, & consuetudo firmavit,*

nec eruditio ignorat, nec pietas praetermittit. Gregorius Magnus lib. 9. epist. 61. *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut quilibet, qui apud haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiae revocentur.* Agatho epist. ad Constant. Imp. Heracl. & Tiberium AA. *Haec est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicae atque Apostolicae fidei, quos usque hactenus Apostolicae Sedes nobiscum, & tenet & tradit, tota mentis custodia conservemus, &c. Haec nos Apostolica, atque Evangelica traditio, sanctorumque Patrum magisterium, quae sancta Apostolica, atque catholica Ecclesia, & venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstrantur. Ex quorum doctrinis hac recolligentes, ea brevitate perstrinximus. Hoc enim credimus, quod per traditionem Apostolicam accepimus, cujus authoritatem in omnibus sequimur: a qua & institutos hoc ipsum nostra humilitatis praedecessores cognovimus, quam & usque ad finem servari nobis sive per vitam, sive per mortem, optamus.* Leo II. ad epist. ad Constantinum Augustum: *Hanc recte, & Apostolica traditionis normam praedecessor meus Agatho, Apostolicae memoriae Papa, cum sua Synodo praedicavit: hanc scriptis percurrentibus in suae suggestionis pagina vestrae pietati per suos Legatos emisit, approbans, & confirmans testimoniis Sanctorum, ac probabilium Ecclesiae Doctorum, quam Sancta nunc & magna Synodus, Domini, & vestro favore celebrata, suscepit.* Innocentius III. dist. 4. *Non est dubitandum, quia Ecclesia hoc ab Apostolis suscepit; nec obstat quod in Evangelio non habeatur. Nam multa sunt in Evangelio omissa, quae per Apostolos sunt suppleta scripto & verbo.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Generale VI. act. 12. *Omnino necesse est, non solum secundum sensum sequi Sanctorum Patrum dogmata, sed iisdem vocibus uti cum illis, nihilque penitus innovari.* Synodus Trullensis can. 19. *Quod oportet eos, qui praesunt Ecclesiis, in omnibus quidem diebus, sed praecipue Dominicis, omnes Clerum, & populum docere pietatis & rectae Religionis eloquia, ex divina Scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis, & non transgredientes jam positos terminos, vel divinorum Patrum traditionem: sed & si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiae luminaria, & Doctores, suis scriptis exposuerunt.* Concilium Nicaenum II. act. 7. *Fatemur unanimiter nos ecclesiasticas traditiones, sive scripto, sive consuetudine valentes & decretas retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio &c. His sic se habentibus, regiam viam incedentes, & Sanctorum Patrum doctrinae insistentes, & Catholicae Ecclesiae, in qua Sanctus Spiritus habitat, traditionem observantes, definimus &c. Qui ausi fuerint aliud sentire, aut docere, aut more ipsorum Haereticorum Ecclesiasticas traditiones contaminare, aut novam quandam vaniloquentiam inducere, aut contra ista vafre & impie aliquid excogitare, quod sit contra constitutionem Ecclesiasticam, si fuerint Episcopi, aut Clerici deponantur: Si Monachi, aut Laici, communione priventur. Si quis traditionem Ecclesiae sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema.* Concilium Generale VIII. can. 1. *Regulas, quae Sanctae Catholicae, atque Apostolicae, tam a Sanctis famosissimis Apostolis, quam ab Orthodoxorum universalibus, nec non & localibus Conciliis, vel etiam a quolibet Dei loquo Patre & Magistro Ecclesiae tradita sunt servare atque custodire profitemur. His & propriam vitam & mores regentes, & omnem Sacerdotii catalogum, atque omnes, qui Christiano censentur vocabulo, poenis & damnationibus, & e diverso receptionibus, & justificationibus, quae per illas prolata sunt, atque definitae Canonicae subjici decernentes: Tenere quippe traditiones, quas accepimus, sive per sermonem, sive per epistolam, Sanctorum, qui ante fulserunt, Paulus aperte admonet.* Concilium Generale Lateranense I. Secretario, seu consultatione 5. post lecta Sanctorum Patrum testimonia de duabus in Christo naturis. *Et hac quidem ipse Sanctorum Deus Dominus noster Jesus Christus multifarie multisque modis per Sanctos Patres de se ipso loquutus illuminavit nobis fidem orthodoxam, sic & in transgressibiliter tenere eam sicuti Patres praedicaverunt. Hujus autem orthodoxa fidei extraneos esse & alienos, utpote denegantes eam in scripto, memoratos authores novitatis, & impia eorum conscripta. Propterea & hos, atque ea, quae ab iis confecta sunt dogmata, reprobantes, secundum statuta venerabilium Patrum, sive praecepta, qui hoc facere nobis per omnia praecipiunt, dogmata & sermones Sanctorum Patrum, uno corde, & ore, unanimiter ac consonanter omnes firmamus, nihil addentes, nihil subtrahentes ex his, quae ab ipsis tradita sunt nobis, sicque credimus, sicuti Patres crediderunt: ita praedicamus, quomodo docuerunt.* Concilium Toletanum XII. cap. 4. *Majorum institutionibus contraire, & Sanctorum Patrum decre-*

creta convellere, quid aliud est quam vinculum societatis Christi abrumpere, & usurpatæ præsumptionis licentia statum totius Ecclesiæ dissipare?

IV. Probatur veterum Judæorum confessione quã recitat Coccius, & nos ab eo exscribimus. „In capitulis Patrum: Moses accepit Legem de Sinai, & tradidit eam Josuæ: Jusua vero Senioribus: Seniores Prophetis: Prophetæ tradiderunt eam viris Synagogæ magnæ. „ Rabbi Judaa in hunc locum: „ Tractatus hic explicat ordinem traditionis, oretenus eductæ. „ Paulus Fagius in hunc locum: Per legem hic Hebræi non scriptam legem, sed spiritualem illam sive mysticam, hoc est sensum, seu explanationem legis intelligunt. Tenet enim Judæorum opinio, Mosen duplicem legem a Domino in monte Sinai accepisse: alteram, quam legem in scripto, sive scripto traditam vocant: alteram, quam legem, quæ in ore est, sive ore traditam nominant, atque hanc postremam succedaneo quodam ordine per Mosen ad posteros derivatam affirmant: sic ut eam primus omnium Josua a Mose acceperit, quam postea Senioribus, illi deinceps Prophetis prioribus, Prophetæ priores postremis, inter quos omnium novissimi fuere Haggæus, Zacharias, & Malachias: hi tradiderunt viris Synagogæ magnæ, qui scilicet fuerunt Esdras cum suo sodalitio, qui restituerunt legem pristino nitori: ab illis acceperunt subsequentes sapientes succedentibus generationibus: atque istam legis geminam expositionem, quam hodie adhuc apud sapientes suos inveniri gloriantur, Judæi, & alio nomine Cabalam nominant. „ Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis lib. 1. c. 1. „ Judæi dogmatum genus duplex habent: Alterum, quod vocant legem scriptam: alterum ore traditam, quam nihil aliud esse ajunt, quam Legis scriptæ explicationem, a Mose primum divinitus acceptam, deinde per manus traditam usque ad Esdram. Nomina Doctorum, quorum prior quisque posteriorem docuit (teste R. Mose Ægyptio) initio Deuteronomii sunt hæc: Mose, Josue, Phinees, Heli, Samuel, David, Ahias, Elias, Elisæus, Jojada, Zacharias, Oseas, Amos, Esaias, Michæas, Joel, Nahum, Abacuc, Sophonias, Jeremias, Baruch, Esdra. Et hactenus nihil Scripturæ, præter Bibliam apud Judæos extitisse certum est. Post captivitatem vero Babylonicam, ipso Esdra legem (quæ in Urbis Jerosolymæ eversione combusta fuerat) rescribente, cæteri Sapientes legis expositionem scribere cœperunt, ne si aliud Urbis excidium contingeret, in quo sapientes omnes perituri essent, una cum eis, & ipsa legis explanatio periret: Hinc factum est, ut omnes illi Sapientes, quos a Babylonica transmigratione usque ad primam Thalmudici Codicis scriptionem, esse contingit (qui in Capitulis Patrum viri magnæ Synagogæ appellantur) legemque docuisse constat, verbo pariter, & scriptis Legis expositionem auditoribus tradiderunt. „ Hillel in capitulis Patrum: Hillel dicit: Ne segreges te ab Ecclesia, neque credas tibi ipsi, usque ad diem mortis tuæ. Neque judices proximum tuum, donec accesseris ad locum ejus. „ Rabbi Jose filius Jehuda, ex pago Babylonico, in capitulis Patrum: „ Qui discit a junioribus, cui similis est? Ei, qui edit uvas immaturas, & bibit vinum de torculari suo. Qui vero discit a senioribus, cui similis est? Ei nimirum, qui edit uvas maturas, & bibit vinum vetus. „ Joseph Albo in libro fundamentorum tract. 1. cap. 3. „ Traditio Patrum est fundamentum omnium legum divinarum, quia non potest expendi substantia earum sine illa. „ Ne autem in errorem inducantur Legentes, advertant, quod hoc in loco observavit P. Boucat; nimirum hic non „ agi de traditionibus scriptis falsis Judæorum, quas ipse Christus, & damnat, & reprobat; sed de genuinis. „ quas scilicet Ecclesia Catholica recipit, & admittit.

V. Probatur ex Philosophis Gentilibus, in quorum usu traditiones fuerunt, Pythagoras nimirum non scripto sed verbo Philosophiam suam discipulos edocebat, ut asserit Melchior Canus; & ut insuper testatur Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum: *circumcidi se fecit ut mysteria Ægyptiorum ingrediens, mysticam disceret Philosophiam.* Post hæc prosequitur Canus de aliis Philosophis, & Oratoribus Gentilibus argumentum: „ Galenus lib. 2. de anatom. admin. veteres Physicos, ait, artes a majoribus quasi per manus traditas conservasse. Cicero lib. 1. de legibus ferendos in Republica mores existimat, nec scriptis omnia sanciendo. Et eodem rursus libro, sacra putat melius in Republica conservari, si a Patribus accepta deinceps familiis prodantur.

Cæ-

„ Cæsar de bello Gallico lib. 6. Druidas scribit disciplinæ, præcepta nefas existimasse, ut literis mandentur. Scribunt item non modo celebres Hebræorum Doctores, sed ex nostris Hilarius, & Origenes, Moysen non Legem solum, sed secretiorem legis enarrationem in monte divinitus accepisse: præceptum autem ei a Deo, ut legem quidem populo scriberet, legis autem occulta mysteria ipse ministro suo Josue, hic deinceps succedentibus Sacerdotum primoribus, magna silentii religione revelaret. Anatolius quoque apud Eusebium lib. 7. ecclesf. hist. cap. 28. 70. Interpretes refert Ptolæmeo Regi percontati, multa ex Moysis traditionibus respondisse. Atque illud etiam Auctor 4. libri Esdræ cap. 14. non obscure testatur. Enarravi, inquit, Moysi mirabilia multa, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes. Quod idem præceptum Dominus Esdræ lege instauranda dedit, inquiens: Quædam palam facies, quædam sapientibus abscondetrades. ,,

VI. Probatur ex Cæsarei Juris Sanctionibus. In C. Theodosiano legitur in lege 2. sub hoc titulo: *Ea, quæ circa catholicam fidem, vel ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, novella superstitione remota, integra, & inviolata custodiri præcipimus.* Et in C. de summa Trinitate lib. 5. editionis postremæ: *Cum recta, & irreprehensibilis fides, quam prædicat Sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, nullo modo innovationem recipiat: Nos sequentes Sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in Sanctis Dei Ecclesiis conversati sunt, dogmata, justum fore existimavimus, cunctis manifestum facere, qualiter de fide, quæ in nobis est, sentiamus: insistentes, & adhærentes traditioni, & Confessioni Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ.* Et lib. 6. *Necessarium esse putavimus, tam Hæreticorum vaniloqua mendacia dissipare, quam omnibus insinuare, quomodo aut sentiat sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, aut prædicent Sanctissimi ejus Sacerdotes, quos, & nos sequuti, manifeste constituimus ea, quæ fidei nostræ sunt, non quidem innovantes fidem (quod absit), sed coarguentes eorum insaniam, qui eadem cum impiis Hæreticis sentiunt.*

VII. Probatur ex Patribus Græcis. Clemens Alexandrinus lib. 7. stromat. cap. 9. *Necesse est enim labi in maximis eos, qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam, tenuerint. Quomodo ergo si quis ex homine fiat bestia similiter atque illi, qui Cyrces venenis fuerant infecti: ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hæreseon desiluit opiniones.* Origenes homil. 5. super Numeros: *In Ecclesiasticis observationibus sunt non nulla hujusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quod (verbi gratia) genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cæli plagis ad solam Orientis partem conversi orationem fundimus, non facile cuiquam puto ratione compertum, sed & Eucharistia sive percipienda, sive eo ritu, quo geritur, explicanda, vel eorum, quæ geruntur in baptismo verborum, gestorumque, & ordinum, atque interrogationum, & responsionum, quis facile explicet rationem? Et tamen omnia hæc operta, & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea, & exequimur, ut a magno Pontifice, atque ejus filiis tradita, & commendata suscepimus.* Tract. 29. in Matth. *Nos illis credere non debemus, nec exire a prima ex Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.* Ad cap. 6. Epist. ad Rom. *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis Baptismum dare.* Et Procemio in lib. 1. de principiis: *Cum multi sint, qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant: servetur vero Ecclesiastica prædicatio, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanens. Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.* Basilius Magnus de Spiritu Sancto cap. 27. *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum utraque partem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quis quis sane, vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur; imo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, ut ejus, quod primum est, & vulgatissimum, primo loco commemorem, ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quæ docuit Scriptura?* Epi-

pha-

phanius hæresi 55. *Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scriptura sancta, & successiones doctrinæ, & undequaque veritas Dei munita est. Nemo igitur decipiatur novis fabulis*. Chrysostomus orat. 4. in 2. ad Thessalon. *State, & tenete traditiones: Hinc est perspicuum, quod non omnia per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio; nihil quæras amplius.*

VIII. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus de corona militis cap. 3. *Et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus, habentes observationem inveteratam, quæ præveniendo statum fecit? Hanc si nulla Scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis auctoritas scripta. Ergo quæramus an traditio non scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinia vindicamus. Denique ut a Baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die faciamus, &c. Frontem crucis signaculo terimus.* Ambrosius epist. 38. *Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis, & Scriptura divina nos instruit, & traditio majorum, qui convenientes ad Synodum Nicænam, etiam super ea celebritate collegere rationem &c.* Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos cap. 4. *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt: velut lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem: die Dominico, & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & jejunium solvere: multaque alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit: ex quo animadvertis, nos Ecclesiæ consuetudinem sequi, licet ante advocationem Spiritus constet aliquem baptizatum.* Et epist. 28. ad Lucinium: *Traditiones Ecclesiasticæ, quæ fidei non officiunt, ita observandæ, ut a majoribus tradita sunt &c. Unaquæque Provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum Leges Apostolicas arbitrentur.* Augustinus de Baptismo contra Donatistas lib. 4. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est; non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Contra Donatistas lib. 7. cap. 53. *Sed nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nulla plenario Concilio terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Contra Faustum Manichæum lib. 11. cap. 2. *Si hoc facere conatus fueris, & nihil valebis: & vides in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur.*

IX. Probatur rationibus. I. Christus Dominus nihil scripto mandavit, & primus Evangelistarum Matthæus non nisi post Christi ascensionem in Cœlum anno octavo Evangelium suum exaravit, & sic deinceps post ipsum alii Evangelistæ, & Apostoli; sed tempore illo erat vera Jesu Christi Ecclesia: ergo quum non esset scriptura, sola traditione regebatur. II. Ab Adamo usque ad Abraham, vel ad Moysen non erat remedium Circumcisionis; sed non est credendum, quod Deus humanum genus absque hoc remedio reliquisset: ergo erat aliud remedium; atqui hoc scriptura non constabat, quia verborum Dei scriptum non erat: ergo traditione habebatur. III. Multa sunt, quæ credimus, & quidem fide divina credimus, quæ in divinis Scripturis non leguntur: ergo ideo credimus, quia in divina traditione continentur. Antecedens probatur a P. Boucat: „ Virginitas illibata, & perpetua „ Augustissimæ Mariæ est de fide, sic & „ necessitas Baptismi, quam ratam adver„ sus Anabaptistas propugnamus, cui dog„ mati adstipulantur Lutherani: item „ festum Paschatis die Dominica, imme„ diate post æquinoxium vernum celebran„ dum esse affirmamus; suscipimus Baptis„ ma etiam ab Hæreticis, verbis Evan„ gelicis collatum. Sed hæc omnia momen„ tis traditione innixi, & defendimus, & „ servamus: ergo &c. „ Idem antecedens prius probaverat Melchior Canus verbis

hisce:

hisce: „ Nam perpetuam B. Mariæ Virginitatem, descensum Christi ad Inferos, „ Baptismum parvulorum, conversionem „ panis, & vini in corpus, & sanguinem „ Christi, processionem Spiritus Sancti ex „ Filio, trium Personarum in una substantia æqualitatem, earumdemque per „ relativas proprietates distinctionem, non „ ita expressa in libris canonicis invenies, „ sed adeo tamen certa in fide sunt, ut contrariorum dogmatum auctores Ecclesia „ Hæreticos judicarit. Quemadmodum „ igitur articulus Resurrectionis continebatur in illo: *Ego sum Deus Abraham, & Isaac*, quod postea Christus Dominus „ minus intelligentibus exposuit: ita non „ nulla per spiritum veritatis explicuit Ecclesia, quæ in Sacris literis habentur „ obscura. „ IV. Ecclesia distinxit libros sacros a non sacris, & de sacris tulit judicium, quod est de fide credendum; sed hoc non habuit ex alia scriptura divina, quia aliter daretur processus in infinitum: ergo ex sola traditione. Et ex hoc est, quod Patres communi voce testantur, Scripturam aliquam esse divinam, nos non aliunde, quam ex traditione habere: Unde Origenes apud Eusebium lib. 6. Historiæ cap. 18. habet: *Ex traditione didici de quatuor Evangeliis, quod hæc sola &c.* V. Ecclesia pariter ex traditione habet, quinam sit divinarum Scripturarum sensus; quum enim scripturæ authoritates, quibus aliqua dogmata probantur in pravum sensum Hæretici interpretentur, Ecclesia legitimum sensum exponens, dogmata definivit. Et non quidem ex alia scriptura, propter rationem allatam: ergo ex traditione. VI. Multa sunt, quæ fecit, & quæ dixit Christus, quæ tamen in Evangeliis non leguntur: ergo per solam traditionem habentur. Probatur antecedens ex cap. ultimo Evangelii Joannis: *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum, arbitror, Mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Insuper Paulus in Apostolorum Actis ait, Christum dixisse: *Beatius est magis dare, quam accipere.* Quæ quidem verba nemo ex Evangelistis refert. VII. Multa sunt pariter, quæ prædicabant Apostoli, & in sacris libris non leguntur: ergo illa per traditionem habemus. Probatur antecedens. Quia illa, quæ scripserunt Apostoli, & Evangelistæ per datam occasionem scripserunt, quæ quidem esse non poterat de omnibus, quæ scribebant; quod testimonio Eusebii, & Hieronymi, probat hia verbis Jueninus: „ Refert eas occasiones Eusebius hist. lib. 2., & 3. Hieronymus in „ lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis testatur, „ Joannem usque ad extremam senectutem „ absque editis a se Scripturis Evangelium „ prædicasse, additque tandem, eum compulsum fuisse ab Asiæ Episcopis Evangelium scribere, ut occurreret Ebionitarum hæresi, quæ tunc grassari cœperat. „ Atqui datæ non fuer Apostolis occasiones, omnia, quæ a Christo audierant scribendi: ergo non omnia, quæ prædicarunt, scripsere; multa igitur ipsis per traditionem reliquerunt. „ VIII. Multa nos etiam credimus fide divina, quæ in scripturis saltem explicite non continentur: ergo per traditionem credimus. Antecedens hoc discursu probat Melchior Canus. „ Multa pertinere ad Christianorum doctrinam, & fidem, quæ nec aperte, nec „ obscure in sacris litteris continentur. Id „ primum Innocentius probat de celebr. „ missæ cap. cum Marthæ. Verba enim „ quibus in calicis consecratione utimur, „ quibusque Christum Dominum usum „ esse profitemur, scilicet, *Mysterium fidei*, „ *& æterni Testamenti*, in Evangeliis non „ habentur. Ac ne illud quidem: *Elevatis* „ *oculis ad Deum Patrem suum*. Sententiam „ quoque illam: *Beatius est multo dare, quam* „ *accipere*, Christum dixisse nesciremus, „ nisi Paulus in Actis docuisset. Quemadmodum ergo non omnia gesta Jesu Evangelica Scriptura complexa est: ita nec „ omnia verba quidem, sed quædam per „ traditionem accepta sunt. Rursum Sanctorum Martyrum auxilium precibus „ implorandum, eorumque memorias celebrandas, imagines venerandas esse, in „ Sacrificio Eucharistiæ simul eum corpore sanguinem Sacerdotibus esse, & conficiendum, & sumendum, sacramenta „ confirmationis, & ordinis non iteranda, sacræ literæ nusquam fore tradiderunt. „ At ejusmodi, atque alia pleraque id genus, ita firmiter Ecclesia Catholica tenet, ac si sacris Codicibus fuissent inscripta. Quatuor demum Evangelia, quæ „ nunc Ecclesia recipit, quatuordecim epistolas Pauli, breviter, ut in summa dicam, utrumque, & vetus, & novum „ Testamentum, firmissime retinemus: nec „ tamen ea tenere possumus scripturæ auctoritate. Multa igitur sunt fidei Catholicæ dogmata, quæ sacris literis non habentur. „ IX. Multa etiam admittunt Hæretici Novatores contra veteres Hæresiarchas

resiarchas, quæ pertinent ad fidem: ergo quum in Scripturis expresse non continentur, ex traditione admittunt. Probatur. Antecedens. Lutherani, & Calviniani admittunt Mariam Deiparam semper fuisse Virginem contra Helvidii errorem; admittunt Baptismum datum parvulis esse validum contra hæresim Anabaptistarum; admittunt valere Baptismum datum ab Hæreticis, vel ab aliis Infidelibus contra errorem Donatistarum. „ Atqui, subdit Jueninus, nullum
„ ex iis capitibus credere possunt propter
„ Scripturæ authoritatem; nullus enim
„ ne apex quidem est in scripturis: ergo
„ ex sola traditione eos articulos credunt;
„ ac proinde quod probandum erat, ne-
„ cessariæ sunt aliquæ divinæ traditiones,
„ quæ ad fidem, & mores spectant. „ X.

Kabala, cujus nomine venit traditio apud Synagogam in multis utebantur Doctores illius, non tamen illa, quæ postmodum inducta est a Talmudistis, & quæ est superstitiosa, & vana; sed quæ fuerat primum a Moyse Tradita, & postmodum per Successores illius per manus usque ad posteros devenit; & horum exemplo multa etiam in Ecclesiam nostram per traditionem sunt inducta, uti jejunium, tam quadragesimale, quam quatuor temporum, & alia, quæ ad fidei conservationem, & ad morum compositionem, pertinent.

X. Probatur ex perpetuo consensu Ecclesiæ Orientalis, non solum antiquæ de qua veterum Patrum ejus testimonia retulimus, sed etiam modernæ, post quam scilicet a Romana Catholica Ecclesia se separavit. I. Ex iis, quæ gessit anno 1636. contra Cyrillum Lucarem, Patriarcham Constantinopolitanum, qui confessionem Genevensem amplectens, traditiones omnes rejecit. II. Simeon Thessalonicensis, & hic recitamus verba Patris Boucat tract. adversus hæreses pag. 37. „ agnoscit Summi Pontificis dignita-
„ tem cæteris supereminere. Subdit vero
„ Græcos ab ejus communione ideo divul-
„ sos esse, eo quod prædecessorum suorum
„ traditionem abnegasset. Igitur ille græ-
„ cus, tametsi schismaticus, & Summi Pon-
„ tificis calumniator, traditionem divinam
„ veluti inconcussam fidei regulam habet.
„ Jeremias resp. 1. contra Theologos
„ Vvirtembergenses pag. 132. exquisitis
„ Scripturarum locis demonstrat traditio-
„ nem divinam esse tenendam, hæreticos
„ vero non nisi traditiones falsas, & Judai-
„ cas habere. Prima Synodus adunata sub
„ Cyrillo Beroensi hanc proscribit propo-
„ sitionem pag. 611. *Ecclesiam in hac vita*
„ *errare posse, & mendacium pro veritate ha-*
„ *bere .... quia ex iis sequeretur unumquem-*
„ *que de Evangelio, quod præ manibus habemus,*
„ *posse dubitare, num a Spiritu Sancto proma-*
„ *navit sicut Ecclesia illud nobis tradidit*. Qui-
„ bus verbis traditione innixa de authen-
„ ticitate Evangelii suum profert Synodus
„ de Evangelio judicium. Secunda Syno-
„ dus adversus Cyrillum Lucarem, congre-
„ gata sub Paternio Seniore 2. p. 118. Se-
„ cundum Cyrilli articulum traditioni ad-
„ versantem profligat. *In quo*, inquiunt
„ Patres, *Cyrillus suscipiens sanctam Scriptu-*
„ *ram Patrum Ecclesiæ explicationibus denuda-*
„ *tam, floccifacit, quod in Conciliis Oecume-*
„ *nicis, inspirante Deo conclamatum est, &*
„ *abjicit traditiones ab omni antiquitate succes-*
„ *sione perpetua, in toto universa receptas, sine*
„ *quibus, inquit Basilius, omnis nostra prædi-*
„ *catio in meris sisteret verbis*. Confessio
„ Orthodoxa contra eundem Cyrillum fa-
„ cta hanc Symboli sententiam: *Sanctam*
„ *Ecclesia Catholicam*, auctoritatem Ecclesiæ
„ sic prædicat, & explicat: *Hic articulus*
„ *nos docet quemlibet Orthodoxum teneri obedire*
„ *Ecclesiæ, & illi subditum esse, juxta Christi*
„ *doctrinam, qui dixit si quis Ecclesiam non*
„ *audit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*.
„ Ortho qu. 86. p. 140. Meletius Syrugus
„ ad art. 2. conf. Cyrilli Editione Græca
„ Vulgatæ fol. 4., & sequentibus, fuso
„ calamo omni argumentorum genere pro-
„ bat adversum illum Apostatam, & neces-
„ sitatem traditionis divinæ, & ejus infal-
„ libilitatem. Perstringit ibidem Calvini-
„ stas, eo quod dicant quemlibet sufficien-
„ ter per Scripturas edoceri a Spiritu San-
„ cto: *Patriarchæ*, inquit, *qui ante Scriptu-*
„ *ram vixerunt probaverunt a nobis conser-*
„ *vandas esse traditiones non scriptas, ab omni*
„ *ævo Ecclesiæ receptas, eo prope modo, ac ea,*
„ *quæ in Scriptura edocentur, quia a se invicem*
„ *traditionem verum Dei cultum susceperunt?*
„ *quo circa scriptum est, interroga Patres, &*
„ *dicent tibi; & alio in loco, quanta audivi-*
„ *mus, & Patres narraverunt nobis*: ergo &c.
„ His omnibus accedit definitio Synodi
„ Jerosolymitanæ Dosithei pag. 30. dam-
„ nantis omnes Hæreticos, ea potissimum
„ ratione, quod non stent traditioni pro
„ genuinis Scripturarum investigandis sen-
„ sibus; sed unusquisque secundum phanta-
„ siam Scripturas divinas interpretetur: eo
„ loci maxime perstringit Calvinistas, as-
„ seritque, ad solam spectare Ecclesiam

PAR. V. Ii „ tra-

,, traditionibus divinis irrefragabiliter di-
,, vinos explanare textus. Ista genuina re-
,, centiorum Græcorum de traditione pla-
,, cita lato calamo exponit Renaudotius
,, tom. 5. perpetuitatis fidei lib. 7. cap. 2.

Dicimus II. præter Divinas traditiones, admittendas etiam esse Apostolicas, & Ecclesiasticas; in divinis autem præcipue esse locum theologicum, ex quo peti possit argumentum pro rebus fidei, & morum.

Prima Conclusionis pars probatur. Ecclesiæ Patres de traditionibus loquentes, non solum Divinas memorant, sed etiam Apostolicas, & Ecclesiasticas: ergo ultra Divinas Traditiones, admittendæ sunt, quoque Apostolicæ, & Ecclesiasticæ. Probatur antecedens. Tertullianus lib. de præscript. hæretic. cap. 36. *Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident; apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est.* Et L. de corona militis cap. 3. *Quæramus, an & traditio nisi scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento solius traditionis titulo, & exinde consuetudinis patrociniis vindicamus.* Et cap. 4. *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Insuper Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. *Dogmata, & instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, idest, in occulto tradita recepimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem; nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est quæ sint jura Ecclesiastica.* Et ut alios plures omittamus. Vincentius Lirinensis cap. 27. Commonitorii, explicans verba illa Apostoli: *Depositum custodi*, hæc scribit: *Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam, in qua non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens.*

II. Probatur. Sunt traditiones, quas Apostoli didicerunt a Christo, & sunt traditiones, quas ipsimet Apostoli instituerunt, Spiritu Sancto iisdem suggerente; sed primæ sunt divinæ traditiones, secundæ vero sunt Apostolicæ: ergo ultra divinas, dantur etiam traditiones Apostolicæ. Major sic explicatur simul, & probatur a Canno. „ Atque etiam alia di-
,, visio est Apostolicæ traditionis. Nam
,, alteras Apostoli a Christo Domino acce-
,, perunt, ut Matrimonium, Confirmatio-
,, nem, Extremam Unctionem, esse Sacra-
,, menta novæ legis, quæ ipse quidem in-
,, stituit Christus suorum Sacramentorum
,, primus, idemque solus auctor, sed Apo-
,, stolis tradidit, Christiano populo admi-
,, nistranda. Alteras vero traditiones Apo-
,, stoli ipsi, Spiritu Sancto suggerente, ad
,, Ecclesiæ utilitatem ediderunt. Quas ta-
,, men ei Christus Dominus dum in terra
,, degeret, nusquam edidit: Ut quadrage-
,, simæ jejunium, quod licet Hieron in se-
,, cundum Jonæ cap. Ambrosius conc. 36.
,, Chrysost. homil. 1. in Genesim, ad Chri-
,, stum auctorem referre videantur, at re-
,, vera, ut equidem sentio, Apostolicum
,, institutum fuit. Quod Christo tamen as-
,, signatur, vel quia ad Christi jejunantis
,, exemplum, ab Apostolis institutum est,
,, vel quia Apostolica edicta Christi esse
,, censentur, qui per Apostolos Ecclesiæ
,, loquebatur, atque adeo per Spiritum
,, Sanctum Apostolis juxta illud, quod
,, Joannis 16. cap. scriptum est: *Adhuc*
,, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis*
,, *portare modo. Cum autem venerit ille Spiri-*
,, *tus veritatis docebit vos omnem veritatem:*
,, *non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque*
,, *audiet loquetur, quia de meo accipiet & an-*
,, *nuntiabit vobis.* Et Apostolus cum quod-
,, dam de suo consilium dedisset, *Puto au-*
,, *tem*, ait, *quod & ego spiritum Dei habeam.*
,, Et rursum: *An experimentum ejus quæritis,*
,, *qui in me loquitur, Christus?*

III. Probatur ex regulis, quæ assignantur ad discernendas traditiones Divinas ab humanis, quæ sunt Apostolicæ & Ecclesiasticæ. Prima est, cujus initium non invenitur, nec in Summorum Pontificum Decretis, nec in Conciliorum Canonibus, nec in Statutis Patrum; Secunda, quod in tota Ecclesia servetur; Tertia, quod ab antiquioribus Scriptoribus, & fere omnibus affirmetur; Sed hæ omnes regulæ Divinæ tantum traditioni convenientes, aliis traditionibus non

con-

conveniunt: ergo præter divinas traditiones dantur aliæ traditiones, quarum initium reperitur, quæ non in universali Ecclesia, sed in peculiaribus quibusdam observantur, & quæ non fuerunt omni tempore servatæ.

Secunda conclusionis pars probatur I. Traditio ex qua sumi potest argumentum theologicum, debet esse firma, universalis, ac perpetua; sed hujusmodi tantum est traditio divina: ergo ex traditione divina sumi potest argumentum theologicum præcipue ad probandas res fidei & morum. Major est certa ex doctrina nuper dicta; quia quod divinitus est institutum a nullo amoveri, abrogari, vel immutari potest; adeoque debet esse firmum, universale, & perpetuum. Minor negari nec potest, quia super traditionem divinam nemo potest dispensare, nec nemo unquam dispensavit, & præcipue si res fidei, & morum contineat, quæ sunt semper eædem, & omnino invariabiles.

II. Probatur: Illæ traditiones continent locum, ex quo deduci potest argumentum theologicum, quibus usi sunt Summi Pontifices, & Concilia præsertim Generalia ad res fidei & morum definiendas; sed Summi Pontifices, & Concilia, usi sunt traditionibus divinis: ergo hæ præcipuæ continent locum, ex quo deduci potest argumentum theologicum, præsertim ad probandas res fidei & morum. Major patet enumeratione Conciliorum, & Summorum Pontificum, qui dogma aliquod fidei definierunt. Certe ex Theodoreto habemus lib. 1. hist. cap. 8. Quod Nicænum I. Concilium damnavit Arium testimonio Scripturarum, quas ad mentem traditionis explicavit. Insuper Nicænum Concilium II. act. 6. traditione innixum est, ut contra Iclonastarum errorem definiret pium esse cultum, quem sacris Imaginibus exhibemus. Denique VIII. Concilium Generale act. 8. profitetur, germanas traditiones esse servandas.

Opponunt I. Moyses, Christus, & Paulus, traditiones prohibuerunt: ergo non sunt servandæ. Probatur antecedens. Deuteron. 4. hæc leguntur. *Non addetis ad verbum, quod Ego præcipio vobis, nec auferatis ex eo.* Matth. 15. Christus exprobat Pharisæos: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram.* Et Apostolus ad Galatas scribens, dicit: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* II. Superfluæ sunt traditiones, si sufficiens est Scriptura: sed Scriptura sufficit: ergo superfluæ seu traditiones. Minor est Apostoli 2. ad Timoth. 3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* III. Traditio pendet ex hominum placito, sed hominum placita ut plurimum sunt vana, instabilia, & quandoque etiam falsa: ergo &c. IV. Patres docent fidei dogmata & morum, omnia contineri in Scripturis: ergo ad nihilum valent traditiones. Probatur antecedens. Irenæus adversus hæres. lib. 3. cap. 1. asserit, quod Apostoli scripserunt quæ antea prædicaverant; & Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 9. dicit: *In his, quæ aperte posita sunt in scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi.* V. Traditio, quæ habetur per manus, est ut plurimum infidelis, quia ea, quæ auribus percipiuntur, vel mutantur, vel non permanent, vel non fideliter custodiuntur: ergo ad nihil inservire potest Ecclesiæ. VI. Quæ non scripta sunt de Christo, & de lege Evangelica, ideo non fuerunt scripto tradita, quia reputata sunt non necessaria, vel ad Religionis complementum, vel ad Ecclesiæ gubernium: ergo nec ea nos reputare debemus. VII. Chiliastæ, vel Millenarii, pro falso suo dogmate propugnando traditione utebantur: ergo traditio valet potius ad errores firmandos, quam ad confutandum illos. VIII. Cyprianus defendens nullitatem Baptismatis collati ab Hæreticis, nullam habuit rationem traditionis; quam ei opponebat Stephanus Papa, dicens: *Nihil innovetur, præter id, quod traditum est*: ergo apud Cyprianum nullius ponderis erat traditio. IX. Hieronymus in cap. 23. Matthæi scribit: *Hoc quia de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*: ergo Hieronymus mens fuit, ex Scripturis tantum petendum esse argumentum theologicum in rebus fidei, & morum. X. Augustinus lib. 2. de peccatorum merit. & remis. cap. 5. ait: *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens, in alteram partem declinando.* XI. Matthæi 7. dicitur: *Quærite, & invenietis.* Et Joan. 5. *Scrutami*

tami scripturis: ergo in solis scripturis inveniemus quæ credere, & agere, debemus. XII. Multæ traditiones sunt in Ecclesia, quæ incertæ omnino sunt & dubiæ: ergo his uti non possumus ad argumentum theologicum afformandum. Antecedens probatur, tum in controversia de Paschatis Dominica inter Asiaticos Præsules; tum de Baptismo ab Hæreticis collato inter Stephanum & Cyprianum; tum de aliis similibus controversiis. XIII. Traditiones sunt obnoxiæ mutationibus; ergo deservire non possunt ad argumentum theologicum efformandum. Probatur antecedens. Communio sub utraque specie, quæ habebatur ex traditione, perduravit usque ad duodecimum seculum, & deinde sublata est. XIV. Impossibile est invenire unanimitatem in Ecclesiæ Doctoribus circa aliquod, quod non sit expresse in Scriptura descriptum: ergo impossibile est, ut traditioni stemus. Probatur antecedens, quia circa processionem Spiritus Sancti a filio diversimode loquuntur Patres Græci, ac Latini. XV. Multa legimus, quæ ab initio servabantur in Ecclesia, vel ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris, & quæ fuerunt tractu temporis sublata; nimirum Baptismus in nomine Jesu, abstinentia a sanguine suffocato, trina immersio in Baptismo, & alia hujusmodi, quæ primitus servabantur, & modo in desuetudinem abierunt; Sed hæ omnes traditiones erant: ergo Ecclesia ipsa flocci & nauci traditiones ipsas facit.

Respondemus ad I. primo loco, quod allatæ scripturæ non loquantur de verbo scripto, sed de verbo utcumque, scripto scilicet, & non scripto, ad quod a Moyse fieri non potest additio. Unde Moyses non dixit *Scribo*, sed *præcipio*; & Christus non dixit *traditionem meam, sed traditionem vestram*; & Paulus non ait *quod scripsimus*, sed quod evangelizavimus. Secundo loco, admisso, quod intelligantur de Verbo scripto, explicantur additiones, quæ fieri prohibentur, scilicet additiones, quæ sint eidem verbo contrariæ. Unde Augustinus verba illa Pauli explicat: *Non ait, plusquam quod accepistis, sed præter quam quod accepistis*; sic ait tract. 98. in Joan.

Ad II. dicitur, quod aliud est esse sufficiens, & aliud esse utile; Scriptura quidam est utilis, ut dicit Apostolus, sed non est sufficiens, quia præter illam, quæ est Verbum Dei Scriptum admitti debet traditio, quæ est Verbum Dei non scriptum. Ulterius *to omnis* idem significat, ac quælibet, seu accipitur distributive, ut ait, non vero collective; & sensus est, quod omnis, hoc est, quælibet Scriptura, est utilis ad docendum, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum &c.

Ad III. dicitur quod traditiones humanæ pendent ab hominum placito, non vero traditiones divinæ; neque etiam traditiones Apostolicæ, & Ecclesiasticæ, quæ respiciunt fidem & mores, quia hæ habent, vel traditionem Divinam pro fundamento, vel peculiarem Spiritus Sancti adsistentiam in prima sua institutione, vel introductione. Traditiones pariter aliæ quæ respiciunt disciplinam sunt mutationi obnoxiæ, sed non mutantur, nisi adsit vel rationabilis caussa, vel legitima potestas id faciendi.

Ad IV. Irenæus intelligitur non de illis omnibus, quæ prædicaverunt Apostoli, sed de Evangelio tantum, & quoad principaliora fidei capita & morum. Unde dicit; *Quod Evangelium tunc prædicaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt*. Insuper distinguuntur illa Augustini verba: In scriptura inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, scilicet quoad ea, quorum fides explicita est cuilibet necessaria ad salutem, uti sunt præcipua mysteria, quæ continet Symbolum, & morum principia, quæ continentur in Decalogo, conceditur propositio; quorum fides explicita non est cuilibet necessaria ad salutem, ut sunt cognitio aliquorum Sacramentorum, quæ sequuntur ex Decalogi præceptis, negatur: Sic respondet Jueninus.

Ad V. Respondet Canus per hæc verba:
„ Ridiculum est enim, Apostolicas tradi-
„ tiones non eadem fide ac diligentia posse
„ infidelium cordibus asservari, ac si in
„ papyro scriberentur. Nam nec Scriptura
„ Spiritus Dei vivi facilius quam atramenti
„ deletur, & sunt pleræque traditiones,
„ quas more & usu facillime videas retine-
„ ri. Quod si Christi providentia Ecclesiæ
„ Christianæ deesset, tum vero nec traditio-
„ nes asservatas ego defendo, nec certam
„ Scripturæ authoritatem: Utraque enim
„ juxta res sine Dei procuratione non con-
„ stat, quam si tollas, nec traditio, nec
„ Scriptura vindicatur. „

Ad VI. Nequit esse sensus Augustini quod sufficiant sancta Evangelia ad doctrinam fidei, & ad fidelium salutem; aliter sequeretur

quereretur, quod essent superflua, & non necessaria, quę scripta sunt in Apostolorũ Epistolis, & Actis, in Libro Apocalypsis, & in toto etiam Veteri Testamento: sed sensus est, quod non fuerit necessarium ad Fidelium salutem, ut ex dictis factisque Jesu, alia scriberentur, quam quę scripta sunt. Ex hoc autem nihil divinis traditionibus detrahitur, immo potius per hoc ipsum firmantur fortius & melius, ut idem Augustinus habet lib. 1. contra Cresconium cap. 33. *Quamvis hujus rei certe de scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universa jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas. Ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, eandem Ecclesiam consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.*

Ad VII. Chiliastę, seu Millenarii, non sequebantur veras, sed falsas traditiones, & ideo in errorem inciderunt, & in errorem etiam alios exemplo suo traxerunt. Nunquam autem factum est, quod Ecclesia, aut in capite residens, aut in Conciliis congregata, errorem ipsorum approbaverit, sed potius damnaverit. Nos igitur in veris traditionibus requirimus, ut eas Ecclesia non reprobet, sed approbet, & declaret esse quales in seipsis sunt, vel divinas scilicet, vel Apostolicas, vel Ecclesiasticas; & hoc pacto nunquam traditiones nostrę iter ad errorem sternent.

Ad VIII. Cyprianus nullam habuit rationem traditionis, quam credebat ab Apostolis non descendere; sic enim putabat illam, quam ei Papa Stephanus opponebat; Unde illam potius vocavit vetustum errorem, & contrarium dixit esse Scripturis. En ejus verba in Epist. ad Pompejum: *Unde ista traditio? Utrum de Dominica, & evangelica authoritate descendens, an de Apostolorum mandatis, atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, testatur Deus &c.* Ex quibus patet, Cyprianum non negasse omnem traditionem, sed negasse illam, de qua erat quęstio esse veram traditionem sive Apostolicam, sive divinam.

Ad IX. Hieronymus in loco illo arguebat quosdam, qui ex quodam libro apocrypho afferebant, Zachariam, quem Judęi inter templum, & altare occiderant, Zachariam patrem Joannis fuisse. Unde concedimus, quod facile contenditur, quod aliam non habet authoritatem, quam in apocrypho libro; at in vera Scriptura non habet; at si habeat authoritatem in traditione, nun contenditur.

Ad X. Augustinus loquitur de quęstionibus, quę aperta non habent testimonia, nec in Scriptura, nec in traditione, quę in Scriptura fundatur; & hujusmoni erat quęstio, de qua ipse in illo loco tractabat, scilicet de animarum origine.

Ad XI. Verba illa intelliguntur pro Judęis & Cathecumenis, non vero pro iis, qui fidem jam receperant; hi enim quęrere non debent, quem jam invenerunt. Responsiu est Tertulliani lib. de prescrip. heretic. cap. 8. sic dicentis: *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. . . . Venio itaque ad illum articulum, quem & nostri prætendunt ad ineundam curiositatem, & Hæretici inculcant ad importandam scrupulositatem. Scriptum est, inquiunt, quærite & invenietis. Quando hanc vocem Dominus emisit, recordemur. Puto in primitiis ipsis doctrinæ suæ cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset. Et cum adhuc nec Petrus illum Dei Filium pronuntiasset: cum etiam Joannes de illo certus esse desiisset. Merito ergo tunc dictum est: Quærite, & invenietis, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat: & hoc quantum ad Judæos. Ad illos enim pertinet totus sermo sugillationis istius, qui habebant ubi quærerent Christum. Habent, inquit, Moysen & Eliam, id est, Legem, & Prophetas Christum prædicantes: Secundum quod & alibi aperte: Scrutamini, inquit, Scripturas, in quibus salutem speratis; illæ enim de me loquuntur; hoc erit: quærite & invenietis. Nam & sequentia in Judæos competere manifestum est; pulsate, & aperietur vobis.*

Ad XII. In exemplis allatis traditiones ex una parte non erant veræ, sed falsæ; & pro illis nunquam se declaravit, vel Ecclesia, vel summus Pontifex, ex cathedra loquens, nec ullum Generale Concilium. Bene vero pro illa, quæ Ecclesiæ menti conformabatur, & priorum Patrum sensui postmodum se declaravit Pontifex, & judicium suum omnes receperunt. Cæterum controversia illa, sive de Paschatis festo celebrando, sive de Baptizatis ab Hæreticis non rebaptizandis, nec ad fidem, nec ad mores spectabant, sed ad meram disciplinam, in qua ante Ecclesiæ declarationem potest quilibet sequi partem, quam sibi

pro-

probabiliorem putaverit.

Ad XIII. Distinguitur antecedens: Traditiones, quæ respiciunt disciplinam, sunt obnoxiæ mutationibus, conceditur: Quæ respiciunt fidem, vel mores, negatur. Exempla, quæ afferuntur sunt de traditionibus, quæ disciplinam spectant, non vero de illis, quæ ad fidem pertinent, vel ad mores.

Ad XIV. Verum est quod in traditionibus attendere debemus unanimitatem, vel saltem majorem numerum Patrum, qui pro illis stent; attamen vera custos traditionum est Ecclesia Romana, quæ est magistra veritatis; adeoque illa est vera traditio, quam Romana Ecclesia semper servavit, & servat. Etsi igitur sint inter Patres dissentiones, judicium tamen Romanæ Ecclesiæ est attendendum, ad illud sequi Ecclesiæ omnes debent. Falsum est autem, Patres omnes Græcos processionem Spiritus Sancti a Filio negasse; quum non suo loco, hac de re agentes plures ex illis attulerimus, pro eadem processione scribentes.

Ad XV. Traditiones, de quibus loquitur argumentum, de disciplina erant, non de fide, & moribus; præter illam, quæ dicitur de Baptismo ministrato in nomine Jesu. At de hac falsum assumit arguens, si intendit, quod in nomine Jesu tantum Baptismus ministraretur, & non in nomine explicito totius Trinitatis. Sic enim ministrabatur in nomine Patris, Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti; & tunc sic oportebat fieri propter rationes, quæ tempore illo habebant locum & modo non habent; ut quum de Baptismo erit sermo, dicemus.

DISSERTAT. CCLXXXVI.

De Conciliis. Ad quem spectet Concilia convocare? Conciliis præsidere? Concilia confirmare?

Conciliorum nomine veniunt Congregationes procerum Ecclesiæ, in quibus de Ecclesiæ rebus agitur; sicut, ait Bellarminus, Comitiorum secularium nomine veniunt Congregationes Procerum Regni, in quibus agitur de rebus, quæ ad Regnum pertinent. Igitur Concilium, quod quidem totam Ecclesiam repræsentat, si est Generale & Oecumenicum, est alter locus, ex quo desumi potest argumentum theologicum, ut mox videbimus. Concilia autem in quadruplici sunt differentia; quædam sunt Generalia, & Oecumenica; quædam Nationalia; quædam Provincialia, & quædam Diœcesana. Ad prima conveniunt omnium Ecclesiarum Episcopi; ad secunda Episcopi totius Regni, vel Nationis; ad tertia totius Provinciæ Episcopi; ad postrema Episcopus Diœcesis, & Presbyteri principaliores ipsius. Prima convocantur a Summo Romanæ Ecclesiæ Pontifice, qui omnium Ecclesiarum est caput; Secunda a Primate Nationis vel Regni; Tertia a Provinciæ Metropolita; Ultima tandem a Diœcesis Episcopo. Insuper ex his Conciliis quædam sunt legitima, in quibus scilicet verificantur omnes conditiones, quæ ad legitimum Concilium requiruntur; illegitima vero, in quibus aliquæ ex his conditionibus desunt, vel ex parte Convocationis, vel ex parte præsidentiæ, vel ex parte demum confirmationis. Hinc in præsenti Dissertatione sermonem instituimus de illis, ad quos spectat Concilia convocare, iisdem præsidere, ac eadem confirmare. Circa quod

Primo errarunt Arius, Nestorius, & Euthyches, qui impio & iniquo ausu dictitarunt, Concilia etiam legitime congregata, nullius esse valoris; quod Arius contra Nicænum I. blateravit; Nestorius contra Chalcedonense, & contra Ephesinum Euthyches, quæ omnia fuerunt Generalia, legitima & approbata. De Nestorianis, & Euthychianis asserit. Flavianus Constantinopolitanus in epist. ad Leonem. His adduntur Ariomanitæ, qui Synodum Nicænam vituperabant, & trecentorum Episcoporum judicium pro nihilo habebant. Testatur Julius I. Romanus Pontifex apud Athanasium in epist. ad Flaccillum, Narcissum &c. Adduntur quoque Severiani, qui Chalcedonense Concilium suscipiendum negabant. Testis est Leontius apud Euthymium

mium in panoplia par. 2. tit. 5.

Secundo errarunt Joannes Vviclephus, & Joannes Huss, illud idem asserentes contra Concilium Constantiense, in quo damnati sunt sess. 4. & 5. sub Joanne XXIII. vel, ut aliis placet XXIV. Vviclephus 2. par. sermonum serm. 45. de omnibus Conciliis hæc habet: „Conformiter dici debet de Conciliis suis Generalibus, quæ adeo solemnisant. Non enim accipi debet, vel credi Concilium Apostolorum, nisi de quanto creditur, quod Spiritus Sanctus confirmavit, eorum sententiam. Sed cum multi concurrentes ad modernum Concilium, sunt ut plurimum Apostatæ stolidi, & ignari, blesphemia foret lex vel regula, quæ dictaret, quod generaliter standum est, & credendum judicio majoris partis.„

Tertio errarunt Lutherus lib. de Conciliis, Calvinus lib. 4. Institut. Magdeburgenses centuria 4. volentes, quod jus convocandi Concilia non sit penes Ecclesiam, quatenus Ecclesia sumitur pro animarum Pastoribus, sed quatenus complectitur Imperatores, Reges, ac Magistratus; quapropter asserunt, ad Imperatorem spectare Concilia Generalia convocare, ad Reges Nationalia pro Regnis suis, & ad Magistratus pro iis Regionibus, quibus ipsi præsunt.

Quarto in communi sensu Catholicorum, quod Generalium Conciliorum Convocatio spectet ad solam Ecclesiam, prout complectitur Ecclesiasticos Viros, est etiam difficultas, an spectet ad solum Romanum Pontificem, an vero in aliquo saltem casu ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vel ad Concilium Generale, legitime coactum, scilicet ad Episcopos omnes, qui Generale Concilium componunt an possint aliud Generale Concilium convocare.

Quinto Juaninus tom. 1. Institut. theologicarum dissert. 4. qu. 3. cap. 1. art. 1. duas firmat conclusiones; quarum prima est: Concilia, quæ tribus prioribus seculis habita sunt, convocata fuerunt ab Ecclesia, prout solos animarum Pastores complectitur. Secunda vero: Imperatores Christiani convocarunt octo priora Concilia Generalia. Postquam ponit tertiam: Romani Pontifices convocarunt omnia Concilia Generalia, quæ post VIII. Generale celebrata sunt; & deinde quartam: Stricto jure solius est Ecclesiæ, pro ut animarum Pastores complectitur Synodos convocare; & denique quintam: Jure divino Romano Pontifici, & non alteri Episcopo, convenit authoritas ordinaria convocandi Concilia Generalia.

Dicimus I. ad summum Pontificem spectare Generalia Concilia convocare.

I. Probatur ex Scripturis. Primum Apostolorum Concilium, in quo Judæ loco electus fuit Mathias in Apostolum, a S. Petro fuit coactum; ut legitur Actorum 1. *In diebus illis exurgens Petrus in medio Fratrum, dicit: erat autem turba hominum simul fere centum viginti, viri Fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum .... Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus .... testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri ..... unum ex istis ... & dederunt sortes eis. Et cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Insuper Actorum 6. in altera Synodo, in qua facta est septem Diaconorum electio, legitur: *In diebus illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim, multitudinem Discipulorum .... dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis ... & elegerunt Stephanum .... Hos a multitudine electos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & ipsi Apostoli orantes, imposuerunt eis manus, &c.* Denique Actorum 15. in controversia de Circumcisione, an eam subire deberent Gentiles, recens ad fidem conversi, legitur: *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri Fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis ... nunc ergo quid tentatis .... Tacuit autem omnis multitudo, consentiens Petro &c.*

II. Probatur ex traditione, quam ex prioribus novem seculis his verbis colligit P. Boucat. „Ex secundo seculo, Historici referunt Concilium adunatum fuisse Palestinæ jussu Victoris I. summi Pontificis, ubi Theophilus Cæsareæ in Palestina Episcopus, ejus nomine præfuit ad perstringendos Quatuor-decimanos. Ex tertio seculo S. Melchiades alterum Romæ convocavit adversus Donatistas obstrepentes. Tum alia adunata sunt contra Novatianos, & in causa lapsorum tempore Cornelii; nonnulla contra Paulum Samozatenum; alia ad regulandam Ecclesiasticam disciplinam, &c. In iis autem Synodis convocandis nullam par-

„tem

tem habuere Principes, sed hoc totum fuit penes Summos Pontifices, aut Metropolitanos, & Patriarchas, ea eorum consensui ergo &c. Ex quarto seculo Nicænum primum dubio procul ea consensione S. Sylvestri convocatum est. Suffragatur Rufinus lib. 1. hist. Eccles. cap. 1. ubi de hæresi Arianæ ortu, & condemnatione agit Sermo, ait, *usque ad aures religiosi Principis, quippe qui omni studio & diligentia curaret, quę nostra sunt, pervenit. Tum ille ex Sacerdotum sententia apud Urbem Nicęnam Episcopale Concilium convocat; ibique Arium, trecentis decem & octo Episcopis residentibus adesse jubet, ac de ejus propositionibus, & quęstionibus, judicari*. Jam vero Constantinus ex sententia Sacerdotum adunavit Nicænam Synodum, maxime summi Sacerdotis, scilicet Pontificis. Huic adde Constantinopolitanam anno 381. adversus Macedonium auctoritate Damasi Papæ adunatam fuisse ut Spiritus Sancti contra negantes astrueretur divinitas. Ita refert Theodoretus lib. 5. Histor. Eccles. cap. 9. Ita Binius in suis ad hoc Concilium notis, ita Baronius his verbis: *Sententiam de damnatione Macedonii, & Eunomii, Damasus confirmari pręcepit etiam in Sancta secunda Synodo, quę pręcepto, & authoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est*. Ita Photius lib. de 7. Synodis. Sic demum colligitur ex ipsa Synodica epistola ad Damasum apud Theodoretum: En verba: *Postque Synodum Romę Dei nutu congregantes, nos etiam pro fraterna charitate erga nos vestra, tanquam membra propria per religiosissimi Imperatoris litteras evocastis ... Conveneramus apud Constantinopolim ad litteras a reverentia vestra superiori anno post Concilium Aquileense, religiosissimum Imperatorem Theodosium missas*. Ex quinto seculo primo occurrit Ephesinum occasione hæresis Nestorianæ perstringendæ, congregatum a Cœlestino I. Papa. In ejus Vicarii officio persolvendo aderat non sine magnis efferendus encomiis S. Cyrillus Alexandrinus, qui Nestorii fregit audaciam. Tum Chalcedonense, quod auctoritate S. Leonis Magni contra Eutychianos celebratum est, & quæ ibi decernenda forent, in sua ad Patres epistola præfixerat Sanctus ille Pontifex. Ex sexto seculo habemus quintum Oecumenicum a Justiniano quidem anno 553. invito Papa Vigilio convocatum pro trium Capitulorum discussione; at, ut viri eruditi norunt, nec quicquam roboris habuit ista Synodus, donec ei accesserit Summi Pontificis approbatio, quod argumentum est, non Laicis, quantumvis potestate super subditos præpollcant, sed summis Sacerdotibus, maxime vero Papæ ex jure competere adunare Concilia. Ex septimo seculo exurgit sextum Oecumenicum, cujus quidem auctoritas apparuit primum in definitionibus Concilii Lateranensis a S. Martino, deinde Romani ab Agathone adunatorum, tum præsentia Paschasini, Lucentii, & Bonifacii Legatorum Summi Pontificis; hinc Patres sess. 17. & in epistola Synodica ad Summum Pontificem ultro fatentur, ex sententia prius ab Agathone lata se proscribere Monothelitas. Ex octavo seculo celeberrimum est Nicænum secundum jussu Adriani I. anno 787. ad conterendam Iconomachorum hæresim congregatum. Ex nono seculo effulget octavum Oecumenicum Constantinopoli, ordinante Adriano II. anno 869. adversus Photium Schismaticum, adunatum.»

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Julius I. apud Athanasium apol. 2. ad Eusebianos scribens, ait: *Si quidem Legati vestri .... rogaverunt nos, Concilium ut congregaremus, scriberemusque ad Athanasium & Eusebianos, ut in præsentia omnium justo judicio de causa cognosceretur*. Leo Magnus epist. 12. ad Theodosium. *Si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostra dignetur annuere, ut contra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium, scito, auxiliante Deo, poterunt omnia scandala, qua in perturbationem totius Ecclesia sunt commota, resecari*. Pelagius II. ad Episcopos, qui ad Synodum Constantinopolitanum convenerant, prius, vocati a Joanne Patriarcha Constantinopolitano, qui se Patriarcham Oecumenicum appellabat *Relatum est, Joannem Constantinopolitanum, Episcopum universalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare Generalem, cum Generalium Synodorum convocandarum authoritas Apostolica Sedi Beti Petri sit tradita .... Multis Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, nec debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*. Gregorius Magnus scribens ad Leonem Isaurum Imperatorem Iconomachum: *Concilium Christi amantium Imperatorum, & piorum Pontificum virtus est una; quando cum pace atque charitate res administrantur. Scripsisti, ut Concilium Universale cogeretur; Et nobis inutilis ea res visa est. Tu persecutor es Imaginum*,

ginum, & hostis contumeliosus & eversor. Cessa. Nobis hoc largire ut taceas; tum mundus pace perfruetur, & scandala tacebunt. Finge nos te audisse, & ex universo terrarum Orbe Pontifices congregatos esse, Senatumque, ac Consilium sedisse. Ubi est Christi amator, ac pius Imperator, qui de more in Senatu sedere debet, &c. Nicolaus I. epist. 8. ad Melchiadem Imperatorem: *Attendat clementia vestra, quanta fuerit erga Sedis Apostolicæ reverentia Antecessorum vestrorum, amor & studium. Qualiter legibus suis pro adunandis ei Ecclesiis promulgaverint. Pro colligendis Conciliis, ac proferendis sententiis non imperaverint, sed precati, & solum extiterint, & quæ illi decreverunt, ipsi consenserint: & quæ illi damnaverunt, ipsi respuerint.... Generale Concilium sine Apostolicæ Sedis præcepto nulli fas est vocandi.*

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium Constantinopolitanum Generale II. in epistola Synodica ad Damasum, quam refert Theodoretus lib. 5. histor. Eccles. cap. 9. *Conveneramus Constantinopoli ad literas a Reverentia vestra superiori anno, post Concilium Aquilejense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas, sed hoc solum iter Constantinopolim usque instructi, & de hac tantum Synodo Episcoporum, qui in Provinciis remanserunt, consensum afferentes, cum de longioris profectionis onere, nec suspicati essemus, nec quidquam ante audissemus quam Constantinopolim pervenimus.* Concilium Constantinopolitanum Generale VI. act. 18. in Prosphonetico ad Imperatorem Constantinum: *Arius divisor Trinitatis, insurgebat, & continuo Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis, magnam, atque insignem in Nicæa Synodum congregabant... Macedonius Spiritus denegabat deitatem, sed Maximus Imperator Theodosius, & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt... Gregorius & Nectarius in hac regia urbe conventum congregabant.... Iterum Nestorius & iterum Cœlestinus, & Cyrillus: ille quidem Christum dividebat, illi vero cum sceptrorum Domino divisorem dejiciebant, ut Ephesus, & ibidem gestorum tabulæ hortati loquuntur... Deinde Euthychetis insania... Leonis tuba tanquam leonis rugitus vehementer vociferans ex Roma Archimandritam bestiam perterruit... Marcianus Imperator, & Anatholius Constantinopolitanus Antistes, cum omni Chalcedonensi a Christo congregata collectione.... Sicut & Vigilius post hac Justiniano piissimo consonavit, & quintum Concilium constitutum est.* In Concilio Florentino Græci, qui prius erant Schismatici, & qui deinde ad Ecclesiæ Catholicæ unionem redierant act. 25. dixerunt: *Admissimus privilegia Papæ, præterquam duo, ne convocet Synodum Oecumenicam absque Imperatore, & Patriachis, si veniant: quod si advocentur & non veniant, ne propterea impedimento sint, quominus Synodus...* Et Pontifex respondit: *Authoritatem sibi esse, ac facultatem convocandi Synodum Oecumenicam, cum opus fuerit, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati.*

V. Probatur ex Historicis sacris. Eusebius lib. 5. histor. cap. 24. refert, quod Polycrates, Ephesi Episcopus, in Controversia Paschæ scripsit ad Victorem Papam hæc verba: *Possem Episcoporum, qui mecum sunt facere mentionem, quos petiistis, ut convocarem, sicut & feci. Quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur. Hi enim pusillum hominem intuiti essent, epistolam nostram assensu suo comprobarunt.* S. Maximus Martir in collatione cum Theodosio, Cæsareæ Episcopo: *Si Synodos, quæ factæ sunt, jussiones Imperatorum firmant, & non pia fides. Recipe Synodos, quæ contra homousion factæ sunt. Nam jussione Principum sunt patratæ. Primam videlicet in Tyro, secundam in Antiochia, tertiam in Seleucia, quartam in Cypro sub Eudoxio Ariano; quintam in Nicæa, sextam in Sirmio: Et post hæc multo post, septimam in Ephеso secundam, cui Dioscorus præfuit. Omnes enim has Imperatorum jussio aggregavit. Quare autem non abjecitis eam, quæ deposuit Paulum Samozatenum, sub Sanctis, & Beatis Dionysio Papa Romano, & Dionysio Alexandrino, atque Gregorio miraculorum patratore, qui eidem præfuit Synodo, quoniam non est jussione facta Imperatoris? Qui propterea promulgat, solas illas approbandas Synodos, quæ Imperatoris jussione sunt congregatæ?* Harmenopolus in præfatione Epitom. Canonum loquens de adunatione Concilii Sardicensis, ait: *Ex ipsorum Imperatorum, & Romani Episcopi sententia, 341. Episcopi in hac Synodo Sardicæ convenerunt.*

VI. Probatur ex Theologis Gallis. Gersonius libello de auferibus Papæ: *Fateantur prius, quod regulariter Concilium Generale non est celebrandum de jure etiam divino, non vocante, vel approbante Papa, si est unicus, nec adversus eum allegatio legitima.* Hincmerus opusc. 55. cap. 20. *Septima apud Græcos vocata Universalis Pseudo Synodus de imaginibus sine auctoritate Apostolicæ Sedis Constantinopoli est habita.... Unde tempore Caroli Magni Imperatoris jussione Apostolicæ Sedis Generalis est Synodus in Francia, convo-*

cante præfato Imperatore, celebrata.... Claret Universales, ac Generales Synodos nominari, cum plures Episcopi fuerint congregati Apostolicæ Sedis jussione, & imperiali convocatione, sicut Sardicensis Synodus .... Sic igitur universales Synodi specialiter Apostolicæ Sedis auctoritate convocantur.

VII. Probatur ex ipsorummet Laicorum Principum confessione. In Capitularibus Francorum Regum, qui simul Occidentis fuerunt Imperatores, hæc leguntur. Lib.6. cap. 287. *Auctoritas Ecclesiastica atque Canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Et lib.4. cap. 12. *Legitima Synodo suo tempore Apostolica auctoritate convocata, cujus jussione Domini, & meritis B. Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum authoritas, & Sanctorum Canonum, & venerandorum Patrum decretis, multipliciter privata tradita est potestas.* Referuntur a P. Boucat Gallo ordinis nostri Theologo.

VIII. Probatur rationibus. I. Solus Summus Pontifex potest præcipere Episcopis, qui Generale Concilium componere debent, ut ad Concilium accedant: ergo solus Summus Pontifex potest Generale Concilium convocare. Consequentia sequitur; quia qui præcipit jus exercet; jus autem hoc in Romano Pontifice supra omnes Episcopos probabitur infra. Antecedens patet ex Diplomatibus Summorum Pontificum, qui Generalia Concilia convocarunt. II. Ad solum Romanum Pontificem spectat universalem Ecclesiam gubernare: ergo pariter spectat Generalia Concilia convocare. Consequentia bene infertur; quia in Generalibus Conciliis tota Ecclesia repræsentatur. III. In Generalibus Conciliis res Ecclesiæ tractantur, ac judicantur; sed pro rebus Ecclesiæ tractandis ac judicandis nullus Princeps Laicus habet authoritatem, sed solus Summus Pontifex, si res Universalem Ecclesiam spectent: ergo ad solum Summum Pontificem pertinet Concilia Generalia convocare. Minor est Athanasii in epist. ad solitariam vitam agentes, In qua legitur: *Nam si istud est judicium Episcoporum, quid cum eo commune habet Imperator? Sin contra ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? Quando a condito ævo auditum est? Quando judicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? Aut quando unquam hoc pro judicio agnitum est? Plurima ante hac Synodi fuere, multa judicia Ecclesiæ habita sunt; sed neque Patres hujusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit.* IV. Ex confessione Adversariorum spectat ad Metropolitanos pro rebus suæ Provinciæ; ad Primates pro illis sui Regni, vel Nationis; ad Patriarchas pro illis sui Patriarchatus, Concilia, vel Provincialia, vel Nationalia convocare: ergo pariter ad Summum Pontificem spectat pro rebus totius Ecclesiæ Generalia Concilia indicere, & convocare, quia majorem jurisdictionem habet Summus Pontifex in tota Ecclesia, quam habeat Metropolita in Provincia, Primas in Regno vel Natione, & Patriarcha in Patriarchatu. V. Multæ Turbæ excitatæ sunt, quando Principes laici Concilia convocarunt, absque ad Romanum Pontificem adhæsione, eaque potius Conciliabola, quam Concilia evaserunt; quod clare patet in Conciliis pro Arianis, & pro Donatistis, ab Imperatoribus convocatis, Romanis Pontificibus contradicentibus. VI. Si quid Conclusioni nostræ obstaret esset exemplum Oecumenicorum Conciliorum, priorum seculorum, quæ in Oriente habita sunt, & quæ dicuntur ab Imperatoribus convocata, sed hoc non obstat; ergo, &c. Probatur minor; tum quia illud fuit de facto, & non de jure, & factum juri nullum infert præjudicium, præcipue quando provenit a potente, quum sit potius violentia, quam justitia; tum etiam quia tunc temporis per civiles leges omnes Conventus adunationes, & Congregationes hominum prohibebantur. Unde illa sunt potius licentia quædam, quæ ab Imperatoribus petebatur, ut possent Episcopi in locum aliquem convenire, qui esset ipsorum jurisdictioni subjectus; tum denique, quia tempore illo Episcopi erant pauperes, & sumptus pro itineribus, & pro hospitiis ab Imperatoribus fiebant. VII. In omnibus Conciliis Generalibus, quæ postmodum in Occidente celebrata sunt, inditiones & convocationes ipsorum a Romanis Pontificibus fuerunt factæ, ut in ipsorum convocatoriis literis legere est: ergo jus hoc Romanorum Pontificum facto etiam roboratur. VIII. In Conciliis Generalibus Summi Pontifices, vel per se ipsos, vel per suos Legatos præsident; sed ad illos spectat præsidere, ad quos pertinet convocare: ergo, &c. Major sequenti conclusione probabitur; Minor autem probatur. Ideo ad

Pon-

Pontifices spectat præsidere, quia de rebus Ecclesiæ agitur: ergo pariter per hoc ipsum ad Summos Pontifices pertinet convocare.

Dicimus II. Soli Romano Pontifici competere Conciliis Generalibus præsidere.

I. Probatur illi soli competit Generalibus Conciliis præsidere, qui solus universali Ecclesiæ præsidet; sed solus Summus Pontifex Romanus universali Ecclesiæ præsidet: ergo illi soli competit Generalibus Conciliis præsidere. Major est certa, quia Generale Concilium universalem Ecclesiam repræsentat. Minor, quando de Summo Pontifice agetur, probabitur. II. Præsidentia, de qua loquimur, intelligitur de potestate præscribendi Ordinem rerum tractandarum, ferendi suffragium, & primo loco loquendi; sed hæc nullo modo convenire potest laico Principi, quantumvis Imperatori, sed Ecclesiasticis, & inter ipsos, primo, tum Ordine, tum jurisdictione: ergo Summo Pontifici Romano, qui talis est. III. Primo Generali Concilio Nicæno I. præfuit S.Sylvester Papa per suos Legatos, Osium Episcopum Cordubensem, Vitum, & Vincentinum, Romanæ Ecclesiæ Presbyteros; ut patet ex Socrate cap.9. qui enumerans ejusdem Concilii Patres, primo loco ponit Osium, Vitum, & Vincentium. Secundo Generali Concilio, quod fuit Constantinopolitanum I., præfuit Damasus per Regiæ Urbis Episcopum. Tertio Generali Concilio, quod fuit Ephesinum I. præfuit Cœlestinus per S.Cyrillum, Alexandrinum Episcopum. Quarto Generali Concilio præfuit Leo Magnus per suos Legatos; & sic deinceps in aliis subsequentibus, ut videre est apud P.Boucat, qui lato calamo rem hanc pertractat. IV. Ante primum Generale Concilium plures Summi Pontifices hæreses damnarunt: ergo si hoc effecerunt extra Concilia, a fortiori in Conciliis Generalibus facere possunt & debent; sed hoc ipsum est Conciliis Generalibus præsidere: ergo, &c.

Dicimus III. Ad solum Summum Pontificem Romanum spectat Concilia Generalia confirmare.

I. Probatur ex Romanorum Pontificum praxi & attestatione. Damasus I. in epistola Synodica Episcoporum nonaginta, Romæ congregatorum, rejicit Conciliabolum Ariminense, quia illi Liberius Papa non consenserat. Et hæc sunt ejus verba apud Theodoretum cap. 22. *Siquidem numerus Epycoporum, qui Arimini congregati fuerunt, præjudicii vim habere non debet. Quodquidem factum illud est, neque Romanorum Episcopo, cujus ante alios oportebat sententiam expectare: neque Vincentio, qui tot omnis Episcopatum integre gesserat: neque aliis in res tales consentientibus.* Leo Magnus Epist. 59. ad Marcianum Augustum: *Cum vestro praecipue opere sit effectum, ut per Synodale Concilium, damnatis impii dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteres: ad ejusdem devotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscunque reliquiis deleatur. Quod facilius clementia vestra arbitretur implendum, si per universas Ecclesias, definitiones Sanctæ Synodi Chalcedonensis Apostolicæ Sedi placuisse doceantur.* Et epist. 60. ad Pulcheriam Augustam: *Quod vero piissimus Imperator ad omnes Episcopos, qui Chalcedonensi Synodo interfuere, voluit me scripta dirigere, quibus quæ illic sunt de fidei regula definita, firmarem, libenter implevi: ne fallax cujusdem simulatio scientiam meam haberi vellet incertam.* Gelasius Papa epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ. *Confidimus, quod nullus tam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam; quæ & unamquamque Synodum sua authoritate confirmat, & continuata moderatione custodit; pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet.* Gregorius Magnus lib. 6. epist. 31. *Et Canones quidem Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accepit. In hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Et lib. 1. ep. 24. *Sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor. Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur. Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii, & Macedonii error, convincitur. Ephesinum, &c.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Generale VI. act. 18. in Prosphunetico serm. ad Imperatorem: *Macedonius Deitatem Spiritus Sancti denegabat, sed Maximus Imperator Theodosius, & Damasus adamas fidei, cujus solida mens aggressionibus, atque conflictis alienarum sectarum, nullatenus erat*

sauciabilis. Ad quæ verba Photius lib. de Synodis ait: „Secunda Synodus... eo congregati sunt 150. Episcopi... Quibus non multo post tempore etiam Damasus Romanus Antistes, eadem confirmans agnoscebatur, consentaneus Decretis factus „. Et Binius in suis notis: Tantum enim roboris, & firmitatis quælibet Synodus consequi solet, quantum auctoritatis illi Apostolica Sedes impertit. Et merito: nisi enim hoc admittatur, nulla causa reddi poterit, cur quædam Concilia majoris numeri Episcoporum reprobata, minoris numeri confirmata fuerit „. Carthaginense Concilium sub Innocentio I., in quo damnatus est Cœlestius, hæc ad Pontificem scribit. *Hoc itaque gestum, Domine, fratres sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas*. Milevitanum eadem ad eundem scribebat; eadem quoque Arausicanum, quod a Bonifacio III. postmodum est approbatum; ut patet ex ejusdem Bonifacii Epistola ad Cæsarium, in qua hæc leguntur: *Postulans ut pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram.... auctoritate Sedis Apostolicæ firmaremus... Quapropter affectu congruo salutantes, superscriptam confessionem vestram, consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus*.

III. Probatur ex Patribus. *Augustinus* epist. 95. ad Innocentium I. de Pelagio, ejusque libros hæc scribebat: *Si cognoverint eundem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, Episcoporum Catholicorum auctoritate, & maxime sanctitatis tuæ, quam apud Deum esse majoris ponderis minime dubitamus: ab eodem ipso anathematum atque damnatum non eos ulterius existimamus ausuros loquendo contra gratiam Dei*. Et epist. 166. *Primi majores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Exigite hoc a nobis, probemus vobis, & si non probaverimus, facite de nobis quicquid potuerit. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam atque finiendam Episcopis delegavit. Quod & factum est in Urbe Roma, præsidente Melchiade, illius Ecclesiæ Episcopo, cum multis Collegis suis*. Ambrosius epist. 33. ad Valentinianum Imperatorem. *Nolite gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere: noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent; ad Sacerdotem Ecclesiæ; publicorum tibi mœnium jus concessum est, non sacrorum*. Hieronymus epist. 142. *Ozias Rex quandiu vixit Zacharias, Sacerdos cognomento intelligens, placuit Deo, & cum omni veneratione delubrum ejus ingressus est. Postquam vero Zacharias obiit, volens per se offerre donaria, sacerdotalem ordinem non tam pie, quam audacter invasit, & reclamantibus, Levitis, & Sacerdotibus cæteris: Nonne tu es Ozias Rex, & non Sacerdos? Audire noluit; statimque lepra perfusus est in fronte, juxta prophetiæ vocem dicentis: Imple, Domine, facies eorum ignominia*. S. Prosper Carmine de ingratis adversus Pelagianos:

Pestem subeuntem prima recidit,
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet. Non segnior inde Orientis
Rectorum cura enituit &c.
Tu causam fidei flagrantius Africa nostra
Exequeris, tecumque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio; fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctibus Urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu,
Decernis, quod Roma probet, quod Regna sequantur.

IV. Probatur rationibus. I. Concilium Generale a Summo Pontifice habet ut sit Concilium; sed hoc non habet, nisi per confirmationem: ergo ut sit Concilium a Pontifice debet confirmari. Probatur minor. Ab illo habet ut sit Concilium, a quo habet, ut non sit Conciliabolum, sed a Summo Pontifice habet, ut non sit Conciliabolum: ergo a Summo Pontifice habet ut sit Concilium. Hæc enim est differentia inter Conciliabolum & Concilium, quod Conciliabolum non est summi Pontificis authoritate firmatum, sicuti est Concilium, quod per hoc ipsum habet, ut sit Concilium. II. Frustra Summus Pontifex Concilia Generalia indiceret, & convocaret, iisdemque præsideret, si ea postmodum in fine confirmandi potestatem non haberet; sed ex probatis in prima & secunda Conclusione convocat Concilia Generalia, iisdemque præsidet: ergo debet eadem quoque confirmare. III. Ex quo Summus Pontifex est universalis Ecclesiæ Princeps, Rector,

& Ca-

& Caput, habet Concilia Generalia convocare, & iisdem præsidere: ergo ex eadem pariter ratione debet illa confirmare; quia sicut sine capitis imperio membra non moventur, nec recte moventur, ita sine ejusdem nutu illorum motus non sunt legitimi & recti; adeoque capitis judicium petimus, & ut recte moveantur. IV. Ex praxi omnium Oecumenicorum Conciliorum, qui confirmationem a Summis Pontificibus rogaverunt & obtinerunt. V. Quia multa sunt Concilia Generalia, quæ non dicuntur legitima, quamvis fuerint authoritate Papæ convocata, sed quia non fuerunt ab eadem authoritate confirmata. VI. Quia Concilia Generalia sunt infallibilis authoritatis, ut in sequenti Dissertatione probabimus; sed hanc infallibilitatem ab authoritate, & a confirmatione Papæ habent: ergo &c.

Obstant I. Apostolorum temporibus non Petrus, sed Apostoli ipsi Synodos convocarunt; ergo convocatio hæc ad Romanum Pontificem non spectat. Probatur antecedens. Pro observantia circumcisionis, & legalium rituum, dicitur Actorum 15. *Convenerunt Apostoli & Seniores, videre de verbo hoc*; Et in electione Diaconorum dicitur Actor. 6. *Convocantes duodecim multitudinem Discipulorum*; ubi convocatio Concilii tribuitur Apostolis, & non Petro. II. Ex veterum Historicorum Ecclesiæ testimonio constat octo priora Generalia Concilia fuisse ab Imperatoribus convocata: ergo non a Papa. III. Nec Episcupi, nec Pontifices, Imperatores arguebant, quod jus sibi debitum usurparent: ergo illud ipsum Imperatores nun solum facto, sed etiam jure, faciebant. IV. Pontifices ipsi Imperatores rogabant, ut Concilia convocarent: ergo hoc facto ostendebant jus convocandi Concilia non ad ipsos, sed ad Imperatores, spectare. V. In Diurno Romano, ubi agitur de prima Nicœna Synodo, nulla fit Sylvestri Pontificis mentio, sed tantum Constantini Magni, quo Principe, coacta est: ergo etiam quo convocante, coadunata. Verba Diurni sunt: *Hujus Apostolicæ traditionis normam inviolabiliter custodiens venerandum Sanctorum Patrum trecentorum decem & octo Concilium, quod in Nicæna sub Magno Principe Constantino convenit: Dei gratia revelante, redegit in Symbolum, & consubstantialem Patri Filium prædicavit.* VI. Si sit renitens Summus Pontifex, possunt Cardinales convocare Concilium: ergo convocatio non spectat ad Summum Pontificem solum. VII. Constantinus Magnus præfuit Primo Concilio Nicæno, Marcianus Chalcedonensi, Justinianus Quinto Generali, Constantinus Pogonatus Sexto; quę omnia refert Baronius: ergo Imperatores, & non Pontifices Conciliis Oecumenicis præsidebant. VIII. Damasus Papa, & Vigilius nec per se, nec per Legatos, præfuit ille secundo Generali Concilio; hic vero Quinto. IX. Pariter S. Sylvester nec per se, nec per Legatos, Concilio Nicæno præfuit. Et probatur. Si fuisset aliquis legatus Sylvestri, hic nobiliori loco sedisset, & primus omnium fuisset Imperatorem alloquutus; sed hic non fuit: ergo &c. Probatur minor. Eusebius lib. 3. de Vita Constantini cap. 11. dicit, hunc fuisse Eustachium Patriarcham Antiochenum; in epistola autem Synodica Concilii Nicæni ad Ecclesiam Alexandrinam, dicitur fuisse Alexandrum Alexandriæ Episcopum. X. Sozomenus lib. 1. hist. cap. 16. Theodoretus lib. 1. cap. 6. nullam fecerunt memoriam Osii Cordubensis Episcopi, quem nos dicimus, pręfuisse Nicæno Concilio, nomine Papæ. XI. Theodosius Imperator dedit facultatem Dioscoro, ut præesset Concilio Ephesino: ergo ad Imperatores spectat præsidere Conciliis, vel per se, vel per alios. XII. Eusebius lib. 3. de Vita Constantini cap. 17. refert Epistolam, qua Imperator Nicænam Synodum confirmavit, & in ea hæc leguntur: *Plane divinum mandatum suscipite: quicquid enim in Sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne referendum est ad divinam voluntatem.* XIII. Episcopi Secundi Concilii Generalis illius confirmationem a Theodosio Imperatore petunt verbis hisce: *Necessario ad tuam pietatem referimus, quæ in Synodo sunt gesta.... Rogamus tuam Clementiam, ut per literas quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii Decretum.* XIV. Carolus Magnus in sua ad Elipandum epistola hęc habet: *Scriptam itaque in epistola vestra hujusmodi precationem invenimus: poscentes, ut per te arbiter sedeas. Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, Congregationi Sacerdotum auditor & arbiter adsedi.* XV. Ecclesiæ acceptatio Decretorum Concilii Generalis vel pręcedit confirmationem Papæ, vel subsequitur; Si pręcedit: ergo Ecclesia acceptat, quod Papa non confirmavit: Si subsequitur: ergo robur habetur non a confirmatione Papę, sed ab accepta-

tione

rione Ecclesię; & hoc vel eo magis, si nomine Ecclesię veniat ipsum Concilium, a quo Ecclesia repręsentatur.

Respondemus ad I. Petrum convocasse primum duodecim Apostolos, & deinde duodecim Apostolos Petri nomine convocasse multitudinem discipulorum. Et quando dicitur, quod convenerunt Apostoli, & Seniores videre de Verbo hoc statim additur, quod Petrus surgens, loquutus est tanquam ille, qui super Apostolos primatum tenens, solos habebat ante omnes convocandi, loquendi, ac judicandi potestatem. Unde additur ad verba illa in præfato loco 15. Actorum: *Conveneruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere.*

Ad II. dicitur, quod ipsimet Summi Pontifices consenserunt ut Imperatores, aliquando Concilia convocarent; & hoc multas ob caussas; quarum prima est, ut convenirent de loco, seu de Civitate, in qua celebrari debebat Concilium, & cujus ditio apud Imperatorem erat; unde sine illius imperio ibidem Concilii coadunatio fieri non poterat. Secunda, quia tunc temporis, ut dictum est per Civiles Leges vetitum erat fieri hominum conventus in aliqua Civitate absque Imperatoris licentia; Unde convocatio illa erat potius quædam Imperatoris facultas, per quam poterant Episcopi ad celebrandum Concilium in certum locum convenire. Tertia quia ob paupertatem Episcoporum, iisdem providebatur de equitatura & hospitio, Imperatoris impensis. Qua propter convocatio illa ab Imperatore fiebat ut hic facilius impensas illas erogaret. Quarta caussa erat, ut Hæretici promptius, & expeditius Imperatoris imperio obedirent, & se Concilio præsentarent; quod aliter non fecissent si solus Papa eos ad Concilium advocasset.

Ad III. non poterant Pontifices & Episcopi Imperatoribus opponere juris violationem, aut facti violentiam, quia inter pares non erat quæstio, & tunc temporis magis prudentiæ congruebat facta dissimulare, quam potentibus jura opponere, ne deteriora mala sequerentur. Quæ expendens Thomassinus, Theologus & ipse Gallus, hæc scribebat. Diss. 3. in Concilia. „ Ergo secernenda sunt
„ facta & jura: & ubi sexenties legis etiam
„ in ipsa Conciliorum fronte, in Patrumque
„ monumentis identidem audis, convocaras ab Imperatore Synodos, hæc facta
„ quidem, sed non statim jura interpreta-
„ re: aut si jura, non stricta & primæva,
„ sed indulgentiæ & œconomiæ plurimæ
„ accommodata. Quanquam enim optime
„ meritus de Ecclesia fuerit Constantinus,
„ nemo tamen inficias ire potest, *aliquanto*
„ *plus illum sibi in negotiis Ecclesiasticis vin-*
„ *dicasse quam laico Principi conveniret*, ut ad-
„ vertit doctissimus Valesius in cap. 51. lib.
„ 3. vitæ ejus. „

Ad IV. Permissionem celebrationis Conciliorum Pontifices Summi ab Imperatoribus rogabant, illamque, ut optatum haberent effectum ab iisdem intercedebant, ut suam interponerent authoritatem. Et hoc illas ob caussas, quas in respons. ad 3. argum. enumeravimus.

Ad V. Respondet Natalis Alexander dissert. 2. quarti seculi, Theologus & ipse Gallus. „ Cum enim dicitur Synodus sub
„ aliquo Imperatore, aut Rege convenis-
„ se, non significatur, quod illam convo-
„ caverit ille Princeps, sed solum quod
„ tunc moderaretur Imperium, quando
„ convocata est: alioqui sequeretur Triden-
„ tinam Synodum fuisse a Carolo Quinto,
„ & Ferdinando convocatam, quia sub his
„ Imperatoribus vere dicitur celebrata,
„ deinde etsi Constantinum convocasse Ni-
„ cænam Synodum probent illa Romani
„ Diurni verba, non tamen Sylvestrum
„ excludunt. Tertio Diurnus ille editus
„ est post sextam Synodum, quæ Sylve-
„ strum adjungit Constantino in convoca-
„ tione Concilii Nicæni. „

Ad VI. Aliqui sunt Casus, in quibus Cardinales possunt convocare Concilium Generale, Papa etiam renitente. Et quidem primus est, quando duo de Papatu contendunt, & nemo ex illis est in possessione; vel quando est in possessione, & ut iis dirimatur, renuit Generalem Synodum convocare; secundus, si Papa esset tanquam persona privata, Notorius Apostata, vel hæreticus, vel si etiam esset occultus, & congregare Concilium nollet; Tertius si Concilium esset Ecclesiæ necessarium absolute, & Papa ob suos fines particulares, nollet ipsum indicere; quod scripsit Duvallius par. 4. q. 2. *Si contigeret Concilium Oecumenicum Ecclesiæ esse prorsus necessarium; ita ut ejus defectu omnia retro sublapsa ferrentur in Ecclesia, neque induci posset Pontifex, ut illud*

indi-

indiceret, in hoc casu Cardinales possent illud indicere: Qui si etiam nollent, Primates diversorum Regnorum possent inter se convenire, & Episcopos sibi subjectos in unum locum convocare; quibus etiam renuentibus, Episcopi ipsi mutuo hortatu, in unum locum, ad Ecclesiæ rebus providendum legitime inter se convenire possent. Hos autem casus omnes complectitur Petrus de Alliaco lib. de Ecclesiæ authoritate cap. 3. „ Ubi ne-
„ cessitas, aut utilitas emineret, pro con-
„ servanda fide, vel bono regimine Eccle-
„ siæ, ad Papam, vel in ejus defectu, ad
„ Cardinales pertinet Generale Concilium
„ convocare. „

Ad VII. Notat Jueninus, quod præsidencia, de qua loquimur, tribus modis fieri potest, vel quoad directionem & suffragium, vel quoad Conciliandam in Concilio pacem, vel quoad materialem locum, in Concilio occupatum. Primo modo nunquam Imperatores Conciliis præfuerunt, nec etiam tertio, sed tantum secundo. Unde de Constantino Magno narrat Eusebius lib. 3. de vita ipsius, quod non nisi post Episcopos sedere voluit: *Postquam Imperator ad caput subselliorum venit, primus medius sedit; postea que ante eum humili sella, ex auro fabre-facta non prius assedit, quam Episcopi ei annuissent. Idem omnes post Imperatorem fecere.* Marcianus Concilio Chalcedonensi interfuit, ut pacem in eo servaret, ut ipsemet act. 4. fatetur: *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini, interesse Synodo voluimus .... Ut nostra pietate præsente, decernantur quæ omnem discordiam, quæstionemque submoveant.* Constantinus Pogonatus per duos Nobiles Laicos Concilio interfuit, ut pariter pacem in eo firmaret, non vero ut suffragium ferret, & de rebus Ecclesiæ judicaret; ut ait Gregorius Magnus epist. 1. *Scis, Imperator, Sacræ Ecclesiæ dogma, non Imperatorum esse, sed Pontificum, quæ tuto debent dogmatizari. Idcirco Ecclesiis Præpositi sicut Pontifices a Reipublicæ negotiis abstinentes: ut Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant.*

Ad VIII. Respondet P. Boucat cum distinctione. „ Non præfuere, quia in hoc
„ dispensaverunt, concedo: defectu juris,
„ nego. Theodosius Magnus, compellen-
„ tibus Orientalibus ad compescendum
„ Macedonium, adunavit quidem Con-
„ stantinopoli Synodum, ad quam invitati
„ sunt Occidentales, sed tametsi nullus ibi
„ adfuerit, agnovere tamen Patres Syno-
„ dici Summum Pontificem, ut Concilii
„ Præsidem, cum Urbis Regiæ Episcopus
„ non nisi post sedem Episcopo Romano
„ destinatam in cœtu sederit: Dictum est
„ quoque Damasum præfuisse consensu,
„ sicut & approbatione, quæ est auctori-
„ tatis supremæ tantum argumentum, ut
„ nisi Papæ calculus accedat Concilio, jam
„ vacuum evadit. Ad exemplum Vigilii,
„ solutio ex probationibus claret; quippe
„ qui timens, inquit Mimburgius in sua
„ histor. Eccles., ne propter multitudinem
„ & auctoritatem Orientalium aliquid ad-
„ versus jura Pontificia fieret, noluit adesse.
„ se. Quod autem jus habuerit, ex eo po-
„ tissimum liquet, quod ante cæptum Con-
„ cilium, enixe eum deprecati sint Syno-
„ dici Patres, ut assistere & præsidere di-
„ gnaretur. „

Ad IX. Sedes posita a sinistra in Nicœno Concilio Generali I. cæteris præcellebat, adeoque primus omnium erat locus. Ratio est, quia in medio Concilii erant Sacrosancta Evangelia, quæ Christum repræsentabant, adeoque qui a dextris Christi erat, primum locum occupabat. Et qui in sinistra Concilii sedebat, a dextris Evangeliorum erat, inde est, quod hic primum locum occupabat. Responsio eruitur ex veteri Ordine Romano, in quo hæc leguntur: *Sedebunt ea locali dispositione, ut intrantibus Ecclesiam Episcopi sint ad sinistram, Presbyteri vero ad dexteram: ut quando Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dexteram, Presbyteros contueatur ad sinistram.* Eustachius ob doctrinam dicitur primus Episcoporum, non vero ob dignitatem, & authoritatem, quia ante ipsum erat Alexander, Alexandrinus Patriarcha, qui non est alloquutus ante omnes, nec principali loco sedebat.

Ad X. Non facimus quæstionem de Osio, sed de Sylvestri Legatis, qui Nicæno Concilio præfuerunt. Satis ergo est, ut prælaudati Historici, aliique cum ipsis nominent Vitum & Vincentium Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, qui fuerunt Sylvestri Legati. Cedrenus in Compendio Historiarum ait: *Præerant ei Sylvestri Papæ Romani locum tenentes, Vitus, & Vincentius, Presbyteri, Metrophanes Byzantii, Alexander Alexandriæ, Eustachius Antiochiæ, & Macarius Jerosolymorum Episcopi.* Cæterum Osii meminit aperte Gelasius Cyzicenus lib. 2. Histor. Concilii Nicæni cap. 5., & fatetur se hæc verba excripsisse

se

se ex Eusebio lib. 3. de Vita Constantini: *Ipse etiam Osius ex Hispaniis, nominis & famæ celebritate insignis; qui Sylvestri Episcopi maxime Romæ locum obtinebat, una cum Romanis Presbyteris Vitone, & Vincentio, cum aliis multis in consessu illo adfuit. Urbis autem illius, penes quam Imperium est, Episcopus Metrophanes nomine, ingravescente ætate præpeditus abfuit, sed Presbyteri ejus, qui aderant, illius locum suppleverunt.* Osii etiam meminerunt, & quidem cum laude Athanasius, Photius, aliique videndi apud P. Boucat, Natalem Alexandrum, aliosque.

Ad XI. Hoc ex errore fecit Theodosius, quia prævenerat eum Chrysaphius, ut illum mitteret in odium Flaviani, a quo Euthyches damnatus fuerat. Testatur Evagrius lib. 1. hist. cap. 10. *Hujus Concilii præses fuit Dioscorus, quo odium in Flavianum incenderetur: Chrysaphius enim, qui tunc Præfectus Palatii fuit, hanc rem callide molitus est.* Porro Theodosii error, & Dioscori odium in Flavianum, adeo Conventui illi obfuerunt, ut tandem ex Concilio evaderet Conciliabolum.

Ad XII. Verba illa Constantini non denotant Concilii confirmationem ab ipso factam, sed Constantini efficaciam, ut Concilium cum pace initum, cum pace factum, cum pace etiam terminaretur. Unde ad terrendos Catholicæ fidei hostes, præcipiebat Episcopis, ut Concilium acciperent, & acceptarent salvo semper jure confirmationis, ad quem spectabat.

Ad XIII. Rogabant Episcopi Theodosium, non ut sua authoritate, sed ut sua pietate, hoc est suo exemplo, sua obedientia, suo Catholicæ fidei zelo Concilium confirmaret; ita ut cæteri hoc videntes illico etiam consilium inirent, ut ab ipsis pariter Concilium acceptaretur.

Ad XIV. Arbiter idem sonat ac protector in illo loco; unde Carolus Magnus se Concilii protectorem profitebatur, quod nos non diffitemur. Cæterum teste Alcuino, Caroli Magni Præceptore, lib. 1. contra Elipandum, *Felix damnatus fuit Synodali authoritate Sacerdotum Christi.* Non igitur Imperatoris authoritate contra Hæreticos factum est judicium, sed illorum, ad quos spectabat in Concilio illo, quod Generale non erat.

Ad XV. Ecclesiæ acceptatio subsequitur confirmationem Papæ, & nullum ei robur addit, sed potius ab ea accipit; quia tenetur acceptare illa, quæ Pontifex confirmavit, & acceptans, certa est, quod nunquam errabit, quia infallibilem sequitur authoritatem.

DISSERT. CCLXXXVII.

De Conciliis. An Concilia Generalia sint necessaria? An sint infallibilis authoritatis, ita ut ex iis peti possit argumentum theologicum? Et qui ad illa vocari possint, ac debeant?

Antequam ad Conclusiones deveniamus, enumerandæ, & explicandæ sunt caussæ, propter quas oporteat Concilia Generalia celebrare; Et quidem a Bellarmino reducuntur ad sex; quarum prima est hæresis nova, quæ a pluribus propugnatur, & potest veneno suo multos inficere Populos. Et ita fuerunt hæreses Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Monothelitarum, Iconomacorum, Lutheri, Calvini, & aliorum. Secunda est Schisma inter duos de Romano Pontificatu contendentes; & hæc fuit illa, propter quam habita sunt Concilia temporibus Cornelii, Damasi, Simmachi, Innocentii II. Alexandri III., Gregorii XII., Benedicti XIII. Tertia est bellum cum hoste commune totius Ecclesiæ; & hanc ob caussam convocata sunt Concilia ab Urbano II. Callixto II. Eugenio III., aliisque Pontificibus. Quarta est suspicio hæresis in persona privata Romani Pontificis, vel ejusdem tyrannidis incorrigibilis. Quinta est electio Romani Pontificis, quia si Cardinales non possent, vel non vellent Pontificem eligere, aut si omnes morerentur, aut si vere dubitaretur ad quos ejus electio spectaret, tunc

Ge-

Generale Concilium decernere deberet, vel eligere. Sexta denique caussa est reformatio generalis abusuum, & vitiorum, in Ecclesia introductorum.

Primo Lutherani, & Calvinistæ omnes, Conciliorum Generalium necessitatem denegant. Et quidem Lutherus in assertionibus omnium articulorum per Leonem X. damnatorum art. 29. hæc scribit: „ Via nobis facta est enervandi auctoritatem omnium Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quicquid verum videtur, sive probatum, sive reprobatum fuerit a quocunque Concillo. „ Et ad cap. 15. Act. Apost. „ Hoc ipsum Apostolorum Concilium, quanquam omnium est primum, & purissimum, tamen aliquid una immiscetur &c. Spiritus Sanctus non Conciliis, sed solum Christianorum, quos novit, cordibus se adesse velle promisit &c. Incerta sunt Concilia neque fidendum est illis. Nullum enim purum unquam fuit, quin fidei aliquid addiderit, vel detraxerit. „ Et libro de Conciliis loquens de Canonibus Concilii Nicæni: „ Hi omnes articuli fænum, stramen, ligna, stipulæ fuerunt, &c. De illis ligneis articulis reliquiæ manserunt, quasi aliqui titiones, nempe articulus de festo Paschatis &c. Hic prorsus non intelligo Spiritum Sanctum in hoc Concilio. Si illi pro idoneis non sunt reputandi in ministerio ecclesiastico, qui se ipsos castrant ad vitanda libidinum incendia. Et rursus illi etiam non sunt idonei, qui ad evincendos carnis stimulos, habent aut ducunt uxores, quo res tandem cadet? Etiam si omnium Synodorum decreta per infundibulum demitti in tuum corpus possent, tamen nondum esses Christianus, quia nimis parum conferunt. „

Secundo Calvinus lib 4. Institut. cap. 9. §. 8. „ Quoties Concilii alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, quo consilio, quales homines interfuerint: deinde illud ipsum, de quo agitur, ad Scripturæ admussim examinari; idque in eum modum, ut Concilii definitio pondus suum habeat, sitque instar præjudicii, neque tamen examen, quod diai, impediat. „

Tertio Antonius Corvinus ad Evangelium Dominicæ 4. post Pascha: „ Cum spiritus Sanctus in omnem ducat veritatem, & non in mendacium, perpendat Christianus quilibet an Patres, & Concilia, quorum statuta proponuntur Ecclesiæ loco Evangelii, Spiritum Sanctum habuerint. Si Dei spiritum habuissent, plane nihil conclusissent contra Verbum Dei. „ Ejusdem erroris fuit Sebastianus Francus, qui paradoxo 233. scripsit: „ Spiritus non patitur Concilia, & decreta hominum. „

Quarto Urbanus Regius 1. par. Operum de Ecclesia: „ Quod non unum, aut alterum, sed pene omnia Concilia perniciose lapsa sint, luce clarius est. „

Quinto Joannes Sommerus adversus Petrum Carolium lib. 2. cap. 3. „ Nos Symboli Nicæni auctoritate stare non possumus, quod præter verbum Dei ethnica somnia invexit. „

Dicimus I. Concilia sive Generalia, sive particularia, esse absolute Ecclesiæ necessaria; Generalia autem esse utilia, & necessaria etiam aliquo modo, licet non simpliciter in omnibus casibus.

Prima Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Num. 11. *Dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad Ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi, & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem; causam & causam lepram & non lepram, & judicium inter portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens, timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Math. 18. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consen-*

ferint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in Cœlis est. Ubi enim sunt duo, vel tres, congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Actor. 15. Surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. Conveneruntque Apostoli & Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos &c.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Julius I. apud Athanasium epist. ad Diaconum Faccillum, Narcissum &c. Si enim, ut scribitis, inconcussam habet auctoritatem qualibet Synodus, & contumeliose agitur cum Judice, cujus judicium ab aliis examinatur, considerate quæso, dilectissimi, quinam sint, qui Synodum improbant, & qui aliorum judicata rescindunt, ne singula excutiendo, certos homines gravem &c. Quinam igitur sunt, qui Synodum vituperant, & trecentorum Episcoporum calculos pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt, nisi Ariomanitæ ab omnibus ubique Episcopis condemnati & abdicati? Damasus epist. ad Stephanum, & ad Concilia Africæ: Synodum sine Apostolica Sedis auctoritate fieri posse, non est catholicum: nec Episcopus nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata definite damnari potest: neque ulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica authoritate. Cœlestinus epist. 7. ad Synodum Ephesinam: Spiritus Sancti testatur præsentiam congregatio Sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cujus ista sententia est: Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum convenit tanta turba Sanctorum: Sanctum namque est pro debita veneratione Concilium &c. Leo Magnus epist. 43. ad Martianum Augustum cap. 2. Obtestor & obsecro clementiam vestram, ut in præsenti Synodo fidem, quam Beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam, prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari: & quæ olim sunt Majorum auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari: illudque potius jubeatis, ut antiquæ Nicænæ Synodi constituta, remota Hæreticorum interpretatione, permaneant. Epist. 50. ad eundem: Compressa, vel remota inquietudine, ac pravitate paucorum, facile firmabitur probanda concordia, si in eam fidem, quam Evangelicis, & Apostolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres nostros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant, nulla penitus disputatione cujusquam retractationis admissa, ne per vanam fallacemque versutiam, aut infirma videantur, aut dubia, qui in ipso angulari lapide Christo fundata sunt, & sine fine mansura. Epist 78 ad Leonem Augustum cap. 3. De rebus & apud Nicænam, & apud Chalcedonam (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum; tanquam dubia, vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas. Epist. 71. ad Anatholium Episcopum: Super omnia autem fraterna charitate hortor & moneo, ut ea, quæ ad gloriam, vel ad munimen pertinent sacerdotalis officii, Nicænorum Canonum, universalis Ecclesiæ pacem servantia, decreta custodias. Gelasius epist. 11. ad Episcopos Dardaniæ: Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipsis Beatis Apostolis, & considerare prudenter, quoniam Patres nostri, Catholici videlicet, doctique Pontifices in unaquaque hæresi, quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro Communione Catholica, atque Apostolica, secundum scripturarum tramitem, prædicationemque Majorum, facta semel congregatione, sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps, firmumque constare; nec in eadem causa denuo, quæ præfixa fuerint, retractari qualibet recenti præsumptione permiserint, sapientissime prævidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabilire persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis, omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel Synodalium regularum, non cessant elisæ pestes, resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere; quod fieret, si subinde fas esset perfidis inire Concilium cum quamlibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat falsitas, tametsi ratione, vel auctoritate deficiens, sola tamen contentione non cedens? Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes, necessarie præcaverunt, ut quod contra unamquamque hæresim coacta semel Synodus pro fide, communione, & veritate Catholica, atque Apostolica promulgasset, non sinerent novis post hæc retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: sed auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt,

ut

ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci. Joannes II. epist. ad Liberium, Severinum, Sylverium, &c. *Tomum Papæ Leonis, omnesque epistolas, nec non quatuor Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Calcedonensem, sicut Romana hactenus suscepit & veneratur Ecclesia, sequimur, amplectimur, atque servamus. Hoc enim est nostræ fidei firmamentum; hæc fidei nostræ petra firmissima.* Gregorius Magnus lib. 1. epist. 24. ad Patriarchas, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Jerosolymitanum: *Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur. Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii, & Macedonii, error convincitur. Ephesinum etiam I., in quo Nestorii impietas judicatur. Chalcedonense vero, in quo Eutychetis, Dioscorique, pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his velut in quadrato lapide, Sancta fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ, atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur: scripta quoque Theodoriti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quos venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit, aut solvere quos ligant, aut religare, quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Agatho epist. ad Constant. Imp. Heraclium, & Tiberium AA. *Quomodò ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia, nisi quæ regulariter a Sanctis atque Apostolicis Prædecessoribus, & universalibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate a Patribus traditæ fidei conservamus, unum ac præcipuum bonum habere semper optantes, atque studentes, ut nihil de iis, quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur; sed eadem & verbis & sensibus illibata a nobis custodiantur?* Leo II. epist. ad Constantinum Augustum: *Per quæ revera probavimus hanc sanctam & laudabilem atque prædicabilem VI. Synodum, per misericordiam Dei, qui Christianæ fidei veritatem suis fidelibus reserat, Apostolicam prædicationem inoffenso pede fuisse secutam, sanctorumque & universalium quinque Conciliorum definitionibus in omnibus consentientem, & horum regulas complectentem, nihil supra statuta orthodoxæ fidei augentem, aut minuentem; sed regiam & Evangelicam semitam rectissime gradientem, & in his, atque per eos sacrorum dogmatum lima, & probabilium Ecclesiæ Patrum doctrina servata est, & regulari lima ad omnium ædificationem prolata &c. Sicut suscepimus, & firmiter prædicamus, Sancta quinque Universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum I., Chalcedonense, & Constantinopolitanum, quæ & omnis Christi Ecclesia & approbat & sequitur: ita quoque in Regia Urbe pio vestræ Serenitatis admissu celebratum est Sanctum VI. Concilium, &c.* Leo IX. epist. ad Petrum Episcopum: *Quatuor Concilia omnimodè recipio, & velut quatuor Evangelia veneror, quia per quatuor partes mundi universalis Ecclesia, in his, tanquam in quadro lapide fundata consistit. Primum Nicænum, secundum Constantinopolitanum, tertium Ephesinum, quartum Chalcedonense. Pari modo recipio & veneror reliqua tria Concilia, idest secundum Constantinopolitanum, tertium Constantinopolitanum, ultimum secundum Nicænum. Quicquid supradicta septem sancta & universalia senserunt, & collaudaverunt, sentio, & collaudo; & quoscunque anathematizaverunt, anathematizo.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. can. 5. *Visum est per singulos annos in singulis quibusque Provinciis bis in anno Episcoporum Concilia fieri, ut simul in unum convenientes ex communi Provincia, hujusmodi examinent quæstiones, ut ita demum hi, qui ob culpas suas Episcoporum suorum offensam merito contraxerunt, digne etiam a cæteris excommunicati similiter habeantur: quousque in communi, vel ipsi Episcopo suo visum fuerit, humaniorem circa eos ferre sententiam. Fiant autem Concilia semel quidem ante dies Quadragesimæ, ut omnibus, si quæ sunt, simultatibus amputatis, mundum & solemne Deo munus possit afferri: Secundum vero agatur circa tempus Autumni.* Concilium Generale VIII. can. 1. *Regulas, quæ sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ tam a sanctissimis Apostolis, quam ab Orthodoxorum universalibus, nec non & localibus Conci-*

liis sunt tradita, servare & custodire profitemur &c. Concilium Trullense can. 1. *Præterea statuimus servandam fidem trecentorum decem et octo Sanctorum Patrum divinitus inspiratorum, qui Nicææ convenerunt sub Constantino adversus Arium &c. Similiter & eam, quæ sub Theodosio a centum quinquaginta Sanctis Patribus in hac Urbe prædicata est, confirmamus. Jam vero & quæ in Ephesiorum civitate a ducentis divinis Patribus sub Theodosio Arcadii filio, exposita sunt, doctrinas tanquam infractum pietatis robur obsignamus &c. Quin etiam eam, quæ Chalcedone a sexcentum triginta descripta est Patribus, fidem orthodoxe confirmamus. Sed & centum sexaginta quinque divinorum Patrum, in hac Civitate congregatorum Imperatore Justiniano pias voces, & a Spiritu editas cognoscimus, Porro sexta quoque Synodi, quæ in hac Civitate imperiali Constantino imperante congregata fuerat, fidem nos servare profitemur.* Concilium Carthaginense III. cap. 2. *Similiter placuit, ut propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt singulis quibusque annis Concilium convocetur, ad quod omnes Provinciæ, quæ primas sedes habent de Conciliis suis ternos Legatos mittant, ut & minus invidiosi, minusque hostibus sumptuosi Conventus plena possit esse auctoritas.* Concilium Toletanum III. in confessione fidei: *Qui Concilia omnium Orthodoxorum Episcoporum consona Conciliis Nicæno, Constantinopolitano I., Ephesino, & Chalcedonensi, non recipit, anathema sit.* Et cap. 1. *At nunc pace Ecclesiæ Christi misericordia reparata, omne, quod priscorum Canonum auctoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibitum, & agatur omne, quod præcepit fieri. Permaneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul et Synodicæ Sanctorum Præsulum Romanorum epistolæ. Nullus deinceps ad promerendos honores Ecclesiasticos contra Canonum statuta aspiret indignus. Nihil ex hoc fiat, quod Sancti Patres, Spiritu Dei pleni, sanxerunt debere non fieri.* Concilium Lateranense I. consultat. 5. *Quæ sanctæ & universales quinque Synodi tradiderunt intransgressibiliter retinemus, definitiones earum servamus, decreta earum integra confitemur: ita definimus, quomodo illæ proprios sermones promulgaverunt. Qui easdem sanctas Synodos & Venerabiles Patres minime suscipit, condemnatus est: qui omnia ab iis prædicata & definita minime suscipit, & specialiter confitetur, condemnatus est.* Concilium Toletanum VIII. cap. 11. *Decreta præcedentium Patrum, ad contentionis jurgium radicitus evellendum, rite Synodalem fieri consuere conventum, ut illic de diversitate judiciorum præterita lites habeant terminum, ubi Sanctus Spiritus universalem coadunaverit Cœtum. Ab hoc ergo Spiritu Sancto succensi, ne qualibet imposterum aut impune valeant committi, aut generalia statuta convelli, plena decernimus unanimitate connexi, ut quæcumque pro fidei causis, ecclesiasticisque negotiis, aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, aut in futuris etiam decretis, vel sint, vel fuerint definitiones conscriptæ universali auctoritate, nullus deinceps contradicere audeat, nullus evertere præsumat, nullus non implere contendat. Nam si quis ex religione contra hæc inobediens aut susurrans, aut certe lacerator, aut invidus ac non potius eorundem fautor extiterit, gratiæ, & honoris sui, & communionis sacræ lugeat amissione mulctatus. Cum vero aut qualibet Sancta Synodus agitur, aut pacifice inter Pontifices quippiam definitur, si pauciores per nescientiam, vel contentionem forte dissentiant, aut commoniti plurimorum sententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confusionis abscedant, aut excommunicationis annua sententiam luant.* Concilium Cabilonense I. cap. 1. *Omnes una conspiratione & commivente animo definimus, ut fidei norma, sicut in Nicæno Concilio pia est professione firmata, vel a Sanctis Patribus tradita, atque ab ipsis exposita, vel postmodum etiam a Sancto Chalcedonense Concilio firmata, in omnibus, & ab omnibus conservetur.*

IV. Probatur ex Patribus. Nazianzenus orat. 21. quæ est in laudem Athanasii. *Atque idcirco primum in Sancto Concilio Nicææ habito, atque illo trecentorum, atque duodeviginti lectissimorum virorum numero, quos Spiritus Sanctus in unum coegerat, quantum in ipso fuit morbum compressit.* Cyrillus Alexandrinus epist. ad Anastasium Alexandrum, &c. *Apostolorum vestigia sequi statuerunt celeberrimi Patres, qui venerabile & universale fidei decreverunt Symbolum in Nicæa olim congregati. Quibus sane & ipse Christus adsedit, qui dixit: Ubi fuerint duo, vel tres, congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Nam quod præsederit invisibiliter sanctæ & magnæ illi Synodo quomodo ambigeretur? Basis enim quædam & fundamentum immotum & inconcussum per universum Orbem jactum est, sinceræ irreprehensibilisque fidei confessio. Ad hæc quo pacto ab fuisset Christus, quandoquidem ipse est juxta sapientissimi Pauli vocem,*

fun-

fundamentum? Ea propter expositam ab illis & determinatam fidem servarunt inculpati etiam hi, qui eos sequti sunt, sancti Patres. Ambrosius lib. 10. epist. 78. *Quoniam propriis texuisti literis posse typum reperiri aliquem, quo possit auferri fratrum discordia, cum sancta Synodus Capuensis cognitionis jus unanimitati tuæ, cæterisque ex Ægypto Consacerdotibus nostris commiserit, iterum oportet fratrem nostrum Flavianum convenias, ut si in eo perseveraverit, quo veniendum non putet, salvis non solum Concilii Nicæni, sed etiam Synodi Capuensis statutis, illibata pace universorum ita consulas, ut non videamur destruere quod ædificatum est.* Et epist. 83. *Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis, & scriptura divina nos instruit, & traditio majorum, qui convenientes ad Synodum Nicænam, inter illa fidei ut vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, & quasi quendam constituere circulum, ex quo exemplum in reliquos annos gigneretur.* Hieronymus lib. 2 adversus Ruffinum cap. 6. *Ergo beati Episcopi Anastasius, & Theophilus, & Venereus, & Chromatius, & omnis tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum Synodus, qui pari sententia, quia pari & Spiritu illum hæreticum denuntiant populis, fures librorum illius judicandi sunt, & quando in Ecclesiis prædicant, non Scripturarum mysteria, sed Origenis furta commemorant.* Et epist. 57. ad Damasum. *Hunc proh dolor post Nicænam fidem, post Alexandrinum, juncto pariter Occidente, decretum, trium Hipostaseon ab Arianorum Præsule, & Campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur. Qui quæso ista Apostoli prodidere? Quis novus magister Gentium Paulus hæc docuit?* Augustinus epist. 118. ad Januarium cap. 1. *Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri.* Lib. 1. contra Donatistas cap. 7. *Quæstionis hujus obscuritas (de non rebaptizandis hæreticis) prioribus Ecclesiæ temporibus, ante schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos Patres, Episcopos ita inter se compulit, salva pace, disceptare, atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Et lib. 2. cap. 3. *Ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo Orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat sine ullo typo sacrilegæ superbiæ, sine ulla contentione invidia, cum sancta humilitate, cum charitate christiana.* Fulgentius de Gratia & Incarnat. Jesu Christi cap. 5. *Accipimus & quatuor Concilia secundum hunc expositionis nostræ sensum, Nicænum trecentorum & octo Episcoporum; Constantinopolitanum centum & quinquaginta, qui damnaverunt impios Pneumatomachos; nec non etiam Ephesinum I., cui præfuerunt Beatissimi Cœlestinus & Romanus, & Cyrillus Alexandrinus Antistes, & sanctum ac venerabile, quod apud Chalcedonam celebratum est.*

V. Probatur ex Imperialibus Legibus, earumque Authoribus, ac Promulgatoribus. Io L. 1. C. de Episcopis & clericis in codice Theodosio: *Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis Ecclesiasticis est, ut si quæ sunt ex quibusdam dissentionibus, levibusque delictis, ad religionis observantiam pertinentia, locis & a sua Diœceseos Synodis audiantur.* Honorius & Thedosius L. 2. sub eodem codice, & titulo: *Ea, quæ circa Catholicam fidem, vel ordinavit antiquitas, vel Parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, novella superstitione remota, integra & inviolata custodiri præcipimus.* Theodosius & Valentianus epist. ad Cyrillum: *Jam inde a primis usque temporibus, non imperantis cujuspiam, aut certe imperium usurpantis interminationes, aut protervia, sed Sanctorum Patrum, Sacrarumque Synodorum decreta eam nobis constituerunt doctrinam.* Et alia epistola ad eumdem: *De indicta Sanctissima Synodo Ephesina nostra Serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos litteras scripsit, quo nimirum hac tandem ratione turbæ, quæ ex multis dissidiis, & concertationibus hinc inde exstitæ sunt, rite secundum Ecclesiasticos Canones consopiantur: & illa præterea, quæ parum decenter hactenus admissa sunt, corrigantur: & pietatis denique, quæ in Deum est, publicæque utilitatis firmitati consulatur. Cæterum ante sanctissimam coactam Synodum, communemque ejusdem, quæ de omnibus dabitur, sententiam, nihil quicquam in ulla prorsus re a quoquam innovetur.* Basilius Imperator orat. ad VIII. Synodum, cum jam esset ad finem perducta: *Expresse di-*

cimus,

cimus, quisquis habet aliquid adversus hanc sanctam & universalem Synodum dicendum, aut contra hujus Canones, aut terminum stet in medio, & quę sibi videntur edicat, sive Episcopus sit, sive quisquam de Ecclesiastico clero, sive laicus, aut ex iis, qui civilibus officiis mancipantur, existat. Quanquam non sit datum istis secundum Canonem dicendi quicquam penitus de Ecclesiasticis causis (opus enim hoc Pontificum & Sacerdotum est) sed ex abundanti omne os iniquum obstruere volentes, licentiam pręstamus omnibus, ut qui mente habet quid ambiguum de iis, quę decreta sunt ab hac Sancta Synodo, hoc in medium exhibeat, & suscipiat satisfactionis salubre remedium. Qui ergo habet aliquid dicendum, dum hęc celebratur, dicat. Nam soluta sancta & universali Synodo, qui apparuerit Ecclesię Dei contradicens, aut non communicans ei, sive Episcopus sit sive absolute Sacerdos, sive dignitate aliqua prędiтus, vel aliter conversatus veniam ab Imperio nostro minime consequatur, sed juste condemnabitur, & a Civitate nostra pelletur, ut corruptor, & pestilens, & membrum putridum & inutile, & commune Corpus Ecclesię violans &c. De vobis autem Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesię, & universali Synodo adversari. Hęc enim investigare, & quęrere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum, est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui solvendi & ligandi potestatem habent. Carolus Magnus præfat. in lib. 1. legum: *Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, o Pastores Ecclesiarum Christi, ut vigili cura, & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere Studeatis, & errantes oves bonorum exemplo operum, seu adhortatione humeris intra Ecclesiasticæ firmitatis muros oportere satagetis; ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones universalium Conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magna devotionis studio admonendi sunt, ut firma fide, & infatigabili perseverantia intra paternas sanctiones se contineant.* Ludovicus & Lotharius Impp. ad Ecclesias de Moguntino, Parisiensi, Lugdonensi, & Tholosano, Conciliis celebrandis: *Statuimus atque decrevimus cum consulto Sacerdotum, cæterorumque fidelium nostrorum, hujus rei gratia, ob placandam scilicet contra vos, nobisque subjectos, Domini furorem, conventus eorundem Episcoporum in quatuor Imperii nostri locis congruentissime fieri: Primo in Moguntinensi Urbe, secundo in Parisiorum urbe, tertio apud Lugdunum, quarto apud Tholosanam Urbem. In quibus conventibus tractare, quærere, & cum adjutorio Dei invenire debent de causis ad Religionem Christianam & eorum curam pertinentibus, quid a Principibus, & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte, vel ex toto dimissum sit, ut non teneatur &c. Et quidquid de ipsis causis inventum fuerit, tam solerti cura custodiatur, ut nullatenus ad aliorum notitiam pervenire permittant ante tempus constitutum.*

VI. Probatur rationibus I. Quando malum dicitur necessarium, necessarium quoque debet esse remedium; sed hæreses, & scandala dicuntur necessaria: ergo necessaria quoque debent esse Concilia, quæ pro iisdem sunt remedia. Minor patet Matth. 18, ubi Christus Dominus dicit: *Necesse est, ut veniant scandala*, & 1. ad Corinth. 11. *Oportet, & hæreses esse*. II. Necessarium remedium dici debet, quod semper fuit in usu positum ad malum aliquod curandum, vel quoque medendum; sed Concilia sive Generalia sive particularia fuerunt semper in Ecclesia, ut malum hæresis, & pravorum morum sanaretur: ergo Concilia, sive Generalia, sive particularia sunt absolute necessaria in Ecclesia; Unde S. Cyprianus ad Stephanum Papam scribebat: *Necesse habuimus, convenientibus in unum plurimis Sacerdotibus, cogere, & celebrare Concilium.* III. Etsi aliquando non urgeat necessitas Concilii pro aliquo falso dogmate damnando, potest tamen dari casus alius, vel alius, in quibus urgeat: ergo in illis casibus necessarium est Concilium. Antecendes in doctrina, & praxi S. Augustini, qui contra Pelagianos in voto fuit necessarium non esse Concilium, ut ipsorum error de impietate convinceretur; unde scribebat lib. 4. ad Bonifacium cap. 12. *Cum potius rarissimæ inveniantur* (intelligit hæreses) *propter quas damnandas, necessitas talis* (intelligit Generale Concilium) *extiterit*. Attamen lib. 2. de baptismo cap. 4. docet fuisse necessarium Generale Concilium, ut quæstio de hæreticorum baptismate dirimaretur; & in fine concludit, potuisse Episcopos in utramque partem disceptare salva pace Ecclesiæ Catholicæ, donec *plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur.*

retur. IV. Quando irrepunt in Ecclesia errorea, & graves, & multi, tunc ad remedium deveniri debet, quo possimus erroribus hujusmodi occurrere, & pro conditione locorum, & pro qualitate personarum; sed hoc remedium esse nequid aliud, quam Generale Concilium, quod hucusque Ecclesiæ praxis demonstravit: ergo in hoc rerum statu Generalis Concilii necessitas deneganda non est. V. Ideo Augustinus contra Pelagianos dicebat necessarium non esse Generale Concilium, quia Pelagiani erant, & numero pauci, & conditione parvi. Ex adverso autem necessarium esse asserebat contra rebaptizantes, quia isti erant, & numero multi, & qualitate graves, quemadmodum etiam erant Ariani, inter quos plures Episcopi numerabantur: ergo si similis etiam obveniret hæresis, vel secta, ad eam confringendam necessarium quoque esset Generale Concilium. Antecedens patet ex verbis Augustini lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. *Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati, magnos viros, & magna charitate præditos patres, Episcopos ita inter se compulit, salva pace, disceptare, & fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta mutaverint*. VI. Necessarium dici debet, quod in similibus factis homines graves, maturi, doctrina & sanctitate præditi ad malum aliquod avertendum obstaculum adhibuerunt: sed hæresibus & scandalis Generalium Conciliorum obstaculum adhibuerunt Patres in Ecclesia graves, & maturi doctrina & sanctitate prædití: ergo &c. Minor constat ex verbis Pauli III. Romani Pontificis in Concilii Tridentini Indictione: *Deinde animo repetentes, majores nostros sapientia admirabili, & sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ Reipublicæ periculis, remedium optimum, atque opportunissimum, Oecumenica Concilia, & Episcoporum generales conventus adhibuisse, ipsi quoque animum ad Generale habendum Concilium, adjecimus*.

Secunda Conclusionis pars probatur I. quia per tria priora secula nulla fuerunt Concilia Generalia, licet plura celebrata sint particularia: ergo in multis casibus Generalia Concilia non sunt necessaria sed particularia sufficiunt: ergo non sunt simpliciter necessaria. II. Ex enumeratis caussis, propter quas celebrari debent Concilia, nulla est, quæ Generalia Concilia celebrare cogat, ut late probat Cardinalis Bellarminus: ergo ipsorum celebratio non est simpliciter necessaria in Ecclesia. III. Antiquitus antequam per Constantinum Magnum pax Ecclesiæ redderetur, tuto non poterant Episcopi convenire ut Concilia celebrarent; & ideo ante præfati Imperatoris tempus, nullum legitur coactum Concilium, quod vero Generale dici potuerit; & nihilominus per illa tempora Ecclesia permansit in fide firma, ac stabilis, ac semper propagari non destitit, quia per particularia Concilia, quod per Generale assequi non poterat, assequebatur: ergo quemadmodum aliqua Concilia sunt in Ecclesia absolute necessaria, ita & Generalia simpliciter necessaria non sunt. IV. In Ecclesiæ incunabulis extincti sunt errores Simonis Magi, Menandri, Ebionis, Cerinthi, Nicolaitarum Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marci, Tatiani &c., qui omnes emerserunt seculo Ecclesiæ primo, & absque ullo Concilio ipsorum hæreses extinctæ sunt. Seculo deinde secundo Montanistarum hæresim particularia Concilia damnarunt, quanvis nullum Generale adhibitum fuerit; sed hoc non ob aliud, quam quia errores hæresiarcharum primi seculi non deturpabant Ecclesias plures, & insignes, nec homines in iisdem versabantur doctrina, & sanctitate excellentes, quemadmodum in aliis hæresibus accedit, quæ secundo seculo, & sequentibus in Ecclesiam irrepserunt: ergo dicendum omnino est, quod, & sine Conciliis Generalibus stare possit Ecclesia, & quod particularia sint necessaria quando graves hæreses in insignibus Ecclesiis serpunt, & conspicui homines illarum contagio laborant.

Dicimus II. Concilia Generalia, accedente Summi Pontificis confirmatione, esse infallibilis authoritatis, ita ut in illis sit locus, ex quo peti possit, & debeat argumentum theologicum.

I. Probatur ex Scripturis Matthæi 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Quæ verba Patres communiter intelligunt de congregationibus Episcoporum, quæ in Synodis Generalibus fiunt. In eodem loco idem Christus Dominus dixit: *Amen dico vobis: Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta, & in cælo*. Postquæ

quæ addidit : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Deinde verba, quæ diximus supra : *Ubi sunt duo, vel tres &c.* Quibus verbis clare patet, Christum nomine Ecclesiæ intellexisse Congregationes potissimum Episcoporum, quæ ad tractandas res fidei fiunt. Quibus qui non acquiescit uti Ethnicus, & Publicanus habendus est. Insuper in Conciliis Episcoporum dictum legimus Actor. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Si igitur Spiritui Sancto visum dicitur, quod visum dicitur Patribus Concilia simul cum Pontifice celebrantibus, debemus omnino dicere, quod Concilia ipsa spiritum veritatis habeant, ac proinde sint infallibilis authoritatis. Denique Matthæi 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matthæi ultimo : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* 1. ad Timoth. 3. *Ecclesia Dei vivi est columna, & firmamentum veritatis.* Per quæ verba significatur, quod omnis infallibilitas, quæ in rebus fidei, & morum definiendis Petro a Deo communicatur, transfertur in Ecclesiam, præcipue quando est in Conciliis Congregata, a Pontifice convocata, & in iis idem Pontifex residet, eorumdemque decreta ipse quoque confirmat.

II. Probatur ex Pontificibus Romanis. Leo Magnus epist. 50. ad Martianum Imperatorem, ut afferit Bellarminus, petit, ut semel definita in Conciliis Generalibus non retractentur; id, quod lege sua sanxit idem Martianus l. nemo C. de sum. Trinit. & fide Cathol. Idem docet idem Leo epist. 61 ad Concilium Chalcedonense, & epist. 62. ad Maximum Antiochenum. Item Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ. Cœlestinus epist. ad Patres Concilii Ephesini : *Non potest veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est : Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quanto magis eum interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba Sanctorum.* S. Leo epist. 93. alias 63. ad Theodoretum cap. 1. *Quæ Dominus nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu.* Epist. ad Leonem Augustum 115. alias 73. *Nulla permittis retractatione pulsari; quia in illo Concilio per Spiritum Sanctum congregatum, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt, ut nihil ei regulæ, quæ ex divina inspiratione prolata est, addi possit aut minui.* Vigilius Epistola ad Episcopos Galliarum : *Necesse est quoties in nomine Domini ejus famuli ad tractanda ea, quæ sunt ipsi placita colliguntur, S. Spiritus non deesse præsentiam.* Gregorius Magnus epist. 25. *Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor .... quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Martinus V. in fine Concilii Constantiensis præcipit ut interrogentur illi, qui in hæresis suspicionem venerint : an credant Concilium Generale universam Ecclesiam repræsentare? Atqui, ut dictum est, Ecclesia universalis errare non potest in rebus fidei, & morum definiendis : ergo &c.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Ephesinum circa finem, & Chalcedonense act. 5. can. ultimo, statuerunt dogmata in uno Concilio definita nec posse nec deberi iterum ad trutinam vocari. Idem Concilium Chalcedonense in epist. ad Leonem, quæ est post finem tertiæ actionis afferit, quod si Deus est in medio paucorum; hoc est, duorum, vel trium in rebus parvi ponderis, & momenti, multo magis est in medio multorum in rebus magnis, multis, & publicis; hoc est in medio multorum Episcoporum in Conciliis Generalibus adunatorum. Concilium Generale VI. act. 17. eodem argumento utitur. Idem pariter argumentum adhibet Concilium Tholetanum III. non procul ab initio. Concilium Senonense anno 1525. coactum decreto 3. habet : *Proinde cum certa sit, & infallibilis Ecclesiæ regula, nec aliquando visibilitatis prætextu tandem eludi queat : ea profecto Sacris Generalibus Conciliis auctoritas denegari non potest, quæ proxime universalem repræsentant Ecclesiam.*

IV. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. de jejuniis cap. 13. *Aguntur præterea per Grecias illa certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ, & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* Athanasius epist. ad Episcopos Africanos : *Verbum Domini per Oecumenicam Nicææ Synodum manet in æternum.* Gregorius Nazianzenus epist. 1. ad Celidonium, denegantibus Apollinaristis se Hæreticos declaratos fuisse, & dicentibus

bus in quodam Concilio Catholico se fuisse receptos, scribebat: *Ostendant hoc, & nos acquiescemus, perspicuum enim erit, eos recta doctrina assentiri, nec enim se aliter res habere potest, si id consequuti sunt.* Ambrosius epist. 31. *Sequor Tractatum Nicæni Concilii, a quo me, nec mors, nec gladius poterit separare.* Hieronymus dial. contra Luciferianos, loquens de Athanasio, Hilario, aliisque sanctis Confessoribus: *Quomodo poterant adversum Synodum Nicænam facere, propter quam exilia sustinuerunt?* Augustinus lib. de Baptismo cap. 7. *Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos Patres Episcopos inter se compulit, salva pace disceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta mutaverint, donec plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Eusebius Cæsariensis lib. 5. histor. Ecclesiast. cap. 22. *Concilia, & conventus Episcoporum in unum cogebantur, & omnes una sententia decretum Ecclesiasticum, nempe ut non alio die aliquando quam Dominico mysterium Domini resurrectionis a mortuis celebraretur, & ut in hoc solo jejuniorum, quæ circiter Pascha fieri solent, finem faceremus, per literas ad omnes Ecclesias scriptas ratum faciebant. Decretum autem Episcoporum, qui tum erant in Palæstina convocati, usque ad hanc ætatem scriptis custoditum est: in quorum Synodo Theophilus Cæsariensis Episcopus, & Narcissus Jerosolymorum Episcopus, præsides fuerunt &c. Atque istorum omnium una hæc, quam docuimus, consentiens erat decisio.* Cyrillus Alexandrinus Dial. 1. cum Hermia: *Age igitur allatis in medium his, quæ accurate & exquisite in Sancta & celeberrima Synodo, quæ olim in Nicæa Civitate congregata fuit definita sunt, consideremus quid reprehensibile sit in iis, qui diversa asserunt. Nam si quis fidem illam a sancta & magna Synodo optime, & divino afflato definitam ac expositam dicere voluerit basim animarum nostrarum, fundamentumque inconcussum, & munitum, is utique probatissime loquitur, & ab ipso Christo laudem habiturus est, fidelis quoque, & verus adorator relucebit.*

V. Probatur rationibus. I. Omnes, qui a Conciliis Generalibus a Summis Pontificibus confirmatis damnati sunt, ab universa Ecclesia habiti sunt ut Hæretici: ergo universa Ecclesia cognovit prædictorum Conciliorum authoritatem & infallibilitatem. II. Concilia ipsa obedientiam decretis suis debitam exigebant, & obtinebant: ergo & Concilia & Fideles authoritatem, quam habebant & dicto agnoscebant, & facto profitebantur. III. Concilia ipsa, quæ faciebant decreta, Spiritui Sancto tribuebant; sed hic est Spiritus veritatis: ergo decreta ipsa infallibilis pariter erant authoritatis. IV. Homines graves, docti, & pii multas passi sunt ærumnas, carceres etiam & exilia, potius quam Conciliorum hujusmodi decretis resisterent, ac contradicerent: ergo & hoc est maximum ipsorum veritatis signum. V. Quæ in uno Concilio Generali damnata primitus fuerant, prorsus nolebant Romani Pontifices & Episcopi in alio Concilio iterum pertractari: ergo cognoscebant judicium illius fuisse infallibile & irreformabile. VI. Quia si Concilia Generalia non essent divinæ authoritatis, etiam post summorum Pontificum confirmationem, nullam haberemus de præcipuis fidei dogmatibus certitudinem; adeoque semper anxii & fluctuantes in rebus fidei & Religionis essemus; quod non est dicendum.

Dicimus III. Episcopos habere jus ferendi suffragium decisivum in Conciliis, & quidem jure divino.

I. Probatur, quia Episcopi eo ipso, quo ad Generale Concilium advocantur, jam in totā Ecclesiam jurisditionem habent: ergo habent pariter jus decernendi in rebus, quæ ad totam Ecclesiam spectant. II. Episcopi jure divino sunt Pastores & Doctores Ecclesiæ Christi: ergo pariter jure divino sunt judices si in Generali Concilio congregentur ad res fidei judicandas, quas totam Ecclesiam docere debent, & quibus illam pascere tenentur verbo simul & exemplo. Antecedens patet Actor. 20. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* III. Quia hæc praxis fuit in omnibus Conciliis tam Generalibus, quam Provincialibus, ut Episcopi tanquam Judices assisterent, judicarent, ac definirent. IV. Patet ex Episcoporum omnium, qui Conciliis interfuerunt, subscriptionibus; sic enim unusquisque se subscribit: *Ego N. Episcopus N. definiens, subscripsi*; hoc autem nec de Abbatibus, nec de Presbyteris, nec de quibuscumque aliis, qui Episcopi non essent, legitur.

Arguunt I. Qui Concilia componunt, homines sunt; sed Christus præcipit Joan.

5. *Ego non ab homine testimonium accipio*; & Matth. 23. *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester Christus*: ergo non ab hominibus explicanda & definienda sunt credenda, sed a Spiritu, qui loquitur in nobis. II. Christus mittit nos non ad Concilia, sed ad Scripturas, ut credenda recipiamus: argo necessaria non sunt Concilia. Probatur antecedens. Joannis 5. dicitur. *Scrutamini scripturas ... illa sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Et Act. 17. De Beroensibus testatur S. Lucas: *Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent*. III. Concilia docere non possunt, nisi quæ in Scripturis continentur: ergo Concilia non faciunt fidei articulum, sed supponunt: ergo sufficiunt scripturæ: ergo Concilia non sunt necessaria. IV. Concilia nullum habent robur, nisi illud a Pontificis confirmationa accipiant: ergo solus Pontifex sufficit ad fidei definitiones dandas: ergo Concilia sunt superflua. V. Spiritus Sanctus sufficienter docet nos quæ credere, & quæ operari debeamus: ergo Concilia non sunt necessaria. Probatur antecedens ex illo Joannis 2. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus docet vos de omnibus*. VI. Episcopi, qui ad Concilia congregantur, sunt Pastoras; sed Pastores ex scriptura aliquando errant: ergo Episcopi etiam aliquando in Conciliis errant; ergo etiam Concilia errare possunt. Probatur minor. In veteri Testamento omnes Pastores errarunt; ut dicitur Isaiæ 56. *Speculatores ejus Cæci omnes, neque quicquam noverunt: Omnes Canes ejus muti, nec valent latrare*. Et Jeremiæ 6. *A Propheta usque ad Sacerdotem quisquis sectatur mendacium*. VII. Nazianzenus in epist. ad Procopium testatur se nullius Concilii vidisse exitum felicem. Augustinus insuper lib. 3. contra Maximinum cap. 14. dicit, quod sicut ipse non laudat Concilium Nicænum contra Maximinum, ita nec Maximinus laudare debet Concilium Ariminensa contra ipsum: & lib. 2. de Baptism. cap. 3. docet Concilia plenaria priora a posterioribus emendari. VIII. Plura Concilia Generalia errarunt: ergo non fuerunt infallibilis authoritatis. Probatur antecedens. Erravit Concilium Ephesinum II., cui præfuit Diosphorus, approbando Eutychetis errorem; erravit Concilium Ariminense, negando, & abradendo *Consubstantialis* vocem; erravit Concilium Generale VI. damnando Epistolas Honorii Pontificis, & illi dicendo anathema; erravit Concilium Francofordiense, damnando decretum de Imaginibus colendis, quod fecerat Concilium Generale VII. IX. Tertullianus lib. de velandis Virginibus scribit: *Regula fidei est sola totaliter una, immobilis, & reformationis incapax*; sed hic loquitur Tertullianus de scriptura: ergo sola scriptura est infallibilis, non autem Concilia. X. Etiam Concilia Provincialia, si accedat Summi Pontificis confirmatio, sunt infallibilis authoritatis: ergo hæc prærogativa non convenit solis Conciliis Generalibus. XI. Concilia componuntur ab hominibus; sed omnes homines mentiri possunt, quia ex Propheta: *Omnis homo mendax*: ergo pariter Concilia mentiri possunt, & errare. XII. Aliquando Presbyteri jus decisivum habuerunt in Conciliis: ergo non soli Episcopi in illis jus decisivum habent. Probatur antecedens. Abbates, & Generales Ordinum habuerunt jus decisivum, & tamen Presbyteri erant, & non Episcopi: ergo &c.

Respondamus ad I. quod Christus illis iisdem Apostolis, quibus dixit verba in objectione allata, dixit etiam hæc alia, quæ referuntur Act. 1. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Et nihilominus Apostoli etiam homines erant: argo Christus hominum testimonio usus est. Verba autem illa in objectione posita, intelligenda sunt de hominibus impiis, & infidelibus, qui Scripturas vel profanabant, vel adulterabant, vel negabant; non vero de hominibus, qui Scripturas venerantur & interpretantur juxta Spiritus Sancti sententiam, quam ipsamet Christus promisit iis, qui in nomine suo congregantur, & qui propterea loquuntur, prout Spiritus Sanctus dat eloqui illis.

Ad II. Christus mittit homines ad Scripturas, ut eas sequantur juxta sensum legitimum & rectum, quem de illis docet Ecclesia, vel in suo Capite residans, vel in Conciliis congregata, & a suo Capite confirmata, conceditur; juxta sensum, quem quilibet illis dat plerumque juxta proprium libitum, & commotam animi passionem, negatur. Adeoque Christus mittendo nos ad Scripturas mittit etiam ad Concilia.

Ad

Ad III. Quæ in Scripturis continentur implicite, Concilia explicite explicat, definit, ac credenda proponit; & hoc ut confundat Hæreticorum proterviam, qui Scripturas sinistro sensu interpretantur, & iisdem ad defendendos errores suos abutuntur. Et hoc quidem necessarium est admodum, ut errores tollantur, & veritates credendæ modo quidem legitimo ac tutiori fidelibus proponantur.

Ad IV. Nomine Conciliorum non intelligimus solos Episcopos, qui illa componunt, sed intelligimus etiam Summum Pontificem, qui pariter illa componit cum cæteris Episcopis, & quibus deinde solus ipse præest, sicuti solus ipse eadem convocavit, & solus ipse confirmat. Unde si Adversarii Conciliorum nomine præcipue Generalium accipere volunt solos Episcopos, sine Summo Pontifice vel convocante, vel præsidente, vel confirmante, non intelligunt profecto Concilia, sed potius Conciliabola.

Ad V. non sufficit sola Spiritus Sancti doctrina interna sine doctrina Ecclesiæ externa, quæ explicat, & proponit nobis quæcunque Spiritus Sanctus suggerit. Unde Augustinus tract. 3. in Joannem docet: *Videte Fratres magnum Sacramentum, sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ, si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster .... cathedram in Cœlo habet qui corda docet. Propterea ait & ipse in Evangelio: Nolite vobis dicere magistrum in terra, unus est magister vester Christus.*

Ad VI. Vel dicitur quod aliquando Scriptura nomine omnium intelligit multos, vel etiam aliquos, & propter hos arguit omnes, ut docet Augustinus lib. de unitate Ecclesiæ cap. 12., vel respondetur, quod omnes quidem Episcopi errare possunt distributive quidem non collective; hoc est unusquisque sed non omnes simul, uti sunt in Conciliis Generalibus congregati.

Ad VII. Nazianzenus loquebatur vel de Conciliis, quæ coacta erant sub Constantino Imperatore Ariano, vel de Conciliis particularibus, non vero de Generalibus, de quibus loquimur nos. Augustinus autem arguebat secundum Maximini suppositionem dicentis, Nicænum non fuisse legitimum, fuisse tamen Ariminense. Insuper sub nomine Plenarii non intelligebat Augustinus Concilium Generale, sed Nationale, ut etiam vocavit Concilium Arelatense, quod Generale non fuit; & correctionem accipiebat non pro rebus ad fidem & mores, sed ad disciplinam tantum spectantibus.

Ad VIII. Non fuit Concilium legitimum Ephesinum II., sed fuit Conciliabolum, quia illi Dioscorus præfuit absque Romani Pontificis intelligentia, immo contra illius voluntatem; quia Constantius Arianus Imperator Dioscorum Concilio præfecerat, ob Chrysaphii astutiam, & Dioscorus omnia in odium Flaviani, Constantinopolitani Antistitis, perturbabat. Concilium Ariminense non fuit Generale, sed particulare, & quanvis a principio legitimum fuisset, quia liberum erat, tractu temporis tamen illegitimum evasit, & Conciliabolum factum est, ob Constantii Imperatoris Ariani tyrannidem ac terrorem. Acta Concilii Generalis VII., quod fuit Constantinopolitanum III. fuerunt ab Hæreticis interpolata ut nos late ostendimus tom. 3. diss. 181. ubi probavimus ad satietatem, Honorium nec Monotelitam fuisse, nec Monotelismi fautorem. Concilium denique Francofordiense particulare fuit, non Generale, & damnationem illam fecit ob errorem facti non juris, quia putavit Concilium Nicænum II. definiisse sacris Imaginibus deberi eundem cultum, qui Sanctissimæ Trinitati defertur. Hæc sunt verba ejusdem Concilii Francofordiensis, quæ a Junino recitantur. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Imagines Sanctorum, ita ut Deificam Trinitatem servitio, aut adoratione non impenderent, anathema judicarentur. Quam omnes, qui supra, Sanctissimi Patres nostri, omnimodis, & adorationem, & servitium respuentes, contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

Ad IX. ℟. Tertullianum loqui de regula fidei absolute, & in genere (non autem de sola Scriptura) Quam & opponit Disciplinæ quia hæc novari, mutari, & corrigi potest, secus autem illa; ait enim loco citato: *Regula fidei una est sola immobilis, & irreformabilis credendi scilicet in unicum Deum &c. Hac lege fidei manente, cætera jam disciplina, & conversationis admittunt novitatem Correctionis.* Tantum au-

autem abest, quod Tertullianus Apostolicas traditiones a fidei regula expungat, ut ipsas, & etiam Ecclesiam præferat Scripturæ, quando vel cum hæreticis est differendum, vel dubium aliquod circa fidem emergit: *Et hoc*, inquit, *quia Scriptura in Varios sensus facile trahuntur sed traditiones non item*. Et cap. 39. de præscript. *Nec periclitor dicere ipsas quoque Scripturas sic esse ex voluntate Dei dispositas, ut hæreticis materiam subministrent, cum legam oportere hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possunt*. Ex quo caute, Sapienterque reposuit cap. 21. & 37. ejusdem libri tunc veritatem nobis adjudicari, cum *in eam regulam incidimus, quam Ecclesia ab Apostlis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit*. Igitur ex Tertul. non sola Scriptura est regula fidei, sed etiam Ecclesia, atque Apostolica traditio.

Ad X. Concedimus antecedens, & negamus consequentiam; & ratio negationis est, quia Concilia Generalia, hoc ipso quod sunt Generalia, & sunt legitime convocata & legitime facta, semper habent Pontificis Confirmationem; adeoque semper sunt infallibilis authoritatis, & semper in ipsis est locus ex quo argumentum theologicum desumi possit. At Concilia particularia non semper habent Pontificis confirmationem; & quando habent, sunt quidem infallibilis authoritatis, & in ipsis est locus præfatus; quando vero non habent, non sunt infallibilis authoritatis, adeoque ex ipsis tantum desumi potest argumentum probabile.

Ad XI. Distinguitur major: Concilia componuntur ab hominibus cum assistentia Spiritus Sancti concedimus; sine assistentia Spiritus Sancti, negamus. Homines quidem quando loquuntur ut homines, possunt falli, & fallere, possunt mentiri, possunt errare; & tunc verificatur, *quod omnis homo mendax*; & de his hominibus dicebat Christus ad Apostolos: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* At vero quando homines loquuntur illis dictante Spiritu Sancto, quod loqui, quod decernere, quod definire debent, tunc non loquuntur ut homines; Unde idem Christus Apostolis dicebat: *Vos autem quem me esse dicitis?*

Ad XII. Episcopi habent in Conciliis jus suffragii decisivum ex jure divino, Abbates vero & Generales Ordinum si aliquando habuerunt, ex jure Ecclesiastico habuerunt, scilicet ex privilegio, quatenus Ecclesia illis largitur jurisditionem, quam ex vi sui officii & suæ dignitatis non habent.

DISSERT. CCLXXXVIII.

De Ecclesia. Utrum Ecclesia Militans sit Visibilis, an vero invisibilis? Quænam sint ejus membra, & caput? An ultra regulas mortuas in controversiis fidei decidendis, sit necessaria viva & animata, quæ sit Ecclesia?

Ecclesiæ vocabulum derivatur a verbo græco ἐκκαλέω, quod latine sonat *Evoco*; Unde Ecclesia est Cætus, seu congregatio Evocatorum; & hoc ad differentiam Sinagogæ, quæ sic vocatur a verbo hebraico quod est יעל & significat congregare. Et quia congregare connotat pecudes, evocare vero connotat homines; inde est, quod Christiani ad Ecclesiam Evocantur, Judæi vero congregabantur; quia Christiani non ex se, & ex suo proprio instintu ad Ecclesiam veniunt, sed quia vocantur, & hæc vocatio est primum beneficium, quod nos a Deo recipimus; unde scribit Apostolus ad Romanos 8. *Quos vocavit, hos justificavit; quos justificavit, hos & magnificavit*; & Act. 2. *Quoscunque advocaverit Dominus Deus noster*; idemque Apostolus in omnibus suis fere Episcopis Christianos vocatos appellat. Judæi vero congregati dicun-

dicuntur, quia non vocabantur proprie, sed nascebantur potius ut sales essentjunde ad pecudum instar circumcisionis signo in caula Domini congregabantur. Quod quidem discrimen observavit Augustinus in epist. ad Romanos scribens: *Ecclesia ex vocatione appellata; Synagoga vero ex Congregatione. Convocari enim hominibus magis congruit, cogregari autem magis de pecoribus dici solet; unde greges proprie pecorum dici solent. Quanvis ergo plerisque Scripturarum locis, ipsa Ecclesia grex Dei, & ovile Dei, & pecus Dei vocetur; tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur ad vitam veterem pertinet, & apparet, hujusmodi homines non esse sempiternæ veritatis, sed temporalium promissionum tanquam terreno pabulo esse contentos: Paulus ergo vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, unde, nisi ex grege Synagogæ?* Ecclesia autem sumi potest & pro loco, & pro personis, quemadmodum pariter sumitur Civitas, ut ait Bellarminus. Pro loco, ut dicitur Judith 6. *Omnis populus per totam noctam intra Ecclesiam oraverunt.* Et 1. ad Corinth. 2. *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo.* Pro personis vero, seu personarum coetu, intelliguntur verba illa ad Roman. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ.* Et ad Galatas 1. *Persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam.* Unde Ecclesia definitur: *Est cœtus Sanctorum sub uno capite Christo, Deo servientium.* In qua definitione *cœtus* stat loco generis, quia per ipsum convenit Ecclesia cum qualibet, sive ex Infidelibus, sive ex Hæreticis, congregatione. Loco differentiæ dicitur *Sanctorum*, per quod verbum excluduntur infideles, & aperti Hæretici, quibus nec etiam competit externa sanctitas. Comprehenduntur tamen per idem verbum omnes, qui habent sanctitatem aliquam sive externa sit, sive interna. Internam sanctitatem, & quidem perfectam, habent Beati in Cœlis; internam sed imperfectam habent omnes Justi, qui militant in terris; solam externam habent omnes illi, qui non habentes gratiam sanctificantem, fidem tamen interius habent, & exterius profitentur. De primis dicitur ad Hebræos 12. *Accessistis ad Sion montem & Civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum.* De secundis ad Ephesios 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* De tertiis 2. ad Timoth. 3. *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Dicitur quoque *sub uno capite Christo*, quia, ut Apostolus scribit ad Ephesios 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Cap. 5. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. . . . Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Dicitur tandem *Deo servientium*; per quæ verba denotatur Ecclesiæ finis, qui est, ut omnes creaturæ Deo serviant, sive perfecte, ut est in Cœlo, sive imperfecte, ut est in terra; Unde habet Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 17. Cum per cœlestem Civitatem intelligit Ecclesiam Christianam: *Cum cœlestis Civitas unum Deum colendum nosset, eique tantummodo serviendum servitute illa, quæ græce latria dicitur, factum est ut Religionis leges cum terrena Civitate communes non posset habere. Hæc igitur Cœlestis Civitas, dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit Civitatem, non curans quidquid in legibus, moribus, institutisque diversum est, quibus pax terrena conquiritur, vel tenetur, nihil eorum rescindens, vel destruens, imo etiam servans, ac sequens, si Religionem, qua unus summus ac verus Deus colendus docetur, non impedit.* Denique Ecclesia dividitur in Triumphantem, Militantem, & Purgantem, quæ omnes sunt sub eodem capite Christo, & quæ sint satis ex ipsarum nominibus innotescit. Dividunt quoque Heterodoxi in Visibilem & Invisibilem. Visibilis, quæ semper fuit, & quæ modo est, Ecclesia; Invisibilis vero est illa, quam sibimet ipsi fingunt, & quæ nunquam fuit, nec modo est. Deveniamus modo, juxta nostrum ordinem, ad Hæreticorum errores enumerandos.

Primo Donatistæ errabant, volentes, Ecclesiam Catholicam apud se solos esse; antea enim toto Orbe terrarum perierat, & in sola parte Donati remanserat; adeoqua nullam rationem Episcoporum aut Galliæ, ut Italiæ, aut Urbis Romæ habendam esse. Scribunt Optatus Milevitanus lib. 1., Augustinus hæres. 96. Sylvanus, & cæteri Episcopi in epist. ad Marcellinum.

Secundo Lucifer, & cum eo Sectator ipsius Luciferiani errabant quoque

dicen-

dicendo apud solam suam sectam Ecclesiam esse; antiquam vero Ecclesiam factam esse de Ecclesia lupanar. Testis est Hieronymus contra Luciferianos cap. 1.

Tertio Pelagiani asserebant Ecclesiam esse multitudinem hominum perfectorum, nullum peccatum habentium, ut refert Augustinus de hæresibus cap. 88. in id etiam progrediuntur; ut dicant, vitam justorum in hoc sæculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 1. §. 13. eundem errorem tribuit posteriorum temporum Anabaptistis.

Quarto errarunt pariter Novatiani, asserentes, Ecclesiam Congregationem justorum, nomine autem justorum intelligebant illos, qui nunquam lapsi sunt circa fidei confessionem. Observat autem Bellarminus circa differentiam hujus erroris & alterius, quam nuper retulimus num 3. „ Distinguitur autem hæc „ a superiore, quod prior opinio quoslibet peccatores excludat, hæc autem non „ excludit, nisi insignes peccatores. Ita. „ senserunt olim Novatiani, ut auctor est „ Cyprianus lib. 4. ep. 2. & Donatistæ „ apud Augustinum lib. de hæres. cap. 69. „ existimo enim falli Calvinum, ubi supra, „ & alios, qui putant, Novatianos, & „ Donatistas exclusisse omne genus peccatorum. Clare enim Cyprianus lib. 4. „ ep. 2. & Epiphanius in hæres. Catharorum, dicunt, eos retinuisse in Ecclesia „ fraudatores, mœchos, & similes: solumque exclusisse eos, qui in persecutione „ lapsi fuerant. Neque eum hoc pugnare „ videtur, quod habent Ambrosius lib. 1. „ de pænitentia cap. 1. & 2. & Theodoretus lib. 3. de fabulis Hæreticorum; Novatianos sustulisse potestatem remittendi „ peccata omnia, exceptis levissimis. Nam „ etiamsi non absolvebant graves peccatores, tamen in suo cœtu eos retinebant, „ nisi lapsi essent circa fidem. Et Augustinus lib. 3. contra Parmenianum cap. 2. „ docet, Donatistas non horruisse omnia, „ sed solum quædam majora scelera, quale „ erat illud, quod objiciebant Catholicis, „ consensisse traditoribus divinorum librorum „.

Quinto Pauperes de Lugduno, Hæretici, qui duodecimo sæculo emerserunt dicebant, Ecclesiam defecisse tempore Sylvestri, adeoque factam esse invisibilem. Refert S. Antoninus 4. par. summæ tit. 2. cap. 7. §. 2.

Sexto Vviclephus errando asserebat, Ecclesiam esse cœtum eorum tantum, qui ad cælestem Regnum sunt prædestinati. Colligitur ex Concilio Constantiensi sess. 15.

Septimo Lutherus lib. de abroganda missa privata, hæc effutiendo scribebat: *Quis nobis Ecclesiam monstrabit, cum sit occulta in spiritu, & tantum credatur, sicut dicitur: Credo Sanctam Ecclesiam!* Et in colloquiis latinis tom. 2. cap. de Patribus: *Tertulliani & Cypriani ætate degeneravit Ecclesia, immo ipsis Apostolis adhuc viventibus*.

Octavo Confessionistæ, ex confessione scilicet Augustana, & ex Lutheri Gregalibus, volunt solos justos ad Ecclesiam pertinere, malos vero, qui fidem exterius profitentur, pertinere ad externam quandam societatem, quæ non re, sed nomine tantum, sit Ecclesia. Testatur Juenınus.

Nono Philippus Melanchthon ad cap. 3. primæ ad Corinth. dicit: „ Statim ab initio Ecclesiæ Scriptores veteres obscurarunt doctrinam de justitia fidei, auxerunt „ cæremonias, & finxerunt peculiares „ cultus. „

Decimo Anabaptistæ Monasterienses dicebant, a Christi & Apostolorum temporibus Verbum Dei pure non fuisse tra„ ditum: nunc veros Dei Prophetas exor„ tos esse, per quos veritas Dei mundo resti„ tuatur. Joannem Leidensem Regem novæ „ Hierusalem, & Georgium Davidem „ Delphensem: totidem impios & falsos „ Prophetas esse, Romanum Pontificem, „ & Martinum Lutherum; qui Romano „ Pontifice multis partibus sit pestilen„ tior „. Testatur Henricus Bullingerus de Anabaptistis lib. 2. cap. 10.

Undecimo Sebastianus Francus epist. de abrogandis in universum omnibus statutis Ecclesiasticis scribebat: „ Statim post „ Apostolos omnia inversa sunt: verus „ Baptismus in puerorum Baptismum „ abiit; Cœna Domini in sacrificium „ transformata est: unde pro certo habeo, „ externam Ecclesiam una cum fide & „ Sacramentis opera Antichristi, statim „ post Apostolorum discessum evanuisse, „ & hisce mille quadringentis annis nusquam externam & visibilem Ecclesiam „ fuisse. „

Duodecimo Georgius David erravit dicens: „ Si Christi & Apostolorum do„ ctrina vera & perfecta fuisset, Ecclesiam, „ quam illi plantarunt, suaque doctrina „ for-

„ formarunt, debuisset necessario persi-„ stere, nec unquam perire, dicente Jesu, „ quod, *Porta inferi non prævalebunt adver-„ sus eam.* Nunc vero manifestum est, quod „ Antichristus doctrinam Apostolorum, „ & extructam ab illis Ecclesiam penitus „ subvertit, sicut patet in Papatu. Fuit „ ergo Apostolorum doctrina falsa, & „ imperfecta „. Ex histor. Georgii Davidis impressa Antuerpiæ 1568. in 8.

Decimotertio Joannes Calvinus lib. 4. Instit. cap. 2. §. 1. „ Simulac in arcem Religionis mendacium irrupit, summa necessariæ doctrinæ inversa est, Sacramentorum usus corruit: certe Ecclesiæ interitus „ consequitur, perinde atque de vita hominis actum est jugulo transfixo, vel „ præcordiis lethaliter sauciatis „. Responsione ad Sadoletum: „ Palam est „ conspicuumque eruditis simulac indoctis, postratum fuisse Christi regnum, „ cum erectus est Pontificis Romani principatus, &c. Sublata fidei justificantis cognitione, & Christi gloria extincta est, & abolita religio, & Ecclesia destructa & spes salutis penitus eversa. Addit nihilominus ad hæc Juveninus „ de Calvino loquens „: Calvinus Lutheranis adhæsit, seu voluit, solos justos „ ad veram Ecclesiam pertinere. Verum „ cum in illius sententia nulli sint vere „ justi, nisi qui ad æternam felicitatem „ prædestinati sunt (ut ex illius principiis „ colligunt Theologi agentes de justificatione) sequitur in ejus sistemate, veram „ Ecclesiam (ut antea Vviclephus docuerat) ex solis prædestinatis constare. Ab „ eâ Calvini doctrina non recedunt hodierni Calvinistæ, qui contendunt Hæreticos, Schismaticos, Apostatas, modo „ credant fundamentales (ut loquuntur) „ Christianæ Religionis articulos, esse „ veræ Ecclesiæ membra: nempe contendunt, hæresibus, schismatis, apostasia, „ quibus fidei fundamentis non subvertuntur, nec charitatem, nec justitiam amitti „.

Decimoquarto Bernardinus Ochinus in præfat. suorum dialogorum errando scripsit: „ Considerans quemadmodum „ Christus Ecclesiam suam potentia, sapientia, bonitate sua, fundarit, extruxerit, stabiliverit, suoque sanguine „ laverit, & Spiritu ditaverit, eandemque rursus funditus eversam videns, non „ potui sane non mirari, ac tantæ ruinæ „ causam scire cupiens, comperi fuisse „ Papas. „

Decimoquinto erravit Theodosius Schimbergius præfat. in Scripta Joannis Sommeri scribendo: „ Apostolus manifeste „ ostendit fore post discessum generalem „ defectionem, qualis circa tempora Athanasii accidit &c. Hæc est vera vis, quæ „ diu ante hæc tempora latuit, quia eam „ nemo animadvertit, excepto Paulo Riccio Judæo baptizato, qui nostros majores hanc doctrinam docere voluit, sed „ amarunt magis tenebras, quam lucem. „

Dicimus I. Veram Jesu Christi Ecclesiam fuisse semper, & esse modo, visibilem.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 18. *Dic Ecclesiæ ... Si Ecclesiam non audierit &c.* Si Ecclesia est invisibilis nec potest aliquis ipsi aliquid dicere, nec potest ipsa aliquid audire. Actor. 28. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quomodo autem possent Episcopi, qui sunt Visibiles, regere Ecclesiam, si esset invisibilis? Item Actor. 15. *Illi quidem deducti ab Ecclesia, pertransierunt Phœnicem.* Et cap. 18. *Ascendit Paulus, & salutavit Ecclesiam.* Et 1. ad Timoth. 3. *hæc tibi scribo, Fili Timothee, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi*, quæ omnia Ecclesiæ invisibili convenire minime possunt.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus serm. 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli cap. 6. *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Hormisda epist. ad Possessorem: *Non est ignota Ecclesia de hujusmodi procellis, aut insueta tempestas, quamvis rectoris sui gubernaculo inconcussa persistat, variis tamen insurgentium fluctuum laborat vexata turbinibus. Nam inde est Psalmidici vox Propheta, qui ipsius Ecclesiæ personam, spiritu, quo implebatur, assumens: Sæpe, inquit, expugnaverunt me a juventute mea; etenim non potuerunt mihi. Concutiunt, sed in nihilo prævalebunt.* Gregorius Magnus lib. 9. in Job cap. 6. *Arcturus semper versatur, & nunquam mergitur: & sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat.* Leo II. epist. 1. ad Constantinum Augustum: *Exulta nunc, secura, sancta Mater Ecclesia, de libertate tua sæpius impugnata, sed non derelicta.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Milevitanum cap. 6., 7. & 8. damnat simul Pela-

Pelagianos & Donatistas, qui Ecclesiam putarunt non esse, ubi non est solida vitæ puritas & integritas; & quia hæc vitæ puritas & integritas in hominibus agnosci non potest, inde est, quod invisibilis remanebat, & per consequens invisibilis etiam esset Ecclesia. Concilium Constantiense sess. 15. damnat errorem Vviclephi, qui Ecclesiam volebat ex solis prædestinatis compositam: & quia hi nec pariter agnosci poterant, Ecclesia quoque invisibilis remanebat. Ex illo autem errore hi alii promanabant, qui ab eodem Concilio damnati sunt. Legitur apud Melchiorem Canum de locis theologicis lib. 4. cap. 3. „ Si Papa fuerit præscitus, non habet potestatem super fideles, nisi forte a Cæsare. Item nullus fine revelatione potest rationabiliter de se asserere, quod sit caput particularis Ecclesiæ. Item præsens justitia, & gratia non facit aliquem esse, aut Christi membrum, aut Ecclesiæ. Item prædestinati etiam Infideles, semper sunt Christi, Ecclesiæque membra. Quare nec Paulus unquam fuit membrum Diaboli, nec Judas Christi. „

IV. Probatur ex Patribus. Origenes hom. 30. in Matth. *Ecclesia plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem &c.* Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ: *Ecclesia Domini luce perfusa, radios suos per Orbem terrarum spargit &c.* Chrysostomus hom. 4. in c. 6. Isaiæ: *Facilius solem extingui, quam Ecclesiam obscurari*. Augustinus lib. 3. contra epistolam Parmeniani cap. 5. *Nulla*, inquit, *est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei, Ecclesia declarata, quæ supra montem, ut dictum est, constituta, abscondi non potest*. Tract. 1. in Epist. Joannis: *Numquid digito ostendimus Ecclesiam, Fratres mei, nonne aperta est? Et tract. 2. Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident? Qui contra lucernam, in candelabro positam, oculos claudunt?* Concione 2. in Psalm. 101. contra Donatistas: *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium Gentium, jam non est, periit, hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es. Vide ne tu ideo non sis, nam illa erit, etsi tu non sis*. Et infra, loquendo nomine Ecclesiæ: *Quandiu ero in isto seculo? Annuntia mihi propter illos, qui dicunt, fuit, & jam non est, apostatavit, & periit Ecclesia de omnibus Gentibus; & annuntiavit, nec vacua fuit vox ista: Quis annunciavit mihi, nisi ipsa via? Quando annunciavit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi?*

V. Probatur ex figuris, & parabolis tam veteris, quam novi Testamenti, quibus Ecclesia assimilatur a Patribus. Cyprianus eam comparat cum area Noetica lib. de unitate Ecclesiæ; Hieronymus eam comparat cum Domo, in qua edi debebat paschalis Agnus, in dial. contra Luciferianos. Augustinus asserit esse Civitatem, quam Evangelium dicit esse supra montem positam, ut videre est in ejus verbis in probat. 4. recitatis.

VI. Probatur rationibus. I. Deus non vult hominibus reddi impossibilem salutem; sed si Ecclesia esset invisibilis, redderetur hominibus impossibilis salus: ergo Ecclesia non est invisibilis. Probatur minor; quia ex una parte extra veram Ecclesiam non est salus; ex altera Ecclesia inveniri non posset, quia esset invisibilis: ergo si vera Ecclesia esset invisibilis, redderetur impossibilis salus. II. Vera Ecclesia, vel periit, vel est visibilis; sed non periit: ergo est visibilis. Probatur major, quia vera Ecclesia debet esse visibilis; visibile est enim ejus caput, ut probavimus, visibiles ejus Rectores. Visibilia ejus membra. III. Homines illi occulti, qui per Adversarios construunt invisibilem Ecclesiam, vel palam profitentur fidem suam, & ab Idolorum cultu se abstinent, vel non; Si non: ergo pertinere non possunt ad veram Ecclesiam; Si sic: ergo quum ipsi sint visibiles, & visibilia sint ipsorum exercitia, visibilis etiam est Ecclesia, quam ipsi componunt. IV. Qui componunt veram Ecclesiam debent aliqua peragere externa, per quæ ab hominibus agnoscantur; sed hæc fieri non possunt nisi per visibilia signa: ergo visibiles necessario debent reddi: ergo visibilis pariter Ecclesia, quæ ab ipsis componitur. Probatur major. Ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; quibus verbis patet, quod quanvis fides sit in occulto cordis, fidei autem confessio debet esse in ore, adeoque manifesta; quod pariter dictum fuerat Matthæi 10. *Omnis, qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*.

Dicimus II. Hæreticos publicos, Schismaticos manifestos aliosque Infideles, non esse Ecclesiæ membra; immo & Catechumenos non esse actu; esse tamen justos solos, si Ecclesia sumatur tam secundum

dum esse formale, quam secundum esse materiale; esse pariter gravissimos peccatores, si sumatur secundum esse materiale, sive sint publici, sive sint occulti, dummodo fidem exterius non negaverint.

Prima Conclusionis pars probatur I. Publici Hæretici, & manifesti Schismatici, non sunt in Ecclesia: ergo non sunt membra Ecclesiæ. Antecedens probatur primo ex Conciliis. Concilium Laodicænum can. 10. prohibet Catholicis, ne cum Hæreticis conveniant: *Ne ad Hæreticorum cæmeterea, vel ad ea, quæ ab eis martyria appellantur, orationis causa, vel sanitatis, accedant*. Et canone 10. edicit: *Non oportere eos, qui sunt Ecclesiæ, indiscriminatim suos filios Hæreticis matrimonio conjungere*. Concilium Constantinopolitanum I. can. 6. *Hæreticos autem dicimus, & qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, & qui sunt postea a nobis anathematizati; ad hæc autem, & eos, qui se sanam quid in fidem confiteri præseferunt, evulsi autem sunt, & abscissi, & adversus Canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt*. Concilium Generale V. *Hæc igitur recta confessione in Sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia servanda, & prædicanda: Si quis semetipsum ab ejus communione separet, contraria ei sapiens, talis semetipsum alienans recta fidei, & Hæreticis communicans, juste a S. Dei Ecclesia condemnatur, & anathematizatur*. Secundo ex Patribus. Irenæus lib. 3. adversus Hæreses cap. 4. *Tantæ igitur ostensionis cum sint hæc, non oportet adhuc quærere inter alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in ea contulerint omnia, quæ sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui, fures sunt, & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem*. Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 4. *Hoc erunt hæreses non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quam tunc Antichristus persecutionum atrocitate persequetur*. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum pag. 765. *In unius ergo natura sortem cooptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur Hæreses in multas discindere*. Hilarius lib. 7. de Trinit. cap. 12. *Hæretici omnes contra Ecclesiam veniunt, sed dum Hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt; victoria enim eorum, Ecclesiæ triumphus ex omnibus est*. Hieronymus adversus Luciferianos, in fine: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quocunque alio nuncupari, utpote Marcionitas, Valentianos, Montenses, sive Campitas; scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam*.

II. Probatur. Asserunt Patres ab Ecclesia Catholica publicos Hæreticos, Schismaticos manifestos, immo, & infideles omnes esse excludendos; sed vera Jesu Christi Ecclesia est Ecclesia Catholica: ergo præfati non sunt membra Ecclesiæ. Minor probatur Tertullianus lib. de præscript. Hæretic. cap. 30. loquens de Valentino, & Marcione scribit: *Constat in Catholica primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec ob inquietam semper eorum curiositatem . . . . semel, & iterum ejecti, &c.* Augustinus lib. de vera Religione cap. 6. *Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolintve ipsi quoque Hæretici, & schismatum Alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur*.

III. Probatur. Sacrosancta Ecclesiæ Concilia Generalia Hæreticos damnant, anathematizant, & de Catholica Ecclesia ejiciunt, vel jam ejectos statuunt, non esse in eandem recipiendos: ergo nullo modo dici potest, quod Hæretici sint Catholicæ Ecclesiæ membra. Probatur antecedens. Concilium Nicænum I. de Arianis dicit, quod illos *anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia*. Et can. 8. de Catharis, seu Novazianis, hæc præcipit: *De his, qui se nominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto, & Magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eo scriptis convenit profiteri, quod Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, & sequantur*. Insuper Concilium Constantinopolitanum I. pariter decernit can. 7., Arianos Macedonianos, Novatianos debere hac lege recipi: Omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut Sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia.

Secunda pars Conclusionis de Infidelibus est manifesta, quia nunquam per Baptismi januam ingressi sunt in Ecclesiam;

adeoque foris sunt; unde Apostolus 1. ad Corinth. 5. dicebat: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

Tertia Conclusionis pars de Catechumenis probatur etiam I. Actor. 2. legitur: *Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia*. Ubi verba illa, *appositæ sunt*, ingressum in Ecclesiam important: ergo non erant in Ecclesia. II. Quia Patres Catechumenos sub fidelium nomine non appellabant: Unde Tertullianus lib. de præscript. opponebat Hæreticis, quod non distinguerent Catechumenos a fidelibus; Et Chrysostomus homil. 24. in Joannem docebat, Catechumenum nihil habere commune cum fidelibus. III. Catechumeni non sunt fideles proprie loquendo, nec habent eandem communionem Sacramentorum cum Ecclesiæ membris: ergo actu non sunt Ecclesiæ membra.

Quarta Conclusionis pars, hoc est, de Justis, probatur. Et quidem tam secundum esse formale, hoc est animam, quæ est charitas, quam secundum esse materiale, hoc est corpus, quod est fidei professio conjuncta cum eorundem Sacramentorum communione. Soli Justi habent Ecclesiæ formam, hoc est informantur Ecclesiæ anima, quæ est Charitas, & insuper cum cæteris fidelibus per visibilem Sacramentorum participationem conjunguntur sub legitimis Pastoribus: ergo soli ipsi sunt membra Ecclesiæ tam secundum esse formale, quam secundum esse materiale.

Quinta Conclusionis pars, quæ est de peccatoribus, probatur I. Peccatores quamvis gravissimi, profitentur Christi fidem, & colligantur cum cæteris fidelibus per eandem Sacramenturum participationem sub legitimis Pastoribus: ergo sunt membra Ecclesiæ secundum esse materiale. II. Peccatores possunt ejici extra Ecclesiam: ergo sunt in Ecclesia. Antecedens probatur Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum &c. Si eos non audierit, dic Ecclesiæ: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus*: Insuper 1. ad Corinth. 5. Apostolus præcepit incestuosum illum Corinthium ex Ecclesia debere rejici: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum*, (de Ecclesia) *qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, jam judicavi, ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo Spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis*. III. In controversia Donatistarum cum Catholicis de validitate Baptismi, ab Hæreticis collati, Donatistæ asserebant, validum esse Baptismum collatum a Peccatoribus, quia hi erant intra Ecclesiam, non vero esse validum collatum ab Hæreticis, quia hi erant extra Ecclesiam; & quidem in prima parte conveniebant Catholici, ut asserit Augustinus in Breviculo collationis diei tertiæ: *Cum ad Evangelicam similitudinem venissent, quam Catholici in mandato suo posuerant de retibus in mare missis, quibus congregari dixit Dominus omnia genera piscium, & bonos a malis in littore, hoc est, in fine seculi separari; etiam ipsi falsi sunt, in Ecclesia esse permixtos, saltem occultos malos*. Lib. de unitate Ecclesiæ cap. 14. *Innumerabilia testimonia de mixtione malorum cum bonis in eadem communione Sacramenti .... In Canticis Canticorum, quod de Ecclesia Sancta dictum omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium in medio Spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Unde appellat Spinas, nisi propter malignitatem morum? Et easdem inde filias, nisi propter communionem Sacramentorum*. Et in cap. ultimo ejusdem libri: *Tunc quisque infructuosus, & nondum a radice præcisus est, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum est: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, cui adstipulantur Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 45. Gregorius Magnus homil. 38. in Evang.

Diximus usquemodo de membris Ecclesiæ, modo igitur deberemus loqui de Capite: sed quum de hoc intendamus disserere, quando loquemur de Summo Pontifice, ideo hic ad alia gradum facimus.

Dicimus III. ultra regulam fidei mortuam, quæ est verbum Dei, dari etiam regulam vivam, quæ est Ecclesia.

I. Probatur ex Scripturis Veteris Testamenti. Exodi 18. *Altera autem die sedit Moyses, ut judicaret Populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam; quod cum vidisset cognatus ejus, omnia scilicet, quæ agebat in populo, ait, quid est hoc, quod facis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam? Cui respon-*

spondit: *Venit ad me populus, quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, ut judicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges ejus. At ille non bonam, inquit, rem facis stulto labore consumeris, & tu & populus iste, qui tecum est, ultra vires tuas est negotium; solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba atque consilia: & erit Dominus tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum; ostendasque populo cæremonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Provide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore.* Deuter. 17. 8. & sequ. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* 2. Paralipom. 19. *In Hierusalem quoque constituit Josaphat Levitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israel, ut judicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus.* 2. Aggæi 13. *Hac dicit Dominus Exercituum: Interroga Sacerdotes legem.* 2. Malachiæ 7. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.*

II. Probatur ex Scripturis Novi Testamenti. Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut & Publicanus.* Ad Galatas 1. *Si quis vobis evangelizaverit, præter id, quod accepistis, anathema sit.* Et cap. 2. *Ascendi Jerosolymam cum Barnabâ, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Et ad Ephesios 4. *Christus dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi .... Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.*

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Bonifacius I. epist. ad Honorium Augustum: *Ecclesia mea, cui Deus noster meum Sacerdotium vobis res humanas regentibus deputavit, cura constringit, ne causis ejus, quamvis adhuc corporis incommoditate detinear, propter Conventus, qui a Sacerdotibus universis, & Clericis, & Christianæ plebis perturbationibus agitantur, apud aures Christianissimi Principis desim.* Leo Magnus ep. 96. ad Episcopos Thraciæ: *Tanta sæculi Potestates circa Sacerdotalem Ordinem reverentia prævaluere, etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit, ut jus distinguendorum negotiorum Episcopis Sanctis, juxta divalia constituta permiserint. Quod cum & juris antiqui formulis & illibatis frequentius sit legibus confirmatum; præsenti tamen tempore a plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso Sacerdotali judicio, passim ad examen seculare transfere. Quocirca nobis visum est, ut hanc & sacræ legis, & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens ulcisceretur plena districtio, & observandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, ut quicunque, prætermisso Sacerdote Ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit secularium, sacris liminibus expulsus, a cœlesti arceatur altario: neque ullus post hanc definitionem, qui communi sedit arbitrio, quicquam sibi ultra præscriptum vindicare nitatur: & ita fiet ut hi, qui ante erravere, congrua emendatione se corrigant, & qui sub observatione clericali cœlesti probatur servire officio, ex clero abjiciendum, si prætermisso Sacerdotum judicio, secularem adierit potestatem.* Gregorius Magnus lib. 3. epist. 26. ad Januarium Episcopum Caralitanum: *Fratris & Coepiscopi nostri Felicis, & Cyriaci Abbatis relatione cognovimus, quod in Insula Sardinia Sacerdotes a Laicis Judicibus opprimantur, & fraternitatem tuam ministri sui despiciant: dumque solum simplicitati a vobis studetur, quantum videmus, disciplina negligitur. Unde hortor ut omni excusatione postposita, Ecclesiam, quam suscepisti, auctore Deo, regas, disciplinam Clericos tenere cogas, nullius verba metuere studeas.* Et lib. 5. epist. 25. *Et nobis, & omnibus notum est, piissimos dominos (Mauritium Augustum, & Constantium) disciplinam dirigere, ordi-*

nes servare, Canones venerari, & se in caussis sacerdotalibus non miscere: instanter exequimur, quod & illorum juvat animam, atque Rempublicam, & ad quod nos terribilis tremendique Judicis respectus impellit. Eugenius II. cap. 4. *Decrevimus, ut Laici determinare Ecclesiastica negotia non præsumant.*

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginense III. cap. 9. *Placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum Diaconorum, seu Clericorum, cum in Ecclesia fuerit ei crimen intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali judicio: in civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos judices undique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo, de judicio seculari poscit auxilium: cum privatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.* Concilium Melevitanum cap. 19. *Placuit, ut quicunque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur. Si autem Episcopale judicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obsit.* Concilium Veneticum cap. 9. *Clerico, nisi ex permissu Episcopi sui servorum suorum secularia judicia adire non liceat; sed si fortasse Episcopi sui judicium cœperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua adversus ipsum Episcopum fuerit nata contentio, aliorum Episcoporum audientiam, non secularium Potestatum, debebit ambire; aliter a communione habeatur alienus.* Concilium Romanum III. sub Symmacho: *Theodoricus Rex sibi judicium in Episcopos arrogabat, sed postquam ab Episcopis plurimis audivit ob prærogativam suæ sedis non posse compelli, ut minorum judicio se subjaceret, Serenissimus Rex taliter (Deo aspirante) respondit: In Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se, præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere, committens etiam potestati Pontificum, ut sive propositum vellent audire negotium, sive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodo venerandi provisione Concilii pax in Civitate Romana Christiana omnibus redderetur.* Concilium Aurelianense III. cap. 31. *Clericus cujuslibet gradus sine Pontificis permissu, nullum ad seculare judicium præsumat attrahere; neque laico, inconsulto Sacerdote, clericum in seculare judicium liceat exhibere.* Concilium Matisconense cap. 7. *Ut nullus Clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui a seculari Judice injuriam patiatur, aut custodia deputetur. Quod si quicumque judex cujuscumque Clericum, absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumpserit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* Et cap. 8. *Ut nullus Clericus ad judicem secularem quemcumque alium fratrem de Clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere, quocumque loco præsumat. Sed omne negotium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut in Presbyteri, aut Archidiaconi præsentia, finiatur. Quod si quicumque Clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat; si certe honoratior, triginta dierum inclusione mulctetur.*

V. Probatur ex Patribus Græcis. Irenæus lib. 3. cap. 2. *Sapientiam, loquimur inter perfectos.... Hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam a se metipso adinvenit, fictionem videlicet, ut digne secundum eos sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho.... Se vero indubitate, & incontaminate, & sincere absconditum scire mysterium, quod quidem impudentissime est blasphemare suum factorem... Quapropter undique resistendum est illis.* Et lib. 3. cap. 4. *Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere.* Athanasius apolog. 2. contra Arianos: *Eusebiani quo veritatem, scriptaque sua oblitterent, nomen Synodi suis actis prætexunt: cum res ipsa negotium Imperatorium, non Synodale haberi debeat, quippe ubi comes præsideat, & milites Episcopos sub satellitio cingant, & Imperatoria Edicta quos ipsi volunt, coire compellant.* Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 17. *Ad hodiernum usque diem cernimus, mundanos Principes regi & instrui ab Ecclesiasticis.* Gregorius Nazianzenus orat. 2. quæ est ad eos, qui ipsum primum accusarant, nec venerant postquam presbyter factus fuisset: *At vero pietatem non in multum, & sæpe de Deo loquendo, sed ut plurimum tacendo, positam esse judicetis, semperque minus periculosum esse audire, quam loqui existimetis, ac proinde lubentius de Deo quippiam discatis, quam doceatis; vosque ita comparetis, ut exactiore harum rerum examinatione dispensatoribus verbi relicta, sermone minimum, operibus majori ex parte Deum colatis.* Joannes Chrysostomus lib 3. de Sacerdotio: *Habent & terre-*

stres

stres Principes vinculi potestatem, sed corporum solum. Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam continet, atque ad Cœlos usque pervadit; usque adeo ut, quæcunque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum cœlestium potestatem illis esse concessam? Cyrillus Alexandrinus epist. ad Synodum Antiochenam: *Esset multo melius, mutroque justius, si Ecclesiastica quæstiones in Ecclesia agitarentur, ac judicarentur, quam apud alios externos, quibus sane hujusmodi causarum tractatio non convenit.*

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Cyprianus epist. 55. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum Sacerdotum collegium quidquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum judicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret.* Hilarius adversus Constantium Augustum: *Provideat & decernat Clementia tua, ut omnes se ubique judices, quibus Provinciarum administrationes sunt credita, ad quos sola cura, & sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet a religiosa se observantia obstineant.* Ambrosius epist. 33. ad Valentinianum Imperatorem: *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere: noli te extollere; sed, si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem Palatia pertinent; ad Sacerdotem Ecclesiæ; publicorum tibi mœnium jus concessum est, non Sacrorum.* Hieronymus epist. 142. *Ozias Rex, quandiu vixit Zacharias Sacerdos cognomento, intelligens placuit Deo, & cum omni veneratione delubrum ejus ingressus est. Postquam vero Zacharias obiit, volens per se offerre donaria, Sacerdotalem ordinem non tam pie quam audacter invasit, & reclamantibus Levitis, & Sacerdotibus cæteris: Nonne tu es Ozias Rex, & non Sacerdos? Audire noluit, statimque lepra perfusus est in fronte, juxta Prophetiæ vocem dicentis: Imple Domine facies eorum ignominia.* Augustinus epist. 166. *Primi Majores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Exigite hoc a nobis, probemus vobis, & si non probaverimus, facite de nobis quidquid potueritis. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam, atque finiendam Episcopis delegavit. Quod & factum est in Urbe Roma, præsidente Melchiade, illius Ecclesiæ Episcopo, cum multis collegis suis.*

VII. Probatur ex Seculi Principum etiam Imperatorum confessione. Theodosius & Valentinianus epist. ad Synodum Ephesinam: *Igitur Candidianum præclarissimum Religiosorum domesticorum comitem ad Sacram vestram Synodum abire jussimus: sed ea lege, & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat: (nefas enim est, qui Sanctissimorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere) verum ut Monachos, & seculares, ac cæteros denique omnes, qui hujus spectaculi causa, vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum forte confluent, ab eadem illa Civitate modis omnibus submoveat: (quandoquidem non licet illis, qui omnino necessarii non sunt, sacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedire, & iis, quæ cum tranquillitate a Vestra Sanctitate constitui, definirique debent obstaculum aliquod adferre:) tum rursum ut diligenter prospiciat, ne qua gravior dissensio, ex mutuo repugnandi studio coorta, & sævæ tempestatis instar debacchata Sanctissimæ Synodi vestræ consultationem, exactioremque veritatis indagationem quovis modo obturbet.* Martianus Imperator orat. ad Synodum Chalcedonensem act. I. Concilii: *Nos ad confirmandam fidem, non ad ostendendam virtutem, exemplo Imperatoris Constantini, adesse Synodo excogitavimus, ne in posterum multitudo populi institutionibus pravis attracta, inveniatur dissentiens &c. Nobis omne studium adhibendum est, populum propter veram sanctamque doctrinam idipsum sentientem, uni rectæ applicare Ecclesiæ: & ideo veram fidem catholicamque etiam exponere secundum Patrum doctrinam, concordantibus animis vestris, vestra properet reverentia, ut qualiter in Nicæna Synodo usque in hoc tempus, abscisso errore, vera fides est hominibus cognita, sic & nunc per hanc sanctam Synodum, deposita nebula, semper serventur quæ statuta sunt.* Leo & Anthemius Impp. l. omnes, C. de Episcopis & Clericis: *Orthodoxa fidei Sacerdotes & Clerici, cujuscunque gradus sint, Monachi quoque in causis civilibus, ad extranea judicia protrahi non debent: nec quisquam eorum Ecclesias, vel monasteria propria (quæ Religionis intuitu inhabitant) relinquere miserabili necessitate jubeatur, sed*

apud

apud suos Judices Ordinarios Ecclesiarum ministeriis obsecundet. Justinianus in Authent. Constitut. 79. *Quidam volentes corrumpere Orthodoxæ fidei honestatem, si quidem litem habuerint, quasi cum Monachis, aut ascetriis civiles judices interpellant: at illi mittunt executores, præsumentes accedere intra loca Sancta, & Monachos trahere, atque monasterias, vel ascetrias inquietare, forsan etiam eas, quæ non videntur: & hinc injuriam, & confusionem non parvam adorabilibus fieri locis. Propterea igitur sancimus, si quis quancumque habuerit causam cum aliquibus venerabilibus sanctimonialibus, aut sacris Virginibus aut mulieribus omnino in monasteriis consistentibus, Deo amabilē civitatis illius Episcopum interpellet: ille vero mittat, & cum omni honestate, quæ sunt de personarum præsentia disponat, sive oportet per Abbates, sive per responsales, sive per alios quoslibet hoc fieri. Ipsi vero cum omni veneratione Sacerdotali causam examinent, & judicent, & civiles non sint penitus eis judices, neque confundant eorum honestatem, cum idonei sint Deo amabiles singularum Civitatum Episcopi, & quæ de lite sunt, & de cautela judiciorum disponere, & judicare honeste atque sacerdotaliter, & secundum leges nostras & sacratissimas regulas.* Aurelianus Imperator, quanvis Paganus, refert P. Boucat, quod certior factus de schismate, inter Paulum Samosatenum & Catholicos suborto, pro domo Ecclesiæ, jussit domum reddi illis, quibus hanc assignarent Ecclesiæ sacerdotes. His denique addendus est Constantinus Magnus, qui Donatistas a Concilio Arelatensi damnatos, & ad ipsum appellantes, sub exilii pœna rejecit. Unde Optatus Milevitanus lib. 1. adversus Parmenianum sic illos exprobrabat: *O rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerint ad Imperatorem provocatis.*

VIII. Probatur rationibus. I. Ubi lex est obscura, & ab utraque parte pro se affertur, opus est ut judex dirimat quæstionem; sed scriptura aliquando est obscura, ut dicit S. Petrus epist. 2. cap. 3. de Epistolis Pauli; *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut, & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Et Scriptura ipsa est lex, sed mortua: ergo opus est ut lex viva, scilicet Ecclesia, quæ est judex, dirimat quæstionem. II. Exemplum Synagogæ in veteri lege, & exemplum Christi, & Discipulorum ejus in principio legis Evangelicæ, hoc ipsum ostendunt. De lege veteri habemus exemplum Herodis Matthæi 2. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Judæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda; ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum Israel.* De Lege vero Evangelica habemus Lucæ 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de illo erant.* Et Actorum 8. *Ecce vir Etiops .... venerat adorare in Hierusalem, & revertebatur sedens super currum suum. Legensque Isaiam Prophetam... Accurrens autem Philippus ... dixit: Putasne intelligis, quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? .... Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista evangelizavit illi Jesum.* III. Constans & perpetua Ecclesiæ praxis & consuetudo fuit caussas fidei, & morum, & disciplinæ ad Ecclesiam, tanquam ad judicem deferre, & Ecclesiam ipsam has judicare: ergo vera Ecclesia est controversiarum judex. Probatur antecedens. Primo seculo oritur controversia de legalibus, & in Concilio Jerosolymitano Actorum 15. dirimitur; Secundo seculo exarsit controversia circa Paschatis celebrationem, & hæc sub Victore I. in Concilio Palæstinæ judicata est; & sic deinceps in aliis seculis. IV. Scriptura quum multos habeat sensus Hæretici sæpe occasionem arripiunt sequendi illum, quem ad suos errores defendendos detorquent: Igitur opus est ut sit judex vivus, qui de sensibus illis decernat, quinam scilicet sit rectus, & quinam pravus. Antecedens habetur apud Tertullianum lib. de præscript. cap. 17. *Ista Hæresis non recipit quasdam Scripturas; & si quas recipit, non recipit integras ... Et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.* Et ibidem cap. 19. *Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incerta.* V. Deus prohibet secundum spiritum privatum interpretari Scripturas, & Concilium Tridentinum damnat Protestan-

ſtantes, qui hoc pacto interpretantur: ergo in interpretatione Scripturarum, ſi recurrere non poſſumus ad ſpiritum privatum, ad ſpiritum Eccleſiæ recurrere debemus. Antecedens patet ex Scripturis Veteris, & Novi Teſtamenti. Ex Veteris habetur Ezechielis 13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.... Vident vana, & divinant mendacium... Cum ego non ſim locutus, ait Dominus*. Jeremiæ 23. *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetizant vobis, & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini*. Et ex novi Matthæi 7. *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intus autem ſunt lupi rapaces*. VI. In controverſiis fidei recurrere ad Eccleſiæ judicium, reddit facile Hæreticorum converſionem: ergo ad illud recurrendum eſt. Probatur antecedens. Recurrere ad ſpiritum privatum, reddit difficilem, immo impoſſibilem Hæreticorum converſionem: ergo recurrere ad Eccleſiæ judicium reddit facilem. Probatur antecedens; quia unuſquiſque ſub ſui ſpiritus privati prætextu, a converſione ſe eximeret, & excuſaret; & non eſſet a quo ad aſſentiendum obligaretur. VII. Ex una parte nemo poteſt eſſe judex in cauſſa propria, & nemo privatus in cauſſa publica: ergo in cauſſis fidei, morum, & diſciplinæ, debemus recurrere ad Judicem, qui ſit alter, & qui ſit publicus; Sed hic eſſe non poteſt niſi Eccleſia: ergo &c. VIII. Hæretici ipſi, qui hoc ipſum nobis contendunt, aliquando tamen facere conſueverunt: ergo injuſte nobis contendunt. Probatur antecedens. Donatiſtæ in Synodo Bajacenſi errores ſuos defenderunt; Neſtoriani in Pſeudo-Concilio, cui præſidebat Joannes Antiochenus, Neſtorium propugnarunt; Eutychiani in latrocinio Epheſino, cui Dioſcorus præerat, Eutychetem promoverunt; Proteſtantes denique convenerunt in Synodum Dordracenam, ut diſcuterent controverſiam inter Gomarem, qui prædeſtinationem neceſſitantem defendens, Prædeſtinatianorum recentium dux erat, & Arminium, qui novorum Semipelagianorum antesignanus habebatur. Inſuper in Synodo Caremtonica anno circiter 1636. proſcripti ſunt omnes, qui colloquiorum & Synodorum, ſive Provincialium, ſive Nationalium, Conventus ſpernabantur, & ſecundum proprium Spiritum ſacras Scripturas explanabant, & de Religionis rebus juxta phantaſiam judicabant; Unde Independentes dicebantur. Synodi Præſides fuerunt Dallæus, Bouchardus, & Derelinquour, & damnationis præfatæ rationem afferunt, quod in hypoteſi, in qua unicuique licitum foret in rebus divinis proprium ſequi ſpiritum, tot eſſent Religiones, quot exiſterent Capita, ut ex illis refert P. Boucat: ergo ex confeſſione etiam Hæreticorum Eccleſia de Eccleſiæ rebus in materia fidei, morum, & diſciplinæ, judicare debet.

Objiciunt I Jeremiæ 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum*; per quæ verba intelligitur novum teſtamentum eſſe inviſibile: ergo etiam Eccleſia, quæ idem eſt cum Novo teſtamento, eſt inviſibilis. II. Ad Hebræos 12. *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & acceſſibilem ignem, ſed ad Sion montem, & Civitatem Dei viventis*; per quæ verba intelligitur, montem illum eſſe inviſibilem; ſed mons iſte eſt Eccleſia: ergo Eccleſia eſt inviſibilis. III. Eccleſiæ exiſtentia creditur; Conſtituit enim unum ex articulis fidei; ſed quod creditur, eſt inviſibile: ergo Eccleſia eſt inviſibilis. IV. Ante Chriſti paſſionem & reſurrectionem, immo uſque ad aſcenſionem & reſurrectionem, Eccleſia non erat viſibilis: ergo neque modo eſt viſibilis. V. Multi ex juſtis, qui modo componunt Eccleſiam, nec cognoſcuntur, nec videntur: ergo Eccleſia ex iiſdem compoſita, eſt inviſibilis. VI. Sunt figuræ veræ Eccleſiæ, hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, ut habetur Cantic. 4., ſed ex Patribus in illo horto, fonte, & puteo, ſoli prædeſtinati comprehenduntur: ergo Eccleſia ex ſolis prædeſtinatis conſtat. Probatur minor ex Auguſtino lib.5. de Bapt. cap.26. dicente: *Numerus ergo ille juſtorum, qui ſecundum propoſitum vocati, ſunt Sancti, de quibus dictum eſt: Novit Dominus, qui ſunt ejus; ipſe eſt hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ*. VII. Eccleſia comparatur arcæ Noe, in qua fuerunt ſoli illi, qui facti ſunt ſalvi: ergo pariter in Eccleſia ſunt ſoli illi, qui erunt ſalvi: Sed illi ſunt tantum prædeſtinati: ergo &c. VIII. Eccleſia componitur ex iis tantum, qui ſunt filii Dei; ſed ſoli prædeſtinati ſunt filii Dei: ergo &c. Probatur minor ex verbis 1. epiſt. Joannis cap. 2. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum*.

IX.

IX. E communicati non sunt de corpore Ecclesiæ, habetur enim Can. Canonica 11. qu. 3. *Canonica instituta, & Sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, authoritate Dei, & judicio Sancti Spiritus, a gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & a consortio totius Christianitatis, eliminamus*. X. Pro Catechumenis offertur sacrificium, quamvis actu Baptismum non susceperint: ergo sunt actu in Ecclesia. XI. Infideles occulti, qui intrinsecus negant fidei articulos, tamen si sint baptizati, & sint in externa communione cum fidelibus, sub Pastoribus legitimis, sunt in Ecclesia: ergo non est verum, quod Judæi, Pagani, & Hæretici, non sunt membra Ecclesiæ. XII. Hieronymus ex cohabitatione animalium in arca, infert fidelium, & Hæreticorum permanentiam intra Ecclesiam: En sua verba in Dialogo adversus Luciferianos cap. 8. *Arca Noe Ecclesiæ typus fuit.... Ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac universarum, & gentium & morum, homines sunt: ut ibi pardus & hædi, lupus & agni; ita & hic justi & peccatores*. XIII. Ecclesia componitur ex hominibus; sed Christus Dominus Joann. 5. prohibet testimonium accipi ab homine: ergo &c. XIV. Si ad inveniendum Scripturarum sensum deberemus ad Ecclesiam recurrere, sequeretur, quod scripturæ ab hominibus penderent & ab hominibus robur acciperent, quod est omnino absurdum. XV. Antequam Ecclesia definiat, veritas definiendorum vel continetur in scriptura, vel non; si continetur: ergo nihil de novo facit scriptura; si non continetur: ergo Ecclesia non definit secundum id, quod est in scripturis, sed potius secundum id, quod non est in Scripturis.

Respondemus ad I. Dato, quod verba illa significent novum testamentum, non per hoc tamen significant Ecclesiam; quia novum Testamentum & Ecclesia se habent, sicut se habent lex & populus; & quia lex a populo est distincta, ita etiam novum Testamentum ab Ecclesia. Igitur etsi admitteretur novum Testamentum esse invisibile, non per hoc sequeretur, Ecclesiam etiam invisibilem esse. Cæterum non admittimus, immo negamus novum Testamentum fuisse invisibile, quia Christus per publicam sui Sanguinis effusionem, publicum cum Ecclesia sua fœdus inivit. Denique verba illa Jeremiæ denotant differentiam inter Testamentum vetus, & Novum, quia Testamentum vetus fuit datum Judæis, secundum externum tantum legis corticem, novum vero secundum Charitatem datum est Christianis, quæ in cordibus eorum residet.

Ad II. distinguitur minor subsumpta: Sed mons iste est Ecclesia; triumphans, concedito; militans, negatur. Mens autem Apostoli est significare, quod Christiani in novo Testamento ad Dei visionem accesserint spe, & Judæi carnales non aliud spe sua, quam bona corporalia, & carnalia amplexi fuerint. Et proinde Apostolus allatis verbis addit: *Et multorum millium Angelorum frequentiam, & Spiritus justorum & perfectorum*.

Ad III. negatur major; non creditur Ecclesiæ existentia, sed Ecclesiæ sanctitas, quæ est invisibilis: Vel si creditur Ecclesiæ existentia, creditur tantum, quod hic cœtus hominum visibilis sit Ecclesia; non vero creditur, quod existat hic cœtus hominum, qui est Ecclesia, quia hic non creditur, sed videtur.

Ad IV. dicitur, quod Christus ab exordio quidem nativitatis suæ habuit Ecclesiam, quæ consistebat in seipso, qui erat Ecclesiæ caput visibile; in Beatissima Virgine matre sua, in S. Josepho; & secundum temporum diversitatem, vel in Sanctis Pastoribus; vel in Magis, qui eum adorarunt in præsepio, & fidem suam receperunt; vel in Simeone & Anna; vel postmodum in discipulis, & Apostolis, qui eum sequuti sunt & passionis etiam tempore, in S Joanne, qui nunquam eum nec corpore, nec animo deseruit; in Sanctis Mulieribus, quæ eum usque ad mortem comitabantur, & in cæteris Apostolis, præter Judam, qui etsi timore correpti eum corpore deseruerint, corde tamen & animo nunquam dereliquerunt. Post vero resurrectionem ejus augebatur in dies numerus credentium, & Ecclesia magis, magisque crescebat.

Ad V. Etsi Justi non videantur, nec cognoscantur secundum virtutes, quas interius possident in anima, & secundum occulta charismatum dona, quæ a Deo accipiunt; cognoscuntur tamen, & videntur secundum participationem Sacrificiorum & Sacramentorum, quæ extrinsecus percipiunt, secundum fidei professionem, quam in externo etiam ostendunt, & secundum obedientiam, quam dicto & facto exhibent Prælatis suis; quæ omnia quidem visibilia sunt, & ideo visibi-

sibilem quoque Ecclesiam ostendunt.

Ad VI. Ecclesia potest accipi & secundum esse finale, & secundum esse formale, & materiale; secundum esse finale admittimus quidam quod constet ex solis prædestinatis,quia soli prędestinati æternam beatitudinem,quæ est noster ultimus finis consequuntur. Igitur Ecclesia secundum esse finale est status patriæ,& hic ad solos prædestinatos pertinet.Secundum esse vero formale,vel materiale,est status viæ & quidem secundum esse formale cum charitate conjungitur, & secundum esse materiale charitate restituitur;& in hoc sensu sunt peccatores omnes, quanvis prædestinati non sint. Augustinus explicatur de Ecclesia secundum esse finale, non vero secundum esse formale, vel materiale.

Ad VII. Admittitur comparatio Ecclesiæ cum Neotica Arca, sed solum quoad hoc, quod sicut nemo salvus fuit extra arcam, ita & modo nemo salvus est extra Ecclesiam; ibi quidem salvus ab aquarum inundatione; hic vero salvus ab æterna perditione. Et ita respondet Augustinus Cypriani argumento, quod ex Comparatione arcæ cum Ecclesia petebatur: *Sicut ergo non alia, sed eadem aqua, & in arca positos salvos fecit, & extra arcam positos interemit; sic non alio, sed eodem Baptismo, & boni Catholici salvi fiunt, & mali Catholici, vel Hæretici pereunt.*

Ad VIII. negatur major, quia gravissimi Peccatores, quanvis non habeant charitatem, & secundum hoc non sint filii Dei, tamen secundum esse materiale, vere sunt in Ecclesia. Verba autem Joannis intelliguntur non de justis simpliciter, sed de justis, qui sunt prædestinati; ex quibus infertur, non perseverantes non esse filios Dei secundum esse finale, esse tamen filios Dei secundum esse formale; & hoc, quia habent divinæ filiationis formam, hoc est, charitatem.

Ad IX. Excomunicati sunt quidem membra separata ab Ecclesia, sed ad tempus; adeoque non sunt membra mortua, & putrida, quanvis in aliquo sensu sint abscissa. Et quia hoc est in pœnam fœderis commissi, non vero in infidelitatis sequelam, ideo habent semper habitudinem, ut iterum uniantur corpori, a quo actu recisa videntur, & cum quo denuo conjungi desiderant. Igitur non eadem est ratio de Hæreticis, Apostatis, & Excomunicatis, ut dictum est.

Ad X. Quanvis Catechumeni non sint actu in Ecclesia, quia in ipsam non sunt adhuc ingressi per Baptismatis januam, possunt tamen dici, quod sint in Ecclesia per cordis desiderium, quo anhelant, semper in Ecclesiam ingredi; & sicut hoc desiderium seu votum, quando deficit Baptismi recipiendi opportunitas, valet, ut dicantur Baptizati suo modo, ita etiam valet, ut dicantur esse intra Ecclesiam suo modo.

Ad XI. Deficit Paganis, Judæis, ac Hæreticis manifestis, externa fidei professio; deficit externa Sacramentorum, & Sacrificiorum participatio; deficit Spiritualis, ac mystica cum aliis Ecclesiæ membris conjunctio, quæ occultis infidelibus, qui intrinsecus fidei articulis contradicunt, & baptizati sunt, & sub legitimis Pastoribus permanent, non deficiunt; & ideo hi sunt in Ecclesia, & sunt membra ipsius; illi vero nec sunt in Ecclesia, nec sunt membra ipsius.

Ad XII. Verum est, quod Impii aliquando a Scriptura & a Patribus dicuntur extranei ab Ecclesia; sed hoc intelligi debet, vel de Ecclesia triumphante, vel de militante immaculata. Unde Cyprianus epist. 6. ad Magnum dicit: *In Ecclesia Dei nonnisi concordes, atque unanimes, habitabant.* Ad quæ verba subdit P. Boucat „
„ Sed eum loqui de concordia, quæ oppo-
„ nitur schismati & hæresi, liquet, cum
„ ibi agat contra Novatianos schismaticos.
„ Quam responsionem confirmat S. Augu-
„ stinus tract. 3. in epist. Joannis dicens,
„ malos esse quidem in Ecclesiæ corpore,
„ sed ut humores corruptos. „

Ad XIII. Christus quanvis rejiciendum esse diceret testimonium hominum, intelligebat tamen hominum impiorum, qui Scripturas non explicabant, sed depravabant, non vero hominum justorum, & Doctorum, qui a Scripturarum sensu non recedebant. Insuper non respuebat testimonium hominum, qui non loquerentur ut homines, sed ob assistentiam Spiritus veritatis, loquerentur potius ut dii. Denique non recipiebat testimonium hominum ut principale, & primarium, quia hoc in operibus fundabat; Unde Joannis 10. Judæis incredulis dicebat: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

Ad XIV. Sic respondet P. Boucat cum distinctione: „ Sequeretur Scripturam
„ pendere ab hominibus, quoad se, & ve-
„ ritates, quas complectitur, nego; inde-
„ pendenter enim, & antequam homines

„ in Ecclesia loquantur, Scripturæ a Spiritu Sancto inspirante, docente, & revelante, sunt: quoad explicationem, subdistingo: pendere secundum quid, & improprie, concedo: proprie, nego. In explicatione alicujus sacri textus duo sunt spectanda; mysterium scilicet, & veritas revelata, tum expositio sensus genuini; primum non pendet ab Ecclesia, secundum vero eatenus ab ea dependet, quatenus id muneris ei incumbit figere & determinare sensum divinum, quod quidem non facit, nisi ut inspirata, & a Deo adjuta; hinc tota dependentia se tenet, & ex parte Ecclesiæ, quæ a Spiritu Sancto habet infallibiliter recte proponere credenda, & ex parte audientium, qui vicissim oput habent Ecclesia, ut legitimum Scripturæ sensum discant. „

Ad XV. dicimus, quod continetur implicite & obscure; Ecclesia autem exponit ac definit explicite & expresse; & hinc est, quod quæ proponit non aliena a Scriptura, sed secundum Scripturam ipsam proponit.

DISSERT. CCLXXXIX.

De Ecclesia. An Ecclesia fuerit in omni Legis statu, & an extra ipsam fuerit salus? Notæ Ecclesiæ quænam sint; & quænam sint pariter proprietates ipsius?

Dicimus I. Ecclesiam fuisse in lege naturæ, in lege scripta, & in lege Evangelica esse perfectiorem.

Prima Conclusionis pars I. Probatur ex Scripturis. Eccles. 17. de primis Parentibus dicitur: *Disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus*; Quibus verbis intelligitur Religionem fuisse cum primis Parentibus concreatam; sed nomine Ecclesiæ venit Religio, per quam homines unam fidem profitentur, & unum Deum agnoscunt: ergo &c. Sapientiæ 9. *Per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio. Hæc illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Quæ verba pariter de primis Parentibus intelliguntur ab Irenæo lib. 3. adversus hæres. cap. 34. a Tertulliano lib. 2. contra Marcionem, ab Epiphanio hæres. 46. ab Ambrosio lib. 10. in Lucam cap. 26. ab Augustino Epist. 99. Genesis 4. *Obtulit de primogenitis Gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Sermo est de Abele, qui per sacrificia, quæ offerebat, Ecclesiam cum Parentibus suis constituebat. Insuper Genesis etiam 4. dicitur de Enos: *Iste cœpit invocare* nomen Domini; hoc est ritu solemniori. Et Genesis 5. dicitur de Henoch: *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit.* Et Genes. 8. dicitur de Noe, quod obtulit holocaustum, quod Domino placuit: *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ.* Exodi 3. Deus dicitur *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*; quibus verbis significat Deus, quod hi omnes placuerunt sibi, & constituerunt Ecclesiam suam.

II. Probatur ex Patribus. Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 1. docet, in lege naturæ fuisse Sacramenta: ergo fuit Ecclesia. En sua verba: *Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse.* Insuper de Deo hæc asserit: *Erat condens naturam, & largiens gratiam.* Quæ verba creationem primorum Parentium connotant. Gregorius Magnus homil. 19. in Evangelia: *Quis Patrisfamilias similitudinem rectius tenet, quam Conditor noster .... qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites emisit.* Insuper Augustinus conc. 3. in psalmum 36. *Omnes, qui ab initio seculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus;*

& in

& in ejus fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos: ut esset & ipse totius Caput Civitatis Jerusalem. Idem docet epistola 102. alias 49. & ante ipsum Eusebius lib. 1. hist. cap. 4.

III. Probatur rationibus. I. In lege naturæ erant sacrificia & sacramenta: ergo erat vera Ecclesia. Antecedens probatur, quia quod fuerint sacrificia ex pluribus Scripturæ locis habemus, ut dictum est; Sacramenta autem etiam fuerunt, & præcipue illud, quod erat in Originalis peccati remedium, quia aliter homines sine remedio fuissent. II. Ecclesia est omnium credentium aggregatio; sed in lege naturæ fuerunt credentes: ergo in lege naturæ fuit Ecclesia. Minor patet, Qui habebant fidem in Mediatorem venturum. III. Deus vult omnes homines salvos fieri: ergo ab hac universali propositione excludi non debent homines, qui in lege naturæ vivebant; sed salvi esse non poterant, nisi in Ecclesia fuissent: ergo in illo statu fuit Ecclesia. IV. Deus cum hominibus justis, qui in illo statu vivebant, familiariter tractabat, eis enim loquebatur, occulta pandebat, gratias largiebatur, aliaque multa faciebat, quæ hominibus sibi non placentibus facere non poterat; sed hi nec sibi poterant placere, nisi intra Ecclesiam essent: ergo &c.

Secunda Conclusionis pars I. Probatur ex Scripturis. Genesis 17. Deus dedit Abraham & posteris ejus circumcisionem, per quam & a cæteris Gentibus, quæ non erant in Ecclesia distinguerentur, & sibi, & cultui ejus arctius obligarentur. *Dixit iterum Deus Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, & vos*. Unde Apostolus ad Rom. 4. vocat Circumcisionem *signaculum justitiæ fidei*; & ad Coloss. 11. ait præfigurasse gratiam Christi. Deuteron. 17. dixit Deus: *Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis .... Facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus. Et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis morietur homo ille*. Insuper Levitici 8. describitur consecratio Aaron Sacerdotis, & Levitarum; quæ omnia absque Ecclesia evenire non poterant.

II. Probatur ex Patribus. Augustinus tract. 45. in Joannem: *Ante adventum Domini nostri Jesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt justi, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non fides .... Mutatus est sonus venturus est, & venit: eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos, qui venturum esse, & eos, qui eum venisse crediderunt*. Et lib. de catechizandis rudibus cap. 19. *Omnes sancti, qui ante Domini nostri Jesu Christi nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati sunt, tamen universo corpori, cujus ille caput est, sub capite cohæserunt*. Hieronymus explicans verba illa Matth. 21. *Turbæ, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*, sic tom. 4. part. 1. p. 95. scribit: *Ostendit, utrumque populum, & qui ante Evangelium, & qui post Evangelium, Domino crediderunt, consona Jesum confessionis voce laudare*. Et ad cap. 48. Ezechielis: *Nomen ipsius Civitatis nequaquam erit, ut prius, Jerosolyma, quæ interpretatur visio pacis; sed Jehova bascham, quod in latinum sermonem vertitur, Dominus ibidem: qui recedat unquam ab ea, ut a priori populo ante discessit, dicens ad discipulos: Surgite, abeamus hinc: & ad Judæos: Relinquetur domus vestra deserta: sed æternam habeat possessionem, & sit ei possessio, iisdem discipulis repromittens: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Chrysostomus serm. de Pentecoste: *Propter Ecclesiam Prophetæ; propter Ecclesiam Apostoli: & quid plura dicam? Propter Ecclesiam Unigenitus Dei Filius homo factus est, sicut dicit S. Paulus: Qui proprio filio non pepercit, ut Ecclesiæ mederetur; sanguinem filii effudit propter Ecclesiam. Hic sanguis irrigat Ecclesiam; & ideo plantaria ejus marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta ejus, non subjacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, ut per æstatem coma filiorum tegatur, hyeme amittatur. Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam Sancti gratia gubernat: & ideo non senescit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur*.

III. Probatur rationibus I. In lege scripta fuit summus Sacerdos, qui primus fuit Aaron, cui deinde alii successerunt; fuerunt Sacerdotes & Levitæ; sed hi componunt Ecclesiam visibilem: ergo in lege

scripta fuit vera Ecclesia. II. Fuerunt pariter in Lege scripta sacrificia diversorum generum, ut legitur Levitici cap. 1. 2. 3. 4., & 5. ergo pariter in eadem lege erat vera Ecclesia. III. In eadem lege fuerent vera Sacramenta; hoc est signa gratiæ, quibus homo præparatur ad colendum Deum, vel per modum ministri, vel per modum suscipientis: ergo fuit vera Ecclesia & quidem Innocentius III. cap. Majores de majoritate &c. ut Sacramentum agnoscit circumcisionem; & Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. docet: *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coadunari homines posse, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* IV. In lege veteri multæ fuerunt festivitates institutæ ad colendum Deum: ergo erat vera Ecclesia; quia hujusmodi festivitates celebrari non poterant, nisi a fidelium cœtu ad colendum Deum ordinato & congregato, qui constituit Ecclesiam. V. In lege scripta omnes erant credentes Deum, & futurum Mediatorem, & hunc exspectabant, & in ejus fide vivebant vel explicita, vel implicita; sed hi sufficiunt ad constituendam Ecclesiam: ergo &c.

Tertia Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et cap. 18. *Si te non audierit ... dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Actur. 20. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ad Romanos 12. *Salutant vos omnes Ecclesiæ.* 1. ad Corinth. 11. *Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei .... Convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse ..... Nunquid domos non habetis, aut Ecclesiam Dei contemnitis.* Et cap 12. 27. & 28. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes.* Ad Ephesios 5. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus Christi .... Christus est caput Ecclesiæ .... Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam.* Et Apocalyp. 1. *Joannes septem Ecclesiis.*

II. Probatur ex Patribus. Irenæus lib. 3. adversus hær. cap. 3. *Quoniam valde longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo, Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per libri placentia, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Eusebius Cæsarensis de præparat. Evangelica lib. 1. cap. 3. *Certum est igitur Salvatorem nostrum prædixisse doctrinam suam, in testimonium omnium gentium, per universum terrarum orbem prædicatum iri, & Ecclesiam, quæ postea virtute sua constituta est, invictam, atque inexpugnabilem fore; nec unquam futurum, ut a morte superaretur; sed firmam fore semper & immobilem, tanquam in lapide stabilitam atque fundatam, cujus divinationis effectus omnem impudentissimam linguam vana contradicentem profecto arcere potest. Quis enim non fatebitur, cum sic aperte rerum eventus divinationi congruat, Dei virtutem, non naturam illam humanam fuisse, quæ & futura hæc prævidérat, & re ipsa perfecit, quæ verbis prædixerat? Jam enim sui Evangelii fama totum ab Ortu ad Occasum Orbem implevit, omnesque gentes adiit, crescitque, in dies prædicatio sui. Ecclesia etiam hoc nomine ab ipso donata, radices egit, ac usque ad astra sanctorum Virorum orationibus glorificata, luce, ac fulgore Orthodoxæ fidei splendet, neque hostibus terga dat, neque ipsis januis mortis cedit, propter pauca verba, quæ ille protulit: Super lapidem ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus ipsam.* Chrysostomus ad psalm. 147. *Ecclesiam Deus munit validius quam Hierusalem, non vectibus & portis, sed cruce circumseptam, & renuntiatione propriæ voluntatis. per quam ubique ejus excitavit ambitum, cum dixit: Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam. In principio itaque Imperatores, & Reges omnes, & populi & Civitates, & dæmonum phalanges, & ipsa Diaboli tyrannis, & alia innumerabilia invaserunt Ecclesiam, illa tamen omnia fracta & dissoluta sunt, & interierunt: Ipsa autem crevit, & in tantam provecta est altitudinem, ut ipsos etiam cœlos superaverit.* Augustinus contra Epistolam fundamenti cap. 4. *Multa sunt, quæ me justissime tenent in Ecclesiæ Catholicæ gremio: tenet consensio populorum, & gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata; spe nutrita;*

ubi

charitate aucta; vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, usque ad præsentem Episcopum, successio Sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum, audeat ostendere.

III. Probatur rationibus. I. Ubi est ordo Ministrorum laudantium Deum, & Deo servientium, ibi est Ecclesia; sed in lege Evangelica talis est ordo Ministrorum: ergo in lege evangelica est Ecclesia. Major patet, quia Ecclesiæ nomine venit Ministrorum acies ad Deum colendum ordinata. Minor vero probatur ex Athore libri de Ecclesiastica Hierarchia, qui creditur Dionysius Areopagita cap. 1. *Illud tamen dicere necesse est, quomodo cum ille, tum omnis, qui modo a nobis deprædicatur sacer ordo, unam habeat, eamdemque in omni sacra sua functione virtutem, ut & ipsemet sacri Ordinis Antistes pro sui status, dignitatis, atque ordinis, ratione, divinis initietur, ac Deo uniatur.* II. In lege Evangelica est hominum congregatio, cujus est fidem Christi propagare ac propugnare, & errores contra ipsam insurgentes rejicere ac propulsare; sed hæc venit nomine Ecclesiæ: ergo in lege evangelica est Ecclesia. Major constat enumeratione Conciliorum, quæ in Ecclesia Christi congregata sunt, vel ad veritates Catholicas defendendas, vel ad contrarios errores eliminandos. III. In lege evangelica est cœtus institutus ad cultum vero Deo exhibendum, & quidem per festivitatem per jejunia, aliosque ritus & cærimonias sacras; sed hic est Ecclesia: ergo &c. Major negari non potest, quia illam experientia illa demonstrat. IV. In lege evangelica sunt vera sacramenta, & verum est sacrificium: ergo est vera Jesu Christi Ecclesia. Consequentia vere infertur, quia ex Sacrificiorum, & Sacramentorum existentia in lege naturæ, & in lege scripta, Ecclesiæ etiam existentia inferebatur. Antecedens, quando de Sacramentis agetur, probabitur.

Quarta Conclusionis pars, quod scilicet Ecclesia novi Testamenti sit cæteris perfectior; I. Probatur ex Scripturis. Ad Ephesios 2. *Jam non estis hospites & advenæ; sed estis Cives Sanctorum, & Domestici Dei: super ædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Non est autem alia Ecclesia, quæ habeat pro fundamento Prophetas & Apostolos, & pro angulari lapide Christum Jesum: igitur quæ habet, perfectior est cæteris. Insuper ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Quum igitur Ecclesia evangelica nata sit ex latere Christi, opus est, ut aliis Ecclesiis sit perfectior. Ulterius ad Hebræos 7. dicit Apostolus: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*: ergo e contra omnia ad perfectum adduxit evangelium; Unde Joan. 1. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

II. Probatur ex Patribus. Tertullianus in Apologetico cap. 45. *Nos ergo soli innocentes. Quid mirum, si necesse est? Enim vero necesse est innocentiam a Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto magistro revelatam, & fideliter custodimus, ut ab incontemptibili dispectore mandatam. Vobis autem humana æstimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperavit. Inde nec plana, nec adeo timenda estis disciplinæ ad innocentiæ veritatem. Quanta est prudentia hominis ad demonstrandum quid vere bonum? Quanta auctoritas ad exigendum? Tam illa falli facilis, quam ista contemni. Atque adeo, quid plenius dictum est: Non occides, an etiam ne irascaris quidem? Quid perfectius prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? Quid eruditius de maleficio, an & de maleloquio interdicere? Enim vero nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentiæ occurrimus.* Hieronymus ad cap. 60. Isaiæ: *Ecclesia dicitur: Surge, illuminare, ut quæ cecidit in incredulis, surgat in fidelibus; quæ cecidit in Synagogis, surgat in Ecclesiis; & postquam surrexerit, illuminetur; ut nequaquam habeat erroris tenebras.* Augustinus ad psalm. 47. *De hoc alibi dicitur. Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde. In his magnus Dominus & laudabilis valde, hoc est, in Civitate Dei nostri in monte sancto ejus. Hæc est civitas in monte posita, quæ abscondi non potest. Hæc est lucerna, quæ sub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata: non autem universi cives ejus sunt; sed illi, in quibus magnus Dominus, & laudabilis*

val-

valde. Quæ est ergo ista Civitas, videamus; ne forte, quia dictum est: In civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, debeamus quærere istum montem, ubi etiam exaudiri possimus &c. Sed forte ista Civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur. Absit: Deus fundavit eam in æternum. Si ergo Deus eam fundavit in æternum, quid times, ne cadat fundamentum? Et epist. 190. alias 157. *Profecto quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita & in regno vitæ nemo sine Christo.*

III. Probatur rationibus. I. Gratia & veritas perfectior est, quam lex, sed veritatem & gratiam habemus per Ecclesiam Evangelicam: ergo hæc est perfectior Ecclesia quam, quæ fuit in legæ naturæ, & in lege Musaica. Minor habetur Joannis I. *Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.* II. Perfectior est Ecclesia, in qua Deus loquitur per Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, quam illæ, in quibus loquebatur per Propheras; sed in Lege Evangelica loquitur per filium suum, & in aliis loquebatur per Prophetam: ergo &c. Minor habetur ad Hebræos 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in filio.* III. Perfectior est Ecclesia, in qua perfectius est sacrificium; sed in Ecclesia Evangelica perfectius est sacrificium: ergo Ecclesia ipsa est perfectior. Minor negari non potest, quia sacrificium est oblatio ipsiusmet Domini nostri Jesu Christi. IV. Perfectior est Ecclesia, in qua perfectiora sunt Sacramenta; sed in Ecclesia Evangelica perfectiora sunt Sacramenta: ergo &c. Probatur minor; quia Sacramenta novæ legis significant, & conferunt gratiam, & ex opere operato conferunt, quando illa alia significabant, & non conferebant; ut habetur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. *Septem sunt Sacramenta novæ legis; scilicet Baptismus... Quæ multum differunt a Sacramentis antiquæ legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Et Concilium Tridentinum sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam... anathema sit.* V. In nulla alia Ecclesia fuerunt tot Martyres, tot Virgines, tot Confessores, Sanctique tot, & tanti quot in Ecclesia Evangelica fuerunt: sed hoc etiam concurrit ad majorem Ecclesiæ perfectionem: ergo &c.

Dicimus II., extra Ecclesiam non fuisse, nec esse salutem, tam in lege naturæ, & in lege scripta, quam in lege gratiæ.

Prima pars, quæ est de lege naturæ probatur. In lege naturæ erat vera Ecclesia, in qua qui comprehendebantur, tenebantur fidem profiteri in Mediatorem venturum, saltem implicite; sed ex Apostolo ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: ergo in lege naturæ pro iis, qui erant extra Ecclesiam non erat salus.

Secunda pars conclusionis probatur etiam. In lege scripta erat pariter obligatio credendi in futurum Mediatorem, saltem implicite quoad omnes, explicite vero quoad illos, quibus fiebat explicita revelatio: ergo qui hanc fidem non habebant, nec Deo placebant, nec salvi esse poterant.

Tertia Conclusionis pars probatur quoque contra Socinianos contendentes, omnes fidei articulos credere non esse ad salutem necessarium; contra pariter Jurium Ministrum, qui definit Ecclesiam congregationem multorum, convenientium in quibusdam fidei articulis, quos deinde deducit ad unum, ut unusquisque scilicet credat, Deum esse; unde putat, & Lutheranos, & Calvinianos, & Arianos, & Nestorianos, aliosque Etherodoxos, salvari posse si credant, Deum existere. Et quidem I. probatur ex scripturis. Matth. 12. *Qui non est mecum, contra me est*: Et cap. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis.* Et 1. Joannis 2. Hæretici vocantur Antichristi: *Filioli, novissima hora; & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est*: Et in epist. ad Titum cap. 3. Apostolus vult, Hæreticos esse vitandos: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita; sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Denique Paulus ad Galatas 5. ait, nihil prodesse circumcisionem, & nihilominus Cir-

cum-

cumcisio erat a Mosaica lege præcepta: *Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.*

II. Probatur ex Conciliis Nicæno I., & Constantinopolitano I., e quibus dicitur in Symbolo: *Credo in unam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Si igitur est una, non est multiplex; sed esset multiplex, si extra veram Ecclesiam esset salus: ergo extra veram Ecclesiam, quæ est Ecclesia Christi Catholica, Apostolica, Romana, non est salus.

III. Probatur ex Patribus. Tertullianus de Patribus cap. 37. *Ad eos merito dicendum est: Qui estis? Quando, & unde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique, Marcion, jure Sylvam meam cedis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio; olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo; vos certe exhæredaverunt semper, & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos:* Cyprianus epist. 40. *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum Sacerdotium, non potest. Quisquis alibi colligit, spargit.* Lactantius lib. 4. cap. 30. *Cum enim Phryges, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis; hoc est domicilium fidei; hoc templum Dei: quod si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit, a spe vitæ & salutis æternæ alienus est &c. Sed tamen quia singuli quique cœtus Hæreticorum se potissimum Christianos, ac suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram Ecclesiam, in qua est confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum num. 2. *Igitur negare non potes scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam.... In qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur.... ut jam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret:* Hieronymus epist. 14. alias 57. ad Damasum Papam: *Cathedræ Petri communione consocior... Non novi Vitalem, Meleticum respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit.* Gregorius IX. epist. 198. lib. 13. *Licet plures populi in cultum sint catholicæ fidei congregati, omnes tamen una censetur Ecclesia, dum uni Capiti Christi Vicario, & B. Petri successori cervice reverentiam exhibent. Reliqui vero, qui ejusdem capitis se non membra constituunt, quasi monstra sine capite in viam perditionis abscedunt.*

IV. Probatur rationibus. I. Ita inter se pugnant esse Christianos & esse Hæreticos, ut qui Hæretici fiunt, non debeant, nec possint amplius Christiani appellari: ergo nec quidem nomen, qui extra Ecclesiam sunt possunt usurpare Christi. Antecedens probatur ex Lactantio lib. 4. cap. 3. ubi dicit: *Cum Marcionitæ, aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt.* Item ex Tertulliano lib. de præscrip. Hæretic. *Si Hæretici sunt, Christiani esse non possunt.* Pariter ex Constantino Magno qui Arii Sectatores Christianos nominari non permittebat. Denique ex Theodosio, & Valentiniano Imperatoribus, qui legem promulgarunt, qua Hæretici Christiani nomen non permittebatur: II. Si extra Romanam Ecclesiam daretur salus, cum Hæreticis, qui extra illam sunt, permitteretur communicatio; sed non permittitur, immo prohibetur: ergo &c. Probatur minor. Irenæus lib. 3. cap. 3. testatur, quod S. Joannes Evangelista videns Cerinthum in balneo publico, statim aufugit a balneo, ne cum hæretico communicare videretur; & Hieronymus asserit, quod S. Polycardus obvium habens Marcionem, eum non salutavit, & primogenitum diaboli appellavit; Irenæus ipse noluit cum Hæreticis communicare, & Justinus eos impios & Atheos appellabat. III. Extra Romanam Ecclesiam nulla est, quæ habeat veras Scripturas; sed extra Scripturas non est salus: ergo extra Romanam Ecclesiam non est salus. Antecedens probatur ex Tertulliano lib. de præscrip. Hæretic. cap. 27. *Tenent correptas ab Apostolo Ecclesias, o insensati Galatæ! Quis vos fascinavit? Et tam bene currebatis, quis vos impediit? Ipsumque principium; miror, quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam, ad aliud Evangelium. Item ad Corinth. scri-*

ptum

ptum est, quod essent adhuc carnales, qui lacte educarentur nondum idonei ad pabulum; qui putarent se scire aliquid, quando nondum scirent, quemadmodum scire oporteret. Cum correptas Ecclesias opponunt, credant emendatas; sed & illas recognoscant, de quarum fide, & scientia, & conversatione Apostolus gaudet, & Deo gratias agit: quæ tamen hodie cum illis correptis unius institutionis jura miscent. IV. Si quæ sunt Ecclesiæ extra Catholicam Romanam, nullam habent miraculorum prærogativam, quam sola Romana Ecclesia habet; sed non potest esse salus in Ecclesiis, in quibus non sunt miracula: ergo extra Ecclesiam Romanam non est salus. Minor probatur a Tertulliano lib. de præscrip. cap. 30., ubi de Hæreticis hæc scribit: *Volo igitur & virtutes eorum proferri, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in perversum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.* V. Extra illam Ecclesiam non est salus, quam Christus fundavit, & Apostoli propagarunt; sed Romanam Catholicam Apostolicam Ecclesiam Christus fundavit, & Apostoli propagarunt: ergo extra hanc non est salus. Minorem probat Tertullianus citato lib. de præscrip. cap. 32. VI. Nequit esse salus in Ecclesiis, in quibus non est unitas pacis, sed est potius spiritus divisionis, & dissensionis; sed in omnibus aliis Ecclesiis, quæ sunt a Romana alienæ est spiritus divisionis & dissensionis, & in sola Romana est unitas pacis: ergo in nulla alia Ecclesia, præterquam in Romana potest esse salus. Minorem lato calamo prubant Tertullianus laudato lib. de præscrip. cap. 36., Cyprianus de unitate Ecclesiæ, aliique Patres.

Objiciunt I. Nequit stare Ecclesia, si suum non habeat caput, sed non est assignabile quodnam caput habuerit in lege naturæ: ergo in lege naturæ non fuit Ecclesia. II. Ecclesia necessario debet esse visibilis, sed in lege naturæ hanc visibilitatem nou habuit: ergo non fuit. III. In Synagoga nec fuit fides, nec fuit gratia; sed ubi non est fides nec gratia non est Ecclesia: ergo in Lege scripta non fuit Ecclesia. Probatur major. In Synagoga fuit tantum instructio, & præparatio quidem, ut legitur ad Galatas 3. *Lex pedagogus noster fuit in Christo*: ergo non fuit fides. Insuper gratia data est non per Moysen, sed per Dominum nostrum Jesum Christum, ut legitur Joannis 1. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*: ergo in lege scripta non fuit gratia. IV. Gratia datur nobis per sacramenta, quæ Christus Dominus instituit, & per unionem, quam habemus cum eo, qui est nostræ Ecclesiæ caput: Sed hæc nostra Sacramenta non habebant Judæi, neo habebant unionem cum Christo capite: ergo non habebant Ecclesiam. V. Ecclesia fundata est supra fidem Petri; sed hæc fides Petri in lege scripta non erat: ergo non erat Ecclesia. VI. Si fuisset in Judæis gratia, quam nos habemus, Judæi fuissent Christiani; sed hoc dici non potest: ergo in Judæis non fuit gratia, quam nos habemus: ergo non fuit Ecclesia. VII. Ecclesia definitur, quod sit cœtus, vel congregatio fidelium; sed in lege Evangelica non constat ubi sint fideles: ergo non constat ubi sit Ecclesia. Probatur minor; quia nemo cognoscit, an in aliis sit fides; & in scipso nemo scit, an odio, vel amore, sit dignus. VIII. De nostra Ecclesia non eadem apud nostros est sententia; Donatistæ enim antiquitus in sola Africa constituebant; Lutherani modo & Calviniani dicunt eam esse invisibilem; Nos contra visibilem eam volumus & sic inter nos quam maxime dissentimus: ergo vere dici non potest, quod in nobis sit Ecclesia. IX. Apud Græcos est legitima Pastorum successio; & nihilominus non est vera Ecclesia apud illos: ergo nec apud nos inferri potest ex nostra legitima Pastorum successione, quod in nobis sit vera Ecclesia. X. Ecclesia Orientalis, & Ecclesia Occidentalis, non habent eosdem ritus; sed habere debent, ut sint vera Ecclesia: ergo in nobis non est vera Ecclesia. XI. Etsi cum Romana Ecclesia non conveniant Ecclesiæ Lutheranorum, Calvinianorum &c. in quibusdam accidentalibus; conveniunt tamen in substantialibus, & fundamentalibus: ergo in his est vera Ecclesia: ergo extra Ecclesiam Romanam datur salus. XII. Etsi in Ecclesia Romana sit salus, non est tamen in illa sola, sed est etiam in illis omnibus Ecclesiis, quæ illam audiunt; sed illam audiunt omnes aliæ Ecclesiæ circa mysteria Trinitatis, Incarnationis, Sacramentorum, & gratiæ necessitatis: ergo etiam in omnibus his est salus.

Respondemus ad I., quod in lege naturæ erat Ecclesia nascens, adeoque imperfecte formata; unde non mirum si unum

non

non habebat caput, sub quo esset. Habuit quidem a principio Adamum; sed post ejus mortem vel quisque Paterfamilias erat Ecclesiæ caput in domo sua, vel omnes Primogeniti, qui ex deputatione antiquo more firmata veluti Sacerdotes erant capitis rationem implebant, vel, ut docet S.Thomas 3. par. qu. 60. ar. 5. ad 3., interius homines movebantur ad signum aliquod sensibile assumendum, quo fidem suam profiterentur. *Sicut in statu legis naturæ, homines, nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur.*

Ad II. In lege naturæ Ecclesia non habebat visibilitatem quoad corpus, quod adhuc non erat bene formatum, habebat tamen quoad ritus, quia visibilia sacrificia habebat, ut videre est in Abele, in Noe post diluvium, in Abrahamo, in Jacobo, in Job etiam, de quibus omnibus Scriptura asserit, sacrificia visibilia Deo attulisse. Corpus autem, etsi tunc esset imperfecte formatum, perfecte tamen deinde formatum fuit in lege scripta, & in lege gratiæ perfectissimum evasit.

Ad III. Negatur, quod in Synagoga non esset nec fides, nec gratia; testatur enim scriptura, quod Abraham per fidem placuit Deo, & illi imputata fuit ad justitiam; gratia etiam & sanctitas tanta fuit in Patriarchis, & Prophetis, ut illis Deus se sæpissime communicaverit, seque dixerit: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* Ad loca autem scripturæ cum distinctione respondet P.Boucat: „ Lex
„ Pedagogus erat ad instructionem de my-
„ steriis, & promissionum Abrahæ facta-
„ rum confirmationem, concedo; ad ip-
„ sam fidem suscipiendam, subdistinguo;
„ fidem perfectiorem, concedo: fidem
„ ipsam, itaut ipsa carerent Judæi, nego.
„ Solutio est ipsius Apostoli, qui ad Rom.
„ 4. ait de fide Abrahæ: *Credidit Abraham,*
„ *& reputatum est illi ad justitiam.* Igitur lex
„ eatenus erat pro Judæis Pedagogus, qua-
„ tenus eos edocebat justificari per fidem
„ in Christum venturum, a quo & pro-
„ missam æternitatem erant accepturi. Sic
„ interpretatur locum Apostoli S.Thomas
„ comm. in cap. 3. epist. ad Galatas: *Per*
„ *legem, inquit, Judæi tanquam imbecilles*
„ *pueri per timorem pœnæ retrahebantur a ma-*
„ *lo, & promovebantur amore & promissione*
„ *temporalium, ad bonum; Judæis autem pro-*
„ *missa erat benedictio futuri seminis de hære-*
„ *ditate obtinenda, sed nondum advenerat tem-*
„ *pus ipsius hæreditatis consequendæ, & ideo*
„ *necessarium erat, quod conservarentur usque*
„ *ad tempus futuri seminis, & cohiberentur ab*
„ *illicitis, quod factum est per legem.*

Ad IV. Judæi habebant fidem & gratiam per Christum; sed non præsentem, at vero promissum, atque venturum; sicque differentia erat tantummodo in modo, qui tamen modus maxime præstabilis est, & efficacior apud nos, quam apud illos; quia apud illos non dabat actu hæreditatem sicut dat gratia novæ legis, quæ proinde est illa abundior & efficacior. Unde dicebat Augustinus tract. 45. in Joannem: *Ante adventum Domini nostri Jesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt Justi, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non fides... Mutatus est sonus, venturus est, & venit: eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos, qui venturum esse, & eos, qui eum venisse crediderunt.* Et epist. 140. alias 120. cap. 2. num. 5. *Quando felicitatem temporalem agebant, æternam veram & præferendam intelligebant; & istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in præmio.*

Ad V. dicitur, quod Ecclesia novi Testamenti fundata est supra fidem Petri non autem Ecclesia in lege scripta, quæ fundata erat in fide Patriarcharum; quod respexit Hieronymus, quando dixit: *Ostendit utrumque populum, & qui ante Evangelium, & qui post Evangelium, Domino crediderunt, consona Jesum confessionis voce laudare.* Quæ verba retulimus supra.

Ad VI. distinguitur sequela: Judæi fuissent Christiani, imperfecte, & inchoative, conceditur: perfecte & completive, negatur. Ut enim ait P.Boucat: „ Cum ad
„ nihil perfectum, teste Apostolo, addu-
„ ceret lex, & denominatio a perfectiori
„ desumatur, nonnisi inchoative veteres
„ Judæi erant Christiani, vere tamen, quia
„ ad Christum lex terminabatur, & fides
„ viva in Christum justificabat impios. Sic
„ docet Eusebius lib. 1. hist. cap. 4. *Cum*
„ *Christiani nomine, inquit, nihil aliud signifi-*
„ *cetur, quam vir, qui, qui per Christi cogni-*
„ *tionem, atque doctrinam, modestia, justitia,*
„ *tolerantia, fortitudine, & pietatis, cultusque*
„ *unius, qui super omnia est, Dei professione or-*
„ *dinatus est; hæc omnia veteres illi non minus*
„ *studiose, quam nos excoluerunt.* Concinit
„ S. Augustinus lib. 3. contra duas Episto-

„ las Pel. cap. 4. Cæterum reprobi Judæi,
„ sed non justi Christum odio habent,cum
„ & vivente Christo ex eis quamplurimi
„ ipsi adhærerent.

Ad VII. Ad sciendum, num quis in se ipso sit odio vel amore dignus sufficit certitudo moralis, quam nos possumus habere, non vero requiritur certitudo physica, quam exigunt Protestantes, & qui proinde a Tridentino anathemate feriuntur sess. 2. can. 12. 13. 14. 15. 16. Idem dicitur a fortiori de fide & gratia, quam habent alii; & quamvis inter hos sint aliqui hypocritæ, sufficit tamen, quod non sint omnes, adeoque sint veri fideles, qui constituant Ecclesiam Christi.

Ad VIII. De nostra Ecclesia, quæ est Romana eadem est apud nos omnes sententia, quod scilicet sit vera Ecclesia, quia est Apostolica, Catholica, una. De Synagogis autem Sathanæ, quæ sunt aliarum Sectarum Pseudo Ecclesiæ, nihil ad nos; quia illas omnes rejicimus, & in eo solum charitatis affectu diligimus, ut ad agnitionem veræ fidei convertantur.

Ad IX. Apud Græcos valida quidem est Pastorum successio, sed non licita; quia quum a Romana Ecclesia se separaverint, nullam habent potestatis jurisdictionem, quam a solo Romano Pontifice, ut ab Ecclesiæ capite recipere possunt & debent; habent tamen potestatem ordinis, quia in eis remansit character ordinis, adeoque possunt Presbyteros, & Episcopos consecrare. Responsio eruitur ex Irenæo lib. 3. cap 3. *Ad hanc enim Ecclesiam*, Romanam, *propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio. Hac ordinatione & successione, ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconiatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hac ostensio, unam & eandem vivificatricem fidem esse, qua in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata & tradita in veritate.*

Ad X. Etsi in utraque Ecclesia non sint iidem ritus, quoad modum, & circumstantias aliquas accidentales, sunt tamen iidem quoad substantiam. Et ratio est, ut ait P. Boucat; quia „ Servatur in
„ utraque ordo Hierarchiæ, tum conse-
„ crando Episcopos, tum inter Ordinan-
„ dum Sacerdotes: idem peragitur sacrifi-
„ cium, eadem conficiuntur Sacramenta:
„ quod vero quædam fusiores preces fun-
„ dantur pro Sacramentorum confectione
„ in una Ecclesia, & novi addantur ritus,
„ qui non sunt idem in altera, parum, aut
„ nihil absolute refert, cum ubique intacta
„ maneat confectio mysterii.„

Ad XI. Omnes fidei articuli uno Dei verbo innituntur, unde omnes sub præceptum cadunt, ut a nobis credantur; etsi aliqui credi debeant explicite, alii vero implicite. Inter hos articulos sunt quidem aliqui eminentiores, uti mysterium Trinitatis, Incarnationis &c., sed non per hoc alii non admitti, vel negari, vel non credi, impune possunt.

Ad XII. dicitur, quod non audiunt in necessariis, ut falso asserit Jurius; de quo dicit P. Boucat: „ Cæcutit Jurius dum
„ hoc propugnat, neque enim ipse, &
„ sectæ suæ confratres, in necessariis ad
„ salutem audiunt Ecclesiam; primo ab
„ ea divulsi sunt nec capiti Ecclesiæ Sum-
„ mo Pontifici obediunt; Secundo reali-
„ tatem corporis Christi in Eucharistia ab-
„ nuunt, justificationem imputativam, &
„ gratiam necessitantem propugnant; tum
„ & alios habent nævos, quos hic texere
„ non opus est. Cæterum non credunt fi-
„ cut oportet: hinc ab ipsa fide excidunt.
„ Ad probationem ulteriorem ejusdem
„ minoris respondeo distinguendo: Pro-
„ testantes retinent momenta essentialia
„ aliqua, concedo: omnia, nego; immo
„ vel ipsa capitalia mysteria non credunt
„ fide divina, sed solum humana.„

Dicimus II. Veræ Ecclesiæ notas esse quatuor, scilicet quod sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.

De prima nota I. Probatur ex Scripturis: Joannis 10. Ecclesia est ovile; ad Ephesios 5. Ecclesia est sponsa; Canticorum 6. Ecclesia est Columba. 1. ad Corinth. 12. Ecclesia est corpus; sed ovile est unum, sponsa est una, una est columba, unum est corpus: ergo Ecclesia est una. II. Ecclesia comparatur a Patribus cum arca Noe, cum Domo, comestionis Paschalis Agni, cum Christi veste; sed una fuit arca Noe, una Domus comestionis Paschalis Agni, una & indivisa Christi vestis inconsutilis: ergo Ecclesia est una. III. Una est fides, & unum baptisma; eadem sunt Sacramenta; iidem sunt Pastores, non quidem numero, sed missione, sed successione, sed ministerio: ergo una est Ecclesia.

De Secunda nota Probatur I. Ecclesia est Sancta Sanctitate vocationis, quia voca-

ta

ta est ad sanctitatem; sanctitate professionis, quia fidem sanctam & mores sanctos profitetur; sanctitate interna, quia Infantes post baptismum receptum sancti sunt; adulti, qui nunquam ceciderunt, & permanserunt semper in innocentia, sancti sunt adulti quoque qui aliquando ceciderunt, & per pœnitentiæ Sacramentum surrexerunt, sancti quoque sunt: ergo sancta est Ecclesia. II. In Ecclesia fuerunt Martyres innumerabiles, quorum fortitudo fuit maximum sanctitatis argumentum; fuerunt Doctores, quorum sanctitatem etiam Hæretici commendant; fuerunt Episcopi, qui dotes omnes possederunt, quas exigit Apostolus in Episcopis, ut sint sancti; fuerunt Cænobitæ, Virgines, laici quoque in omnibus fere omnium statibus, quorum vita inculpabilis erat, & mores sancti: ergo sancta erat pariter Ecclesia, quæ ex istis constituebatur.

De tertia nota I. probatur ex Augustino contra epist. Fundamenti cap. 4. *Tenet me ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen Peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniant, nullus Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Et serm. 31. de tempore: *Sola igitur vera Christi Sponsa Ecclesia nominis Catholici honorem semper & ubique retinuit.* Et lib. de vera Religione cap. 7. *Tenenda est nobis christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur.* Ex Cyrillo Jerosolimitano catechesi 18. *Si forte veneris in civitatem, non simpliciter interroga, ubi sit Dominicum, seu Domus Domini; nam etiam Hæretici suas speluncas domum Domini nominare volunt: nec petas ubi sit Ecclesia Dei; sed ubi Catholica Ecclesia; hoc enim nomen proprium est hujus sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrorum.* Ex Paciano epist. 1. ad Sympronianum: *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen. Illud me nuncupato, hoc ostendit. Hoc prodor, inde significor .... Ego forte ingressus populosam urbem, hodie quam Marcionitas, quam Apollinaristas, Cataphrygas, Novatianos, & cæteros hujusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?* II. Quia Apostoli in ipsorum Symbolo Catholicæ nomen veræ Ecclesiæ dederunt: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*; quod pariter usurparunt Concilia Generalis Nicœnum I., & Constantinopolitanum I. *Credo in unam sanctam Catholicam Ecclesiam.* III. Quia pariter Patres asserunt fuisse confirmatum hoc nomen, ut vera Ecclesia ab Hæreticorum Synagogis distingueretur; Hæretici enim se Christianos esse jactabant; unde Pacianus epist. 1. ad Sympronianum scribebat: *Cum post Apostolos hæreses extitissent, diversisque nominibus columbam Dei, atque Reginam lacerare, & per partes scindere niterentur, cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem.*

De quarta nota probatur I. Ecclesia credit, quod fuit Apostolis revelatum: ergo ex hoc capite doctrinæ vera Ecclesia dicenda est Apostolica probatur antecedens. Ecclesia credit, quod ipsam docuerunt Apostoli; sed ipsam docuerunt Apostoli illud idem, quod fuit ipsismet revelatum: ergo &c. Unde Tertullianus in lib. de Præscript. *Apostoli Ecclesias, apud unamquamque Civitatem condiderunt a quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cætera exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum.* II. Vera Ecclesia regitur a legitimis Apostolorum successoribus: ergo dicenda est etiam Apostolica ob authoritatem, & non solum ob doctrinam; Unde Cyprianus epist. 69. *Ecclesia plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.*

Dicimus III.; Proprietate Ecclesiæ esse visibilitatem, indefectibilitatem, infallibilitatem.

Et quidem de visibilitate, & infallibilitate Ecclesiæ, diximus nuper, & eas quoque pro viribus probavimus. Dicendum itaque solum remanet de ejusdem indefectibilitate, quæ probatur I. ex Scripturis veteris Testamenti, seu ex Prophetarum vaticiniis. Isaiæ 6. *Fœdus perpetuum feriam eis, & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Ezechielis 37. *scient gentes, quia ego sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Et Danielis cap. 2. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri non tradetur.* II. probatur ex scripturis novi Te-

stamenti. Ecclesia est area, quæ perdurabit usque ad finem seculi, Matth. 3. *Aream suam permundabit, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*: Est ager, qui stabit usque ad mundi finem; Unde Christus inquit: *Sinite utramque crescere usque ad messem. Messis autem consummatio seculi est*: Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, quæ deficere non potest, sicut ait Apostolus ad Timoth. scribens: *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est columna, & firmamentum veritatis*.

Objiciunt I. Vera Ecclesia comprehendit omnes Ecclesias, quæ sunt per Orbem terrarum diffusæ; se omnes Ecclesiæ, quæ sunt per Orbem terrarum diffusæ, non sunt una Ecclesia: ergo vera Ecclesia non est una. II. Ecclesia indiget reformatione, ut in pluribus Conciliis videtur factum: ergo non est sancta. III. Ecclesia elapsis temporibus accusata fuit plurium errorum: ergo, illis vel occasionem dando, vel vere illos committendo, suam amisit sanctitatem. IV. Donatistæ, Ariani, aliique veteres Hæretici, se etiam Catholicos appellabant: ergo quod sit Catholica, non est nota solius veræ Ecclesiæ. V. Ecclesia Romana ob schisma Græcorum, & ob separationem Lutheranorum, Calvinianorum, aliorumque Novatorum, multum est imminuta: ergo amisit Catholicæ nomen. VI. Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Bucerus, &c. fuerunt valide & licite ordinati in Ecclesia Romana: ergo missionem ordinariam habuerunt, ut Ecclesiam reformarent. VII. Episcopi Romanæ Ecclesiæ non habent missionem a Deo; tum quia, ut plurimum a Regibus eliguntur; tum quia aliquando per simoniam in Cathedras ascendunt; tum denique, quia in quibusdam locis eliguntur a Canonicis, quorum institutio non est divina, sed humana tantum. VIII. Ecclesia defecit in Adamo & Eva, quando peccaverunt; defecit insuper in lege naturæ, quando paucissimi erant fideles; defecit quoque quando Moysis tempore aureum vitulum adorarunt; defecit denique quando Elias dixit 3. Regum 19. *Derelictus sum ego solus*. XI. Apostolus docet, quod Antichristi tempore erit generalis apostasia nempe 2. ad Thessalonic. 2. *Ne quis vos seducat ullo modo; quoniam nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo Dei sedeat, &c.* X. Arianorum tempore totus fere orbis factus est Arianus; unde Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, agens de Concilio Ariminensi, hæc habet: *De Usia vero nomine objiciendo verisimilis ratio præbebatur: quia in Scripturis non invenitur, & multos simpliciores novitate sua scandalizat, placuit auferri.... His ita gestis Concilium solvitur.... Ceperunt postea Valens & Ursacius palmas suas jactare, dicentes, se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis. Tunc Usia nomen abolitum est. Tunc Nicena fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est*.

Respondemus ad I. Ecclesiam Romanam esse unam, quatenus est una particularis sedes, a Petro Romæ primo constituta; Cæteræ vero Ecclesiæ per terrarum Orbem diffusæ, quatenus dicunt ordinem ad illam, & pariter subordinationem observant, tanquam ad ipsorum caput, faciunt etiam unam, sed unam unitate ordinis, & unitate subjectionis, non vero unam unitate numeri.

Ad II. Reformatio, quam præceperunt Concilia faciendam esse in Ecclesia, fuit pro disciplina, & non pro fide, cujus dogmata a principio usque ad ultimum inconcussa semper remanserunt, ac immutabilia perseverabunt. Et si quid implicite revelatum, fuit ab Ecclesia explicite declaratum, ac definitum. Hoc nullo modo dici potest reformatio, sed solummodo expositio, vel explicatio.

Ad III. Accusatores nostri fuerunt semper inimici nostri, quos tamen Deus nunquam permisit, ut facti fuerint Judices nostri; videlicet Hæretici tam antiqui, quam recentes, fideles de multis accusabant; sed hoc non est Ecclesiam accusare; quia vel errores, & crimina Ecclesia reprobabat, si erant vera & non poterat de iisdem Ecclesia accusari, sed tantum privatæ alicujus personæ, quæ illa committebant. Et quia revera erant falsa, nullum proinde ex illis Ecclesiæ præjudicium inferebatur. Nunquam tamen illa Ecclesia approbavit.

Ad IV. Synagogæ illæ Sathanæ se ipsas vocabant Catholicas hoc nomine proprio marte sumpto, sed neutiquam sic ab aliis vocabantur. Vera Ecclesia Catholica ab omnibus dicta est, quia ejus nomine etiam illi, qui a nobis extorres erant,

erant, non aliam, quam nostram Ecclesiam intelligebant.

Ad V. Si quæ nationes ob schismata & hæreses a Romana Ecclesia se subtraxerunt, defectionem illarum Deus supplevit aliarum Nationum accessione; nimirum quando defecerunt Græci, Septemtrionales populi, Hungari scilicet, Sveci, Dani, Catholicam Religionem susceperunt; & quando defecit Lutherus & Calvinus, Catholici facti sunt Indi Orientales, & Occidentales, Japonenses, Brasilienses &c. Cæterum Ecclesia Romana etsi physice diminuatur in populis, qui sibi obediunt, moraliter tamen non diminuitur, quia semper habet jus & potestatem super omnes nationes & populos, qui sunt in mundo.

Ad VI. Vel dicitur, quod ordinati Presbyteri in Ecclesia Romana habent tantum missionem ad faciendum corpus Christi verum, non vero ad regendum corpus Christi mysticum: vel dicitur, quod missionem illam ordinariam amittunt, quando incidunt in schisma, vel in hæresim; uti de facto fuerunt Lutherus, Calvinus Zuinglius, atque Bucerus, qui in objectione ponuntur.

Ad VII. Episcopi a Regibus proponuntur, non eliguntur; & si eliguntur, non ordinantur; quemadmodum nec a Canonicis ordinantur, quia ordinatio Episcoporum, quæ est consecratio, a solis Episcopis fieri debet. Si qui autem sunt per Simoniam promoti, antequam in justissimam pœnam nefandi criminis deponantur, omnem a suis subditis exigere habent ac possunt subjectionem, atque obedientiam.

Ad VIII. Sic respondet Joaninus: „ Adamum & Evam non constituisse Ecclesiam, sed fuerunt Ecclesiæ initium. „ Respondeo ad secundum argumentum „ probare, perpaucos tunc fuisse veri „ Dei cultores; quod non negamus; sed „ illi per pauci cultores constituebant Ecclesiam. Respondeo ad tertium, totum „ populum Israeliticum non consensisse „ adorationi vituli aurei, eam e contra ultus est Moyses, qui tunc solus erat summus Israelitarum Sacerdos; non dum „ enim Aaron inauguratus fuerat Pontifex „ Maximus, eam quoque ulta est tota „ Tribus Levi: *Si quis est Domini*, verba „ sunt Moysis Exodi 40., *jungatur mihi*, „ *congregatique sunt ad eum omnes filii Levi*. „ Et dato quod Ecclesia in solo Elia visibiliter in Regno Israel remansisset, non „ sequeretur tamen eam omnino periisse; „ nam remanserat integra in Regno Juda; „ in eo enim Asa, ac postea Josaphat, optimi Reges, numerosissimusque populus „ sacrificia ad legis normam Jerosolymis „ offerebant: Præterea Eliæ querenti, „ quod solus remansisset, Deus sic respondit: *Derelinquam mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*. Iis responsionibus addendum est, quod quanvis daretur Ecclesiam in sola Judæorum Republica non „ nunquam visibiliter periisse, idem tamen dici non deberet de Ecclesia christiana. Ratio est, quia Deus Ecclesiæ „ Judaicæ perpetuam stabilitatem non promiserat, quam tamen Christianæ expresse pollicitus est. „

Ad IX. Negatur, quod Antichristi tempore erit generalis fidelis Populi discessio; quia, ut Christus docuit, propter electos dies illi breviabuntur: ergo erunt electi. Insuper dicit Scriptura, quod tunc temporis erit discessio a trunco: ergo remanebit truncus, cujus nomine venit Ecclesia.

Ad X. Tempore Concilii Ariminensis & si plures Orientales starent contra fidem Nicænam, Occidentales autem fere omnes stabant pro illa; Et si omnes etiam Ecclesiæ sequutæ fuissent Arianorum partem, satis tamen fuisset pro fide Catholica Ecclesia Romana, quæ est depositi custos, & cujus fides in æternum manebit; quia portæ inferi nunquam contra eam prævalebunt.

DISSERTATIO CCXC.

De Romano Pontifice. An Petrus Romæ fuerit, an ibidem sedem fixerit, & an primatum in universa Ecclesia a Christo habuerit? An primatum Romanus Pontifex, si sit legitimus Petri successor, habeat in Ecclesia? Quo jure, divino, an humano? Et an sit primatus honoris tantum, & præeminentiæ, an vero etiam jurisdictionis?

ERrores hic primo loco enumeramus, quibus sive veteres, sive recentes Etherodoxi Ecclesiæ primatum Beato Petro negarunt, cui Romani Pontifices pleno jure succedunt, & eidem quoque Romano Pontifici eripere conati sunt; ut deinde ejusdem possimus primatum authoritatibus & rationibus defendere, ac vindicare.

Primo loco ponimus Marsilium Patavinum, qui in Apologia ad Ludovicum Bavarum asserit, Petrum immediate a Deo nullam habuisse super reliquos Apostolos aut Christi Discipulos jurisdictionem aut potestatem, qua eos vel in Sacerdotali officio ordinaret, vel ab eo segregaret; vel aliquo mitteret ad suum officium exercendum. Asserit Coccius in Thesauro catholico lib. 7. articulo 4.

Secundo Joannem Vviclefum, qui lib. de Antichristo cap.6. scribit: „ Erubescant Hæretici dicentes, quod Petrus cæteris Apostolis excellentiorem potestatem habet, quia est Episcopus Romanorum. Tres principales Apostoli non contulerunt sensum, vel notitiam Evangelii sancto Paulo; sed Jacobus, qui erat Episcopus Jerosolymis, ubi Christus fuit Episcopus, a Deo in hoc Evangelio Simoni antefertur. „ Verba sunt Vviclephi, cui subscripsit Joannes Hussus a Martino V. damnatus, dicendo art. 7. „ Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ Catholicæ. „

Tertio Martinum Lutherum, qui in assersionibus art.25. sic blasphemavit. „ Omnes Apostoli æquales fuerunt Petro, & nullum eorum ipse elegit; fecit, confirmavit, misit, aut aliquid illi mandavit. „ Huic adhæsit Calvinus, qui lib. 4. Institut. cap. 6. §. 7. asserit, Petrum fuisse unum ex duodecim, parem reliquis, socium non Dominum; neque aliud posse colligi ex Scripturis. Cui & adhæserunt Magdeburgenses, qui Centuriæ 1. lib. 2. cap. 7. fol.524. dicunt. „ Undecim adfuerunt argumenta, quibus Petri primatum destruere conantur. Idem Lutherus in colloquiis ad mensam habitis cap. de Antichristo. Omnes Historiæ testantur Petrum primum Romæ fuisse Episcopum; sed meræ sunt fabulæ. Idem Calvinus loco supracitato §. 15. dicit. Propter Scriptorum consensum non impugno, quin illic mortuus sit: sed Episcopum fuisse præsertim longo tempore, persuaderi nequeo. Et ad cap. 5. epist. 1. Divi Petri. Multi ex veteribus Romam ænigmatice Babylonem dici putarunt. Hoc commentum Papistæ libenter arripiunt, ut videatur Petrus Romanæ Ecclesiæ præfuisse. Atqui vetus illud Commentum nihil habet coloris: nec video, cur Eusebio & aliis placuerit, nisi quod errore jam occupati erant, Petrum Romæ fuisse. Et ad cap. 22. Jeremiæ: Roma nunquam vidit Petrum, ut arbitror. Iidem Magdeburgenses cent. 1. lib. 2. cap. 10. dicunt: Si Romæ fuit Petrus, cur Lucas non facit ejus mentionem? „

Quarto Udalricum Velenum, qui edito libro novendecim argumentis persuadere conatur, Petrum nunquam fuisse Romæ; & tam Petrum quam Paulum non Romæ, sed Jerosolymis esse occisos. Maledicentiæ hujus se confirmavit Jo-

annes

annes Baleus Centuria 1. Scriptorum Britanniæ, & Matthæus Dresserus in sua Historiæ millenario 5., qui ajunt, Hieronymum & Lyranum asserere, Petrum Jerusolymis esse crucifixum. Cui etiam subscripsit Henricus Büntingus in Itinarario de itineribus D.Petri. „ Credibile est, dicit hic, Petrum nunquam „ Romæ fuisse, sed aut Babylone in Ægy„ pto, ubi primam scripsit Epistolam, aut „ Jerosolymis interfectum esse ab Agrippa „ Rege, quod Linus vult. „

Quinto Berengarius postquam a Romana Ecclesia damnata fuit ejus hæresis, illam vocavit Ecclesiam Malignantium, Concilium Vanitatis, sedem sathanæ; Romanum Pontificem pompificem, atque pulpificem per probrum appellavit. Ita Lanfrancus. Valdenses videntea quoque Romanum Pontificem sectam suam improbasse dixerunt, quod Romano Pontifici non teneamur obedire, ejus decreta nullius esse momenti; totum Romanæ Ecclesiæ statum in Capite & membris damnarunt; Romanam Ecclesiam purpuratam meretricem appellarunt. Ita Conradus Urspergensis, Nicolaus Eymericus, & alii.

Sexto Gerardus Sagarellus, & Dulcinus Novariensis, dixerunt, quod tota auctoritas a Domino nostro Jesu Christo tradita, & collocata Ecclesiæ Romanæ, est omnino evacuata; & jam dudum cessavit, propter malitiam Prælatorum; & quod Ecclesia Romana, quam tenent Papa, Cardinales, Clerici, & Religiosi, non est Ecclesia Dei, sed reprobata Ecclesia. Dicunt, quod nullus Papa Romanæ Ecclesiæ potest aliquem absolvere a peccatis, nisi esset ita Sanctus, sicut fuit B.Petrus Apostolus, vivendo in omnimoda paupertate sine proprio. Dicunt quod Romana Ecclesia sit illa Meretrix, quæ a fide Christi apostavit, de qua scribit Joannes in Apocalypsi. Testatur Nicolaus Eymericus, & Guido Carmel. a Coccio relati.

Septimo Hermannus quidam Italus cum suis Fratricellis seu Bi guinis dicit, Romanam Ecclesiam esse Meretricem; Pontifices omnes post Sylvestrum fuisse impios, quod in paupertate non degissent; ideoque ipsis denegandas esse decimas. Huic adjunguntur Marsilius Paduanus, & Joannes de Janduno, qui scribebant, Christum quando in Cœlum ascendit, non dimisisse Vicarium, & ideo Papam non esse Vicarium Christi, nec esse aliis Sacerdotibus superiorem; judicari illum posse ab Imperatore, sicut Christus a Pilato; & Cæsare judicatus est.

Octavo Græci contra Romani Pontificis dignitatem, authoritatem, ac potestatem multa insaniendo, scripserunt; & quidem Anatholius Patriarcha Constantinopolitanus, fretus Urbis suæ magnitudine, & potentia, Romanæ Ecclesiæ detraxit, cæterarum sedium privilegia, & Episcoporum confirmationem ad se unum revocare, & sibi subdere, conatus est. Græci in Chalcedonensi Concilio act.16., absentibus Legatis Romanis, definiunt, Constantinopolitanum Episcopum ita secundum a Romano esse debere, ut tamen habeat æqualia privilegia. Zeno Imperator Arianis in gratiam Acacii Patriarchæ Constantinopolitani, similiter Ariani, decrevit Constantinopolitanæ Urbis Sedem privilegia, & honores omnes, super Episcoporum creationibus, & jure ante alios residendi, & cætera omnia, habere. Joannes Nestcuta Patriarcha Constantinopolitanus adversus Sedem Romanam insurrexit, & sibi Occumenici, hoc est orbis terræ, seu universalis Episcopi nomen assumpsit. Post illum Cyriacus in eadem Sede successor, idem fecit. Photius Patriarcha Constantinopolitanus ac Romano Pontifici prætulit, contra illum, & contra Latinos, Synodos celebravit; eos odio, & publicis scriptis prosecutus est. Græci aperte pronuntiant Romanum Pontificem propter additionem in Symbolo Nicœno *Filioque*, de suo gradu excidisse, & jam summum ac primum omnium Episcoporum esse Constantinopolitanum Patriarcham. Anna Comnena, Græcorum Imperatrix lib.1. histor. dicit frustra gloriari Latinos, præsidere Papam toti terrarum orbi. Cum enim sceptrum, totaque Imperii administratio inde Constantinopolim translata sit, eodem quoque Ecclesiasticam prærogativam tranlatam esse. Nilus, Thessalonicensis Episcopus, de primatu Papæ Romani duos libros (qui græce, & latine editi extant) scripsit, in quibus de potestate Papæ, & ejus primatu, quæstiones movet.

Nono. Iterum Novatores insurgunt, scilicet Joannes Vviclesus super illud Evangelii cap.37. *Cum videritis abominationem desolationis*, sic dicit: „ Romanus Pon„ tifex radix est totius malitiæ; quoniam „ mendaciis a sequela Christi degenerat. „ Ip-

„ Ipse est abominatio desolationis in abstracto „. Joannes Hussus inquit: „Papæ non imitantis vitam Christi potestas „ non est timenda; nec concedi potest, „ quod sit caput, vel Cardinalis alicujus Ecclesiæ particularis, vel universalis, nisi „ in vita Christo, & Apostolis conformetur. His non conformis, non Christi, „ sed potius Antichristi est Vicarius, & „ Bestia illa, de qua in Apocalypsi. „ Thaboritæ Romanam Ecclesiam nolunt in alias habere primatum. Lutherus in resolutionibus: „ Potestas Papæ est cerna, tartarus, simonia libidinum, pomparum, cædium, reliquarumque abominationum in Ecclesia. „ In captivitate Babylonica: „ Quo jure Papa super „ nos constituit leges? Quis dedit ei potestatem captivandæ hujus nostræ libertatis per baptismum nobis donatæ? Dico itaque neque Papa, neque Episcopus, „ neque ullus hominum habet jus unius „ syllabæ constituendæ super christianum „ hominem, nisi id fiat ejusdem consensu: quicquid aliter fit, tyrannico spiritu fit. Papatus aliquid revera nihil est, „ quam regnum Babylonis, & veri Antichristi. „ Philippus Melanchthon lib. de potest. Papæ, Romani Pontificis dignitatem, & primatum ex professo oppugnat. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 6. scribit, non esse ex Christi instituto primatum Romanæ Sedis, neque utile esse, neque fieri posse, ut unus homo universæ Ecclesiæ præsit: Papam potius Antichristum, quam Christi Vicarium esse. Magdeburgenses in singulis Centuriis ad finem capitis septimi contra Romani Pontificis primatum disputant.

Decimo fuerunt alii, & præcipue multi inter recentiores Heterodoxos, qui dixerunt Papam esse Antichristum, & quidem Vvilhelmus Aurifex Albigentium Propheta, dicebat Papam esse Antichristum, Romam Babylonem. Petrus Joannis discipulus Abbatis Joachim dixit in Apocalypsi Joannis per Babylonem meretricem magnam Romanam Ecclesiam significari. Joannes Vviclefus art. 30. in Constantiensi Concilio sess. 8. damnatus: „ Excommunicatio Papæ, vel „ cujuscumque Prælati non est timenda, „ quia est censura Antichristi. „ Pickardi de Romana Ecclesia non aliud sentiunt, quam de manifesto Antichristo, ipsam nunc bestiam, nunc meretricem illam Apocalypticam appellantes. Lutherus ad cap. 49. Genesis: „ Vulgata opinio est „ apud omnes auctores Ecclesiasticos, quod „ ex Tribu Dan venturus sit Antichristus, „ quem per colubrum intelligunt. Sed „ alienissima est ab hoc loco, & falsissima „ opinio: ac puto diabolum hujus fabulæ „ fictorem fuisse, & finxisse hanc glossam, ut nostras cogitationes a vero, & „ præsente Antichristo abduceret. Nam „ ex omnibus Scholis Papisticis, nemo est, „ qui sentiat Papam esse Antichristum. „ Calvinus ad cap. 2. posterioris ad Thessalonic. „ Quisquis e scriptura edoctus erit, „ quænam Deo maxime sint propria, & „ ex adverso intuebitur, quid sibi Papa „ usurpet, etiamsi puer sit decennis, non „ multum laborabit in noscendo Antichristo. „ Et lib. 4. Institut. cap. 7. §. 24. „ Fuerit Roma omnium Ecclesiarum mater; verum ex quo Antichristi sedes esse „ cœpit, desiit esse id, quod erat. „ Henricus Bullingerus præfat. in Apocalypsim, dicit pervulgatam esse doctrinam, Papam esse Antichristum, atque id secum jam dudum plures docuisse. Rodolphus Gualterus in homiliis de Antichristo, Pontificem Romanum esse Antichristum asserens, irridet eos, qui ponunt certum quendam hominem fore Antichristum. Matthias Flaccius Illyricus lib. adversus Primatum Papæ, in catalogo testium veritatis, & in centuriis Magdeburgensium, passim asserit Papam esse ipsissimum Antichristum. Tilmannus Hesbusius lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum: „ Dubitari, inquit, non debet, „ quin Romanus ille Tyrannus pessimus „ sit Antichristus. „

Dicimus I. Sanctum Petrum fuisse Romæ, ibique suam fixisse sedem; fuisse quoque a Christo Domino constitutum universalis Ecclesiæ caput, & supra cæteros Apostolos Primatem.

Prima conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. 1. Petri cap. 5. scribens Petrus ad Ecclesiam universalem dicit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus*, sed nomine Babylonis intelligit Romam: ergo jam Petrus erat Romæ, & Romæ ad universam Ecclesiam scribebat. Minorem restatur Papias, qui fuit Apostolorum discipulus apud Eusebium lib. 2. cap. 15. Sic & Hieronymus in lib. de viris illustribus. Immo Hugo Grotius ex Acatholicis non mediocris eruditionis homo, exponens citata verba: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in in Babylone collecta*, hæc habet: *De Babylone dissident veteres, & novi Interpretes.* Ve-

Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse, nemo verus Christianus dubitabit; novi Babylonem in Chaldæa. Ego veteribus assentio. Cui pariter adhæret contra Salmasium Pearsonius Castriensis apud Anglos Pseudo-Episcopos dissert. de successione primorum Romæ Episcoporum. Ulterius Actorum 28. scribitur de Paulo Apostolo: *Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem .... Mansit autem biennio toto in suo conducto: Et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum.* Ex quibus verbis colligitur, quod quando Paulus pervenit Romam, ibi invenit Christianos, qui ipsum in suo conducto invisebant; sed Christiani illi non poterant esse baptizati, nisi a Petro: ergo Petrus jam ante Paulum Romam pervenerat. Minor patet, quia non legitur, quod aliquis alius Apostolus Romæ fuerit, & ibidem fidem Christi prædicaverit, & Gentiles baptizaverit. Insuper ad Rom. 5. *Desidero enim videre vos, ut aliquid impetiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos.* Quæ verba non indicant Paulum voluisse conferre illis confirmationis Sacramentum, ut patet; sed voluisse illos confirmare in doctrina, quam a Petro acceperant; ut explicat Theodoretus in comment. ad cap. 1. ad Rom. *Et quia Petrus primus Evangelii doctrinam illis tradiderat, subjungit: ad confirmandos vos; quod perinde est ac si diceret: non aliam doctrinam vobis trado, sed traditam confirmare volo*: ergo jam Petrus ante Pauli adventum Romæ inveniebatur.

II. Probatur ex traditione. Patres ex 1. 2. 3. 4., & 5., seculo testantur Petrum fuisse Romæ ibique sedem suam fixisse; & inductione probatur. Ex primo seculo, quo floruit Papias jam dictus, sic de eo loquitur cit. loc. Eusebius: *Papias & hoc dicit, quod Petrus in prima epistola sua, quam de Urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropicè Romam Babyloniam nominavit, cum dicit: salutat vos ea, quæ in Babylone collecta est Ecclesia, & Marcus filius meus.* Ex secundo Irenæus lib. 2. cap. 14. *Salutaris prædicationis verbo primus in Urbe Roma Evangelii suis clavibus januam regni Cœlestis aperuit.* Ex tertio Arnobius lib. 2. contra gentes asserit ideo Romanos fidem Christi amplexos fuisse, quia viderant Simonem Magum ob orationem Petri cecidisse, & obiisse. Ex quarto Epiphanius hæresi 27. *Primi in Roma fuerunt Petrus, & Paulus.* Ex quinto Chrysostomus in psalm. 48. *Piscator Petrus, quoniam civitatem maxime regiam occupavit, etiam post mortem resplendet sole clarior*: Et S. Leo Magnus in eodem seculo serm. 1. in Nativit. Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli scribit: *Cum Apostoli imbuendum Evangelio mundi, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii.*

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius I. epist. 1. ad Decentium Eugubinum: *Quis enim nesciat, id; quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nuncusque custoditum, ab omnibus debere servari?* Et epist. 14. ad Bonifacium Presbyterum: *Ecclesia Antiochena, quam priusquam ad Urbem perveniret Romam, B. Apostolus Petrus sua præsentia illustravit, velut germana Ecclesiæ Romanæ, diu ab eadem alienam esse non passa est.* Leo I. serm. 1. de Natali Apostolorum Petri & Pauli cap. 3. *Cum duodecim Apostoli, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, Beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cujus autem nationis homines in hac tunc Urbe non essent? Aut quæ usquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset? Hic conculcandæ Philosophiæ opiniones, hic dissolvendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi Dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid usquam fuerat variis erroribus institutum.* Et cap. 4. *Ad hanc ergo Urbem, tu Beatissime Apostole Petre, venire non metuis, & (consorte gloriæ tuæ Apostolo Paulo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato) sylvam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior quam cum supra mare gradereris, ingrederis: nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaveras Sacerdotis ancillam.* Gelasius in decreto de Apocryphis scripturæ locis: *Petro etiam data est societas Beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicut Hæretici garriunt, sed uno tempore, uno, eodemque die gloriosa morte cum Petro in Urbe Roma, sub Cæsare Nerone agonizans, corona-*

tus est & pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, talemque omnibus urbibus in universo mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. Ergo prima Petri Apostoli sedes est Romana Ecclesia. Symmachus Apologetico ad Anastasium Imperatorem: *Roma mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, utrum a fide Catholica, quam, in sede B. Petri Apostoli veniens ex paganitate, suscepi, aliqua ex parte deviaverim.* Gregorius Magnus ad psalm. 4. pœnitent. *Saulo persecutori dixit: Saule, Saule, quid me persequeris? Et Petro ait: Venio Romam iterum crucifigi; qui enim in seipso jam pridem crucifixus fuerat, in Petro, Roma discessuro, se iterum crucifigendum dicebat.* Et lib. 6. epist. 37. *Petrus sublimavit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est.* Nicolaus I. epist. 7. *Tunc convocato multorum sanctissimorum Episcoporum cœtu, & collecta Sancta Synodo in Ecclesia Dei, ubi B. Petrus, Apostolorum Princeps, corpore floret & virtutibus emicat &c.* Epist. 32. *Petri & Pauli glorioso agone, sancta hæc Romana Ecclesia, cui divina dispensatione præsumus, est Domino consecrata.* Et ad consulta Bulgarorum cap. 92. *Romanam Ecclesiam Sanctorum Apostolorum Principes Petrus & Paulus, & prædicatione sua instituerunt, & pro Christi amore fuso proprio sanguine sacraverunt.* Hadrianus II. epist. 3. *Hæc capitula Synodice in Ecclesia Dei, ubi Sanctum corpus Apostolorum Principis Petri quiescit, promulgavimus.* Joannes VIII. *Pro hac purissima fide B. Petrus Romæ moratus, in hoc stabilivit Ecclesiam, ut sede Apostolica diutius gubernata, pro hac fide decus mortis assumpsit: sicque in hac fide sanctam Romanam Ecclesiam fundatam proprio sanguine cum Paulo Deo consecravit.* Innocentius III. serm. 2. de festo SS. Petri & Pauli: *Dignum providit Deus & congruum; sed & congruum providit & dignum, ut ille, qui erat Princeps Ecclesiæ, sedem constitueret apud Urbem, quæ tenebat seculi principatum. Et ideo Dominus inquit ad Petrum: Duc in altum; quasi diceret: Vade Romam, te cum tuis transfer ad Urbem, & laxare ibi retia in capturam. Ecce liquido patet, quantum Deus istam Urbem dilexerit, ut eadem esset sacerdotalis & Regia, imperialis & Apostolica, obtinens & exercens non solum dominium super corpora, verum etiam magisterium super animas.* Nicolaus III. de electione & electi potestate cap. 17. *Petrus & Paulus illi sunt, per quos Evangelium Romæ resplenduit. Isti sunt ejus Patres, verique Pastores; isti sunt, qui una die pro merito, uno loco pro gloria, sub uno persecutore pro parili virtute compassi Urbem ipsam glorioso cruore martyrii Christo Domino consecrarunt. Isti sunt, qui illam in hanc gloriam provexerunt, ut sit gens sancta, populus electus, Civitas sacerdotalis & regia, per sacram B. Petri sedem caput totius Orbis effecta.* Martinus V. constitut. 4. *Urbem nostram Romam Princeps Apostolorum Petrus, & in similem sortem vocatus Paulus, fidei Orthodoxæ cardines, aliique Victoriosi innumeri Martyres sui sanguinis aspersione inundarunt.*

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium Romanum sub Damaso can. 236. juxta Collectionem Cresconianam: *Tertia vero sedes apud Antiochiam Beatissimi Apostoli Petri habetur honorabilis, eo quod illam primitus quam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianum novellæ Gentis exortum est.* Concilium Romanum III. sub Symmacho Papa: *Memorati Pontifices suggesserunt, ipsum, qui dicebatur Imperitus, debuisse Synodum convocare; scientes, quia ejus sedi primum Petri Apostoli meritum, vel principatus singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.* Insuper Concilia prioribus Ecclesiæ seculis habita, & a Romanis Pontificibus confirmata aperte ostendunt Romanos Pontifices id juris habuisse a Petro, qui primus illorum in Romana Ecclesia sederat. Fuerunt autem Concilium Cæsareæ in Palæstina adversus Quartodecimanos adunatum, & a Victore I. confirmatum; Antiochenum contra Paulum Samosatenum, & Alexandrinum anno 324. celebratum; quæ pariter Romani Pontifices confirmarunt, quemadmodum Nicænum I. Generale S. Sylvester Romanus Pontifex approbavit; & sic deinceps alia subsequentia Romanos Pontifices habuerunt Convocatores, Præsides, ac Confirmatores.

V. Probatur ex Patribus Græcis. Origenes lib. 3. in Genesim: *Petrus circa finem vitæ Romæ constitutus, capite demisso cruci est affixus: eo quod ipse hunc passionis modum expetisset.* Eusebius Cæsareensis in Chronicis: *Petrus natione Galilæus Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans vigintiquinque annis, ejusdem Urbis Episcopus perseverat.* Lib. 2. cap. 13. histor. Eccles. *Sub ipso Claudii Imperio benigna ac propitia Dei erga humanum genus providentia fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum propter vir-*

tutem

tutis amplitudinem facile Principem, Romam versus ad ejusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam (Simonem Magum) delendum quasi manu deduxit. Cap. 24. *Paulum Romæ, regnante Nerone, securi percussum; & Petrum etiam suffixum Cruci, historiarum monumentis proditum est: quin etiam insignis ac testata Petri & Pauli inscriptio, quæ in Cœmeteriis Romæ ad id usque tempus manet, hujus rei gestæ fidem facit.* Et lib. 3. cap. 1. *Petrus ad extremum cum Romæ versaretur, capite deorsum, statuto (sic enim perpeti cupiebat) cruci est suffixus.* Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 6. *Simon Magus ita seduxerat Civitatem Romanam, ut Claudius illi statuam erexerat cum ea inscriptione in lingua Romana:* Simoni Deo Sancto. *Dilatato autem errore, par amicorum bonorum illam calamitatem correxit Petrus & Paulus, cum essent Præsides Ecclesiæ, & ostentantem se istum Simonem statim extinxit. Cum enim prædicaret Simon in cœlos se ascensurum, & vehiculo Dæmonum in aerem sublatus esset, flexis genibus servi Dei, & concordiam ostendentes, de qua dixit Jesus: Quod si duo ex vobis concordaverint, de quacunque re, quam petierint, fiet ipsis: concordiæ hoc telum per orationem emittentes in Magum, dejecerunt illum in terram. Nec mirum est: Petrus enim erat, qui claves Regni cœlorum portabat. Non est mirandum: Paulus enim erat, qui in tertium cœlum raptus fuerat. Ex aere in terram depresserunt eum, qui se Deum appellabat, deinceps ad inferos detrudendum.* Epiphanius hæresi 27. *In Roma fuerunt primi Petrus & Paulus Apostoli, iidem ac Episcopi, deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens, qui contemporaneus fuit Petri & Pauli &c. Et nemo miretur, quod ante ipsum alii Episcopatum assumpserunt, cum sub Apostolis hic fuerit contemporaneus Petri ac Pauli: nam & illi contemporanei Apostolorum fuerunt. Sive igitur adhuc ipsis superstitibus a Petro accepit impositionem manuum Episcopatus, & eo recusato remoratus est: (dicit enim in una Epistola sua Secedo, abeo, erigatur populus Dei; hoc enim in quibusdam commentariis reperimus) sive post Apostolorum successionem a Cleto Episcopo hic constituitur, non ita clare scimus. Verumtamen etiam hic potuit, superstitibus adhuc Apostolis, Petro videlicet ac Paulo, alios Episcopos constituere: propterea quod Apostoli sæpe ad alias terras ablegabantur, propter Christi prædicationem: non potuit autem Urbs Roma sine Episcopo esse; Paulus enim in Hispaniam profectus est, Petrus vero sæpe Pontum & Bithyniam visitavit. Possibile est autem postquam discessit & recusavit Clemens, postea post obitum Lini, & Cleti, quorum uterque ad duodecim annos Episcopatum tenuit, post Sancti Petri ac Pauli obitum, qui contigit duodecimo anno Neronis, hunc rursus coactum esse ad suscipiendum Episcopatum. Attamen Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus &c.* Chrysostomus homil. 32. in epist. ad Romanos, in morali: *Non ita Cœlum splendescit, quando radios suos sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorum Urbs duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate, & horrete, quale spectaculum visura sit Roma, Paulum repente ex theca illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur Urbs ista? Qualibus catenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc Urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ &c.* Theodoretus epist. ad Leonem Papam: *Roma habet omnium Patrum, & veritatis Doctorum Petri & Pauli sepulchra, quæ fidelium animas illuminant.* Et lib. 1. hæreticarum fabularum: *Simon Magus Romanos suis præstigiis tanta admiratione affecit, ut etiam ænea columna honoraretur; sed rursus veniens divinus Petrus, fraudis eum pennis nudavit; qui cum eum tandem in miraculorum certamen provocasset, & divinæ gratiæ & præstigiarum discrimen ostendisset, omnibus Romanis videntibus, eum ex magna altitudine deturbavit, crura fregit; & qui miraculum viderant, eos cepit ad salutem.*

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus de Præscrip. adversus Hæreticos cap. 36. *Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur. Si Italiæ adjaces, habes Romam unde nobis quoque authoritas præsto est: Ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur: ubi Apostolus Joannes postquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in Insulam relegatur.* Et contra Gnosticos ad Scorpiacum cap. 15. *Vitas Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit: tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur: tunc Paulus Civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate.* Lactantius divinarum Institut. lib. 4. cap. 21. *Discipuli per Provincias dispersi, funda-*

menta Ecclesia ubique posuerunt, facientes & ipsi in nomine Magistri Dei magna & pene incredibilia miracula; quia descendens instruxerat eos virtute ac potestate, qua posset novæ annuntiationis ratio fundari & confirmari: sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt: & ea prædicatio in memoriam scripta permansit. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Ad hoc Ecclesia Romana quid respondet? Utique ipse author est nobis hujus assertionis Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ.* Et lib. 5. epist. 32. *Idem Petrus postea victo Simone cum præcepta Dei populo seminaret, & doceret castimoniam excitavit animos Gentilium: quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet. Et quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim ut ad instituendum & confirmandum populum se reservaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, Urbemque ingredi, ait: Domine, quo venis? Respondit Christus: Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum (Christus enim non poterat crucifigi, qui carnem passione suscepta mortis exuerat) Intellixit ergo Petrus, quod iterum Christus crucifigendus erat in servulo. Itaque sponte remeavit. Interrogantibus Christianis, responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificavit Dominum Jesum.* Optatus Milevitanus lib. 2. contra Donatistas: *Negare non potes scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est.* Hieronymus ad cap. 2. epist. ad Galatas: *Cum venisset Petrus Antiochiam: Primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam deinde translatum, quod Lucas penitus omisit.* Lib. de viris illustribus cap. 1. *Simon Petrus Provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de Circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum Neronis annum, id est decimum quartum. A quo & Cruci affixus, martyrio est coronatus, capite ad terram verso, & in sublime pedibus elevatis; asserens se indignum, qui sic crucifigeretur, ut Dominus suus.* Augustinus contra literas Petiliani lib. 2. cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua Anastasius hodie sedet: vel Ecclesia Jerosolymitanæ, in qua Jacobus sedit, & in qua hodie Joannes sedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & a quibus vos nefario furore separastis?* Et ad quod vult Deum hæresi 1. *Jovem se credi volebat Simon Magus, Minervam vero meretricem quandam Selenem, quam sibi sociam scelerum fecerat; imaginesque, & suam, & meretricis, discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ, tanquam Deorum simulachra, auctoritate publica constituerat. In qua Urbe eum B. Petrus vera Omnipotentis Dei virtute extinxit.*

VII. Probatur ex Principum & Imperatorum confessione. Valentinianus, Gratianus, & Theodosius, in C. de Summa Trinit. & fide Cathol. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret.* Justinianus in Authentica, ut Ecclesia Romana centum annorum privilegio gaudeat: *Quod igitur nostra æternitas ad Omnipotentis Dei honorem venerandæ sedi Summi Apostoli Petri dedicavit, hoc habeant omnes terræ, omnes Insulæ totius Occidentis, quæ usque ad ipsos Oceani recessus extenduntur &c.* Galla Placidia epistola ad Pulcheriam Augustam: *Omnibus integris permanentibus, ad Apostolicæ sedis, in qua primus Apostolorum B. Petrus, qui etiam claves Regni cœlestis suscipiens, Sacerdotii principatum tenuit, Episcopatus causa mittatur.*

VIII. Probatur ex veterum Historicorum testimonio. Natalis Alexander, & P. Boucat, aliique ante illos, & post illos, adducunt testimonium Hegesippi in lib. de Excidio Urbis Jerosolymitanæ ejus verba hæc sunt post narrationem illorum, quæ Petri martyrium præcesserant. *Et conversus, in Urbem redit, captusque a Persecutoribus, cruci adjudicatus, poposcit, ut inversis vestigiis cruci affigeretur, quod indignus esset qui simili modo crucifigeretur, ut passus est Dei Filius: quo impetrato, vel quia ita debebatur, ut Christus prædixerat; vel quia persecutor non invitus indulget pœnarum incrementa, & ipse Paulus alter cruce, alter gladio, necati sunt.* Sed hi eruditi alioqui, & critici, Scriptores, fortassis non observarunt quæ de Hegesippo scripsit Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ec-

cle-

clesiasticis seculo primo: ,, Egesippus æqualis Justini, & Athenagore fuit, ut ex Eusebio lib. 4. hist. cap. 21. & S. Hieronymo in lib. de Scriptoribus Ecclesiast. perspicuum est. Scripsit historiam Ecclesiasticam usque ad sua tempora, id est, usque ad Aniceti Pontificatum. Hujus historiæ meminerunt Eusebius, & S. Hieronymus locis citatis, in quibus fragmenta historiæ ejusdem leguntur. Nunc non extat. Libri vero de excidio Hierosolymæ, qui sub nomine Egesippi circumferuntur, aut alterius Egesippi recentioris, aut supposititi sunt. Certe ex lib. 3. cap. 5. colligitur post Constantini tempora libros illos fuisse conscriptos. ,, Eusebius lib. 2. histor. Eccles. cap. 13. *Cæterum ista non ad longinquum temporis spatium ex sententia illi processerunt. Nam è vestigio sub ipso Claudii Imperio, benigna & propitia Dei, totius hujus universitatis Rectoris, erga humanum genus providentia, fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum, propter virtutis amplitudinem, facile Principem Petrum, Romam versus, ad ejusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit. Qui quidem utpote generosus & strenuus Dei Dux, divinis armis obtectus, munitusque, eximiam & pretiosam tanquam mercaturam veri luminis, mente sola comprehensi, ab Oriente ad Occasum usque deportavit: ipsamque regni Cælorum prædicationem, celestem scilicet lucem, & salutarem animorum doctrinam palam promulgavit.* Et cap. 24. *Iste igitur, qui hoc pacto infestissimus Dei hostis primus prædicatus fuit, ad Apostolos etiam trucidandos incitabatur. Paulum proinde Romæ eo regnante securi percussum, & Petrum etiam suffixum cruci, historiarum monumentis proditum est. Quin etiam insignis ac testata Petri & Pauli inscriptio, quæ in Cæmeteriis Romæ ad hoc usque tempus manet, hujus rei gestæ fidem facit.* Sozomenus lib. 9. cap. 9. *Alaricus Romam obsidione cinctam proditione cepit, ac militibus suis universis ac singulis permisit Romanorum opes diripere: nisi quod asylum esse voluerit ob reverentiam Apostoli divi Petri templum illud amplissimum, quod supra illius tumbam constructum est, & loci plurimum ambit.* Theodoretus ad psalm. 116. *Magnus Petrus ab Jerosolymis usque ad Romanorum Urbem percurrit, omnibus veritatis radios afferens.* Orosius lib. 7. cap. 4. de Nerone loquens: *Auxit hanc molem facinorum ejus temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persecutione excruciari imperavit: ipsumque nomen extirpare conatus, Beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio, occidit.* Suidas in Nerone: *Tunc Simon quoque Magus florebat, & cum Petrus & Simon præsente Nerone, inter se disputarent, eductus est e carcere Pilatus. Hi tres cum astarent, Hero Simonem interrogat &c.* Gregorius Cedrenus in Nerone: *Imperante Nerone, Romam profectus Simon Magus, cum artibus magicis multa edidisset prodigiosa, sibi Dei nomen arrogavit. Quo tempore magnus ille Apostolus Petrus Romam cum venisset, statuit Simonem adire &c.* Nicephorus Callistus lib. 2. cap. 15. *Meminit Petrus Marci in priori Epistola, quam Romæ agens composuisse fertur, in qua etiam figurate Romam Babylonem nominat.* Et cap. 35. *Non minus etenim Petrus, Orbe peragrato, & iis, qui ex Circumcisione erant, omnibus in Palæstina, & Syria, & ubique fere terrarum prædicatione promulgata, cum sub Neronis imperio Romam, propter detestandum illum Simonem, qui publicis inscriptionibus Deum se vocare, prædicationemque Christi evertere est ausus, venisset, factisque illum simul, & sermonum vi, coarguisset, atque Romanorum Ecclesiæ primum quidem Lino, deinde Anacleto, & post hos tertio ad mortem vadens, sapientissimo Clementi claves commisisset, ad Deum migravit.*

IX. Probatur rationibus I. Ideo Romana Ecclesia dignior cæteris omni ævo reputata fuisset, quia Petrus in ea sedisset; sed vero reputata fuit cæteris dignior: ergo vere Petrus in ea sedit. Argumentum eruitur ex Irenæo lib. 3. adversus hæres. cap. 3. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, id est eos, qui undique sunt fideles, in qua semper conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* II. Petrus quum sederit Antiochiæ annis septem, & deinde Antiochia discedens aliam fundaverit Ecclesiam; si Romanam non fundavit, assignent aliam Adversarii, cui Fundator vere esse dicatur. Nullam hucusque assignarunt, quam vere probaverint fuisse a Petro fundatam: ergo Romanam fundavit. III. Plures Patres texunt Catalogum Romanorum Episcoporum, & inter illos ponunt primo loco Petrum: ergo illis vere persuasum fuit, Petrum Romæ sedisse, & Romanam Ecclesiam fundasse. Antecedens probatur ex Tertulliano lib. de præscript. Hæretic. cap. 32. *Edant Hæretici origines Ecclesiarum; evol-*

evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit Authorem, & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem a Petro ordinatum refert Ex Optato Milevitano lib. 2. contra Parmenianum: *Cathedra unica est, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus &c.* Et ex Augustino epist. 263. data ad Generosum: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. IV. In universa Ecclesia celebratur festivitas Cathedræ in qua Petrus Romæ sedit die 18. Januarii; sed non potest Ecclesia celebrare festum de aliquo, quod sit falsum: ergo Petrus vere Romæ sedit, & ibi suam erexit Cathedram. V. In illa Urbe Petrus sedit Episcopus, in qua mortuus est; sed Chrysostomus homil. 32. in epist. ad Romanos, Eusebius lib. 2. Histor. cap. 25. inter Græcos, & inter Latinos Tertullianus lib. de præscript., Lactantius lib. 4. divinar. Instit. cap. 21. Ambrosius oratione contra Auxentium, Hieronymus lib. de viris illustribus, Sulpitius lib. 2. sacræ historiæ, Isidorus in vita S Petri, aliique plurimi testantur Petrum fuisse mortuum Romæ: ergo &c. VI. Nequit esse commentum, quod doctiores viri, & Philosophi, qui Apostolorum ævo fuerunt proximiores, asserunt, atque testantur; Sed hi asserunt, atque testantur Petrum Romæ sedisse, ut ibidem Romanam sedem fundasse; uti sunt præcipue Justinus Martyr & Philosophus, Anaxagoras, Tertullianus, Arnobius &c.: ergo &c.

Secunda Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Matth. 16. *Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dixit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi: Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona; quia caro & sanguis non revelabit tibi, sed Pater meus, qui est in Cælis: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Ex quibus verbis primo habetur, quod solus Petrus Apostolorum omnium nomine loquitur; quum enim Christus Apostolos omnes interogasset: *Vos autem quem me esse dicitis?* solus Petrus respondit: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi*. Secundo, quod Christus solum Petrum commendat, eumque præmio decorat, non vero alios Apostolos: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Tertio denique solius Petri nomen immutat, & vocat eum Cephas, quod hebraice sonat petram. Quas observationes confirmant Epiphanius in Anchorato: *Dominus constituit primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est*. Chrysostomus homil. 44. in cap. 6. Isaiæ: *Quid autem Petrus basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi*. Et Augustinus tract. ultimo in Joannem, ubi sic scribit: *Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui Primatum, gerebat figurata generalitate personarum*. Et Psalm. 108. *Cujus ille agnoscitur gessisse personam, Christi, propter primatum, quem in Discipulis habuit*. Insuper Joan. 21. *Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.... pasce oves meas*. Quæ verba sic exponunt Eusebius Emissenus, vel quis quis alius illorum sermonum sit auctor, serm. de Nativit. S. Joannis: *Prius agnos; deinde oves Petro commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit*, & Bernardus lib. 2. de considerat. cap. 8. *Uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem quæris, ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute & indiferentes tota commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius, aut illius populi Civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur ubi distinguitur nihil.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Siricius epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum: *Pro [illegible] nostri consideratione, non est nobis dissim[illegible]are, non est tacere libertas; quia major cunctis Christianæ Religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur: quinimmo hæc portat in Nobis Beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit, & tuetur hæredes &c. Explicuimus, ut arbitror, Frater charissime, universa, quæ digesta sunt in querelam, & ad* fin-

singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum ad Romanam Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis retulisti, sufficientia, quantum opinor, responsa reddidimus. Innocentius I. epist. 17. ad Arcadium Imperatorem, qui Joannem Chrysostomum expulerat: *Itaque ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego & rejicio te, & uxorem a participatione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri: Episcopum etiam omnem aut Clericum Ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare, aut exhibere ea vobis, ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse decerno.* Et epist. 29. ad Decentium Eugubinum: *Quis enim nesciat id, quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod, aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur, exemplum? Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint sacerdotes? Aut legant, si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Romana Ecclesia custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, Caput institutionum videantur omittere.* Hilarius Papa epist. ad Leontium Episcopum: *Quantum reverentiæ in spiritu Dei, qui subditos sibi inhabitat, Sacerdotes Beato Petro Apostolo, & Sedi ipsius deferatur, omnibus arbitror esse compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta custodia est.* Gelasius epist. 2. ad Episcopos Dardaniæ: *Nec plane tacemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum sedes Beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque, inquam, de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum Generale I. in Canonibus ex Arabico translatis can. 39. *Consideret Patriarcha ea, quæ Archiepiscopi, & Episcopi in Provinciis suis faciunt: & si quid reperiat secus quam oporteat factum, mutet, & disponat prout sibi videbitur. Siquidem ipse est Pater omnium, & illi filii ejus. Et quamvis sit Archiepiscopus inter Episcopos tamquam frater major, qui curam habet fratrum suorum, & ei debent obedientiam, quia præest: est tamen Patriarcha iis omnibus, qui sub potestate ejus sunt, sicut ille, qui tenet sedem Romæ caput, & Princeps est omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, & universam Ecclesiam Christianam. Et quicunque contradixerit a Synodo excommunicatur.* Concilium Sardicense cap. 4. *Osius Episcopus dixit: Quod si aliquis Episcopus adjudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum judicium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur vel ab his, qui examinaverunt, vel ab aliis Episcopis, qui in proximo morantur, Romano Episcopo. Et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam, ut ea non refricentur, quæ acta sunt: quæ decreverit Romanus Episcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit: Placet.* Concilium Bracharense I. cap. 23. *Nullus ordinem baptizandi prætermittat, quem pro amputanda aliquorum dubietate prædictus profuturus Episcopus sibi directum a sede Beatissimi Petri Apostoli suscepit.* Concilium Triburiense cap. 30. *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis.* Concilium Lateranense cap. 5. *Antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantes, Sancta universali Synodo approbante, sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Deo, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Jerosolymitana quartum locum obtineant: servata cuilibet propria dignitate, juxta quod, postquam eorum Antistites a Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Irenæus lib. 3. contra Hæres. cap. 3. loquens de Sede Petri, sic dicit: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem* (alii legunt potentiorem) *principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique*

dique fideles. Origenes homil. 5. in Exod. *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petra solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam.* Et homil. de diversis vocat Petrum *Summum Apostolorum verticem.* Athanasius epist. ad Felicem Papam: *Tu es Petrus, & super fundamentum, tum Ecclesiæ columnæ, id est Episcopi, sunt confirmatæ,* Eusebius lib. 2. hist. cap. 14. vocat Petrum: *Fortissimum & maximum inter Apostolos, & virtutis merito reliquorum omnium Principem ac Patronum.* Cyrillus Jerosolym. catechesi 2. & 11. Petrum appellat Apostolorum Principem supremum. Basilius proœmio de judicio Dei: *Beatus ille Petrus omnibus discipulis Prælatus, cui soli majora data, quam aliis sunt testimonia, qui prædicatus est beatus, cui claves regni Cælorum concreditæ sunt.* Cyrillus Alexandrin. lib. 12. in Joan. *Præ aliis emicat ille cæterorum Caput ac Princeps, & ait: Tu es Christus filius Dei.* Et Chrysostomus hom. 55. in Matth. *Ecclesiæ Pastor & caput est, homo piscator & ignobilis.* Et homil. 87. *Os, Principem, & verticem Apostolorum.* Ex quibus verbis P. Boucat hanc efformat rationem. „ Ex Irenæo sedes Petri cæteris Principatum potiorem habet; ex Origene & Chrysostomo Petrus est Apostolorum vertex, ex Athanasio petra super quam cæteræ Ecclesiæ columnæ, videlicet Apostoli & Episcopi, firmatæ sunt; ex Eusebio inter Apostolos fortissimus & Princeps est Petrus; ex Basilio omnium discipulorum Prælatus: Sed non aliis verbis potest exprimi supremus Ecclesiæ principatus. Si enim S. Petrus foret cæteris Apostolis æqualis, nec caput, neque illorum Princeps diceretur, cum voces istæ *caput Princeps* eminentiam, non nomine, non ordine & honore tenus, sed realem & jurisdictionis important, cui jurisdictioni omnes, citra privilegium & exceptionem subditi sunt. „

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus in Scorpiaco cap. 10. *Si adhuc clausum putas Cælum, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.* Cyprianus epist. ad Quintum: *Petrum Dominus primum elegit, & super eum ædificavit Ecclesiam suam.* Et lib. de unitate Ecclesiæ: *Primatus Petro datur, ut una Ecclesia, & Cathedra una monstretur.* Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum: *Negare non potes scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus . . . . in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur: ne cæteri Apostoli singulas sibi defenderent: ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret.* Non omittendus Hilarius, qui in cap. 16. Matthæi sic scribit de Petro: *In nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferorum leges dissolveret.* Ambrosius in cap. ultim. Lucæ: *Quia solus profitetur Christi divinitatem, omnibus antefertur.* Et cap. 12. epist. 2. ad Corinth. *Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* Hieronymus epist. ad Damasum de sede Petri sic loquitur: *Super hanc petram ædificatam Ecclesiam scio.* Augustinus Psalm. contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede; ipsa est petra, quam non vincunt superba Inferorum portæ.* Et lib. 2. de Bapt. cap. 1. *In quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet.* Et S. Leo serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatum: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur. Ut quamvis in Populo Dei multi sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Ex quibus authoritatibus hanc rationem efformat P. Boucat: „ Ex Patribus unitas Ecclesiæ ab unitate Petri Cathedræ propter ejus principalitatem desumitur: nec fas est, ait Optatus, alteram æqualem erigi a cæteris Apostolis & Prælatis Cathedram; in ea quippe Petrus sedit ut caput cæterorum: ex Ambrosio primatum non accepit Andreas, non Joannes & alii, sed solus Petrus, solus, ait Augustinus, habuit Primatum: ex S. Leone Petrus regit omnes, ne uno quidem excepto, fideles: Igitur a Christo constitutus est ordine, dignitate, auctoritate, & jurisdictione totius Ecclesiæ caput, & super cæteros Apostolos Primas: namque si solo nomine & ordine foret primus, dubio procul jure; & veritate Primatum non haberet. „

VI. Probatur rationibus. I. Petro immutatum fuit a Christo nomen, qui & eidem nomen suum dedit, ut significaret se vices suas in terris gesturum, quemadmodum cum ipso idem nomen habebat. Joan. 1. *Tu es Simon filius Jona: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Hoc nomen Cephas syriace significat petram; *Petra autem erat Christus, & lapis angularis, qui fecit utraque unum;* Græce autem significat

gnificat caput, unde promittebat Petro, quod ipse futurus esset Ecclesiæ caput a semetipso institutum. Sic exponunt Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joannem cap.12., Augustinus tract.7. in Joan., & Leo Magnus serm. 3. de assumpt. sua: *Sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam; ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus. Id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia*. II. Quando ab Evangelistis nominantur Apostoli semper primo loco ponitur Petrus, vel separato loco ab aliis ipse scribitur, *dicite Apostolis & Petro*. Et Matth. 10. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus*; nec dici potest, quod habeatur ratio vocationis, quia prior vocatus fuit Andreas ejus frater, nec ætatis, quia in illa enumeratione de materiali se habebat ætas: ergo per illam enumerationem significatur primatus non solum honoris, & præeminentiæ, sed etiam authoritatis & jurisdictionis Petro traditus. III. In Conciliis, quæ Apostolorum temporibus coacta sunt, Petrus primatum suum exercuit, & illa convocando, & in iisdem proponendo, ac insuper decidendo. Unde Chrysostomus hom. 3. in Acta Apostolorum scribit: *Quam est fervidus, quam cognoscit creditum a Christo gregem! quam in hoc choro Princeps est! .... Merito primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dicit Christus: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Et denique concludit, quod quum posset Petrus Apostolum in locum Judæ eligere, absque aliorum votis, eam tamen aliis commisit, ut omnes simul cum ipso eligerent: *Quid? An non licebat ipsi Petro eligere? Licebat, & quidem maxime. Verum id non facit, ne cui videretur gratificari*. Insuper & de alio Concilio, in quo de legalium observantia actum est, scribit Hieronymus epist. 89. ad Augustinum: *Tacuit omnis multitudo, & in sententiam ejus Jacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt. Hæc non debent esse molesta Lectori, sed & mihi, & illi utilia, ut probemus ante Apostolum Paulum non ignorasse Petrum Principem esse hujus decreti, legem post Evangelium non esse servandam. Denique tanta Petrus authoritatis fuit, ut Paulus in epistola sua scripserit: Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum &c.* IV. Si Petrus non habuisset primatum in Ecclesia, non fuisset datus primus locus Ecclesiis, quas ipse, vel per se, vel per alios, fundavit; atqui fuit datus: ergo &c. Probatur minor. Primus locus fuit semper datus Ecclesiæ Romanæ, quam ipse usque ad mortem tenuit; secundus a principio Antiochenæ, quam ipse etiam primitus fundavit; tertius Alexandrinæ, quam per Sanctum Marcum erexit. V. Legati Apostolici in Concilio Chalcedonensi act. 3. dixerunt hæc verba, quibus Primatus Petri & honoris & potestatis aperte explicatur, & nemo ex Patribus Concilii illis contradicere ausus est: *Unde Sanctissimus & Beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem Sanctam Synodum, una cum ter Beatissimo, & omni laude digno, Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio*. VI. Constanti ac perpetua traditione semper in Ecclesia creditum est Petrum fuisse caput Apostolorum, fuisse illorum Principem, fuisse unitatis centrum, ac custodem; quod quidem sufficit ad probandum Petrum habuisse Primatum in Ecclesia non solum honoris & præeminentiæ, sed etiam potestatis & jurisdictionis. Testes traditionis sunt Cyrillus Alexandrinus lib.12. in Joan. cap.64. *Ut Princeps, caputque cæterorum primus exclamat: Tu es Christus filius Dei vivi*. Hieronymus, qui lib. 1. adversus Jovinianum cap. 14. hæc habet: *Super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio*. Et Optatus Milevitanus, qui libro 2. contra Parmenianum dicit: *Igitur negare non potes scire te, in Urbe Roma Petro primo Episcopalem Cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra unica est, quæ est prima de dotibus; sedit prior Petrus &c.*

Opponunt I. Nō cōveniunt Scriptores circa

tempus, quo Petrus Romam advenerit: ergo vere Petrus Romam non venit. Probatur antecedens. Lactantius lib. de mortibus persecutorum, *cum jam Nero imperaret*; vult venisse; Orosius circa regni Claudii initium; Hieronymus ad annum Claudii secundum; Fasciculus temporum ad quartum; Passionale de vitis Sanctorum ad decimum tertium: ergo &c. II. Petrus non sedit Antiochiæ annis septem, ut asserit Gregorius Magnus lib. 6. epist. 37. ergo nullius Ecclesiæ Episcopus fuit: ergo post sessionem Antiochiæ non sedit Romæ. Probatur antecedens. Sessio Petri Antiochiæ fuit media inter duas profectiones, quas fecit Paulus Jerosolymam; sed prima profectio facta est anno tertio a sua conversione, qui fuit annus sextus a morte Christi; & secunda fuit post annum Claudii secundum, quando scilicet Petrus Roma exulaverat ob Claudii edictum; quæ quidem duæ profectiones annos septem non includunt. III. Annus, quo dicitur celebratum Concilium Jerosolymitanum pro legalium controversia, dicitur vigesimus a passione Christi, & annus, quo Petrus obiit cruci affixus, fuit decimus quartus Neronis, & a passione Christi trigesimus septimus: ergo Petrus tantum decem & septem annis Romæ sedit, non vero viginti quinque annis, ut dicitur. IV. Paulus in epistola, quam scripsit ad Romanos non salutavit Petrum: ergo Petrus non erat Romæ. V. Paulus Romæ scripsit ad Philippenses, & in illa dicit, *quod omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*: ergo vel Petrus erat unus ex illis, vel Romæ non inveniebatur. VI. Pariter in 2. ad Timoth. cap. 4. dicit, quod omnes, qui erant Romæ illum deserverunt: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt*: ergo vel Petrus non erat Romæ, vel contra Paulum peccavit. VII. Quando Paulus Romam pervenit, dicitur Actor. 28. *Occurrerunt ei Fratres usque ad Appii forum ac tres Tabernas*; & si Petrus Romæ fuisset, Paulo occurrisset, & de illius occursu Lucas mentionem fecisset; sed Lucas nullum verbum de Petro: ergo Petrus Romæ non erat. VIII. Quando Paulus Romam pervenit, Judæi illum rogarunt, ut eis legem Christi explanaret; dicitur enim Actor. 28. *Rogamus autem a te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex Lege Moysi & Prophetis, a mane usque vesperam*: ergo non fuerat ante Paulum Petrus Romæ, quia si fuisset, id a Petro Judæi cepetissent. IX. Petrus debebat Judæis prædicare Evangelium, Paulus vero Gentilibus: ergo non erat opus, ut Petrus Romam veniret. Antecedens constat ex cap. 2. Epist. ad Galatas. X. Lucas Apostolorum historiam describens, nullum verbum habet de Petri profectione Romam. XI. Acta Lini testantur Petrum & Paulum diverso tempore & loco passos fuisse; sed Paulus passus est Romæ: ergo Petrus non fuit Romæ passus. XII. Augustinus controversiam Petri cum Simone inter fabulas adnumerat: ergo Petrus non fuit Romæ; illa enim controversia dicitur fuisse causam adventus Petri Romam. XIII. S. Hieronymus lib. 4. in Matth. cap 23. ad illa Christi verba: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas; & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris*, dicit Petrum & Paulum fuisse passos in Judæa: *Varia esse dona discipulorum Christi: quosdam Prophetas, qui ventura prædicant; alios sapientes, qui noverint quando debeant proferre sermonem; alios Scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, obtruncatur Paulus, crucifixus Petrus*. XIV. Clemens Romanus in epist. ad Corinth. vitam & martyrium Petri describit, sed Romam omnino tacet: ergo signum est, quod Petrus Romæ non obiit. XV. Verba, quæ dixit Christus Petro Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*, dixit pariter Joannis 20. Omnibus & singulis Apostolis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur ei &c.*: ergo omnes Apostoli parem cum Petro receperunt a Christo potestatem. XVI. Non solum Petrus fundamentum Ecclesiæ dicitur, sed omnes pariter Apostoli ad Ephesios 2. *Jam non estis hospites & advenæ, sed estis Cives Sanctorum, & domestici Dei, superedificati supra fundamentum Apostolorum*. XVII. Christus Dominus prohibuit Apostolis, ne quis illorum diceretur Princeps supra alios: ergo non potuit Petro conferre primatum. XVIII. Ipse Petrus cap. 5. primæ suæ Epistolæ non alloquitur cæteros ut superior & Princeps, sed ut par, & æqualis; scribit enim,

enim: *Seniores ergo: qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ejus, quæ in futuro revelanda eſt gloria... Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee, ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in cleris.* XIX. Petrus non mittit Apoſtolos, ſed mittur ab illis ſimul cum Joanne in Samariam Actorum 8. ergo, non ut ſuperior, ſed ut inferior inter illos babetur. XX. Actorum 15. Non Petrus, ſed Jacobus judicavit controverſiam illam circa legalium obſervationem: ergo non Petrus ſed Jacobus erat primus inter illos. XXI. Ad Galatas 2. Paulus reprebendit Petrum, quod compelleret Gentiles ad Judaicarum cæremoniarum obſervantiam: ergo Paulus exercuit ſuperioritatem ſupra Petrum: ergo Petrus non erat primas in Eccleſia. XXII. 2. ad Corinth. 11. Paulus afferit, quod ad ſe ipſum pertinebat Eccleſiarum omnium ſollicitudo: ergo non ad Petrum.

Reſpondemus ad I. quod quando diſſentio non eſt circa ſubſtantiam facti, ſed ſolum circa circumſtantias vel temporis, vel loci, rem dubiam non reddit. Chriſtum ſubiiſſe mortem certiſſimum eſt, incertus vero annus, quo ſubiit, nihil tamen per hoc mortis certitudini detrahitur. Cæterum diſſentio eſt cum ſolo Lactantio, quia alii parum aut nihil diſtant, & parum pronihilo reputatur. Lactantius vero etſi tempus maxime incertum reddat, rem tamen certiſſimam habet, ut legitur lib. de mortibus perſecutorum, qui in objectione laudatur: *Cum Nero jam imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibuſdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei data ſibi ab eo poteſtate faciebat, convertit multos ad juſtitiam. Deoque templum fidele ac ſtabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romæ, ſed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu Idolorum, & ad Religionem novam damnata vetuſtate tranſire, ut erat execrabilis ac nocens Tyrannus, proſilivit ad excidendum celeſte Templum, delendamque juſtitiam, & primus omnium perſecutus Dei ſervos, Petrum cruci affixit, & Paulum interfecit.*

Ad II. Converſio Pauli non aſſignanda eſt ad annum tertium a paſſione Chriſti, ut ait Calvinus, ſed ad primum. Paulus enim ſex annis commoratus eſt in Oriente, ultra tempus illud in peregrinationibus conſumptum; quod tempus ſic diſtribuit Natalis Alexander: „Octodecim quippe menſibus Corinthi, (Act. 18.) tribus menſibus in epheſina Judæorum Synagoga, (Act. cap. 19.) duobus annis in ſchola Tyranni, (ibidem) tribus menſibus in Græcia, (Act. 20.) duobus denique annis in Jeroſolymitano carcere; (ibidem) atqui S. Paulus Jeroſolymis Romam profectus eſt anno a paſſione Chriſti 24. e carcere ſiquidem ſolutus eſt eo ipſo anno, quo Feſtus Judææ Prorex ſubſtitutus eſt Felici, ut conſtat ex Actuum cap. 26. ideſt ſub Antiſtii conſulatu, anno ſecundo Neronis, ſi profanis etiam Authoribus fides. Is igitur annus fuit a Paſſione Chriſti 24. ſive (ipſum Paſſionis Dominicæ annum recenſendo) vigeſimusquintus. Quod plane cum S. Hieronymo conſentit in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, in Paulo dicente: *Poſt Paſſionem Domini 25. anno; id eſt, ſecundo Neronis, eo tempore, quo Feſtus Procurator Judææ ſucceſsit Felici, Romam vinctus mittitur.* Si igitur ex annis 24. poſt Paſſionem Chriſti ſexennium demas interpoſitum inter Concilium Jeroſolymitanum, & profectionem S. Pauli Romam, conſtabit Concilium illud celebratum fuiſſe 18. anno a Paſſione Chriſti, non vero 20. ut Heterodoxi ſupponunt. Porro inter Sancti Pauli Converſionem, & Concilium Jeroſolymitanum, ſeptemdecim fluxerunt anni, ut ex ipſomet Paulo diſcimus ad Galatas 1. ſcribente: Deinde poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum. Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Jeroſolymam. Ex annis igitur 24. poſt Paſſionem Dominicam, quibus exeuntibus S. Paulus Romam profectus eſt, ſubtrahamus ſex annos, inter Jeroſolymitanum Concilium; & profectionem illam Romanam, elapſos: & ex octodecim annis reſiduis demamus ſeptemdecim, qui S. Pauli converſionem inter & Jeroſolymitanum Concilium interfluxere: liquidum erit converſionem illam anno primo poſt mortem Chriſti contigiſſe. „ Et ulteriora quæ proſequitur lato calamo idem Alexander. Cæterum P. Boucat ex Bellarmino ſic conficit Epocham S. Petri: „Ergo Petrus primo manſit quinque circiter annis in Judæa, quo tempore Paulus tribus a ſua converſione elapſis annis, potuit Petrum Jeroſolymis convenire; anno vero quinto a paſſione Domini Petrus Antiochiam venit, ut ſcribit Euſebius. Secundo ſeptem annis Eccleſiam

„ rexit Antiochenam a se ipso fundatam:
„ neque vero existimandum est ibi sine in-
„ terruptione inhabitasse, sed his tempo-
„ ribus peragrasse Pontum, Asiam, Gala-
„ tiam, Cappadociam, & Bithyniam, ubi
„ novas erexit Ecclesias, absoluto vero in
„ Sede Antiochena septennio, Evodium
„ loco suo creavit Civitatis Episcopũ. Tum
„ anno a Passione Christi undecimo rediit
„ Jerosolymam, ubi ab Herode conjectus
„ in vincula, ut habetur Act.12. Sed pau-
„ lo post ab Angelo e carcere solutus, pe-
„ tiit Romam, & ibi suam fixit sedem,
„ quam 25. annis tenuit. Neque etiam
„ toto tempore Romæ commoratus est,
„ sed elapsis septem circiter annis, expulsis
„ ab Urbe Judæis Act.18. anno scilicet no-
„ no Claudii Petrus iterum reversus est Je-
„ rosolymam, quod incidit in annum de-
„ cimumoctavum a passione Christi, jam
„ vero Antiocheni certiores facti Petrum
„ tunc Jerosolymis adesse, miserunt ad
„ eum Paulum, & Barnabam, & tunc ce-
„ lebratum est Concilium Jerosolymita-
„ num, mortuo autem Claudio, Petrus
„ rediit Romam, ubi & martyrio ultimum
„ clausit diem.„

Ad III. Petrus bis Romam venit primo anno Claudii secundo, & per septennium ibi mansit; postmodum ob Claudii edictum cum cæteris Judæis Roma pulsus anno Claudii nono, Jerosolymam se recepit, ubi eodem anno concilium celebravit. Postquæ iterum Romam venit circa initium Imperii Neronis. Ex quibus bene conciliatur, quod Petrus vigintiquinque annis Romæ sedit.

Ad IV. Si argumentum valeret, sequeretur, quod nec Jacobus fuerit Jerosolymis Episcopus, nec Timotheus Ephesi, quia Paulus nec in epistola ad Hebræos Jacobum, nec in illa ad Ephesios Timotheum salutavit. Re vera tamen quando Paulus scripsit Epistolam illam ad Romanos, Petrus non erat Romæ, quia jam cum cæteris Judæis ob Claudii edictum exulaverat, ut clare ostendit Natalis Alexander.

Ad V. Paulus in epistola ad Philippenses loquutus est tantum de illis, quos ad eosdem Philippenses mittere poterat, Petrum autem mittere nec poterat, nec debebat. Quod constat ex ipsomet Textu: *Spero autem in Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos, ut ego bono animo sim, cognitis, quæ circa vos sunt: neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.*

Ad VI. Paulus queritur de illis, qui poterant ipsum apud Cæsarem adjuvare; Petrus autem, quia ejusdem criminis reus putabatur, non poterat ipsi apud iniquum Judicem adjumento esse, & ideo de Petro queri nec poterat, nec debebat; sicuti propter eandem caussam nec de Timotheo questus est, qui etiam Romæ inveniebatur.

Ad VII. Non omnes Christiani, qui Romæ erant, obviam iverunt Paulo, quando illuc pervenit, sed aliqui tantum, quos Petrus elegit, ut hoc officium Paulo præstarent. Petrus vero vel Romæ latitabat, vel extra Romam inveniebatur in peregrinationibus, quas sæpe suscipiebat, ut alias Ecclesias vel inviseret, vel fundaret.

Ad VIII. Non rogabant Judæi Paulum, ut sibi christianam Religionem explicaret, sed tantum ut de illa suam sententiam aperiret, quia eum in Mosaica lege peritum admodum reputabant.

Ad IX. Respondet S.Hieronymus in comment. epist 2. ad Galat *Occulta hic oritur quæstio: Quid igitur Petrus, si invenisset ex Gentibus, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus si ex circumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi Baptismum provocabat? Quæ ita solvetur, ut dicamus principale singulis in Judæos, & Gentes fuisse mandatum, ut qui defendebant legem, haberent quem sequerentur: Qui legi gratiam præferebant, non deesset eis Doctor & prævius. In commune vero hoc habuisse propositi, ut Christo ex cunctis Gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim & a S.Petro Gentilem baptizatum fuisse Cornelium, & a Paulo in Synagoga Judæorum Christum sæpissime prædicatum.*

Ad X. S.Lucas pro instituto habuit in Apostolorum Actis describendis gesta tantum narrare Pauli Magistri sui, & non Petri, vel aliorum Apostolorum. Silentium autem ipsius de Petro fuit potius Hieronymo motivum scribendi Lucam multa, Historici licentia, prætermisisse; ut ait ad cap.2. epist. ad Galatas: *Mirum non esse, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit; & non statim esse contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit.*

Ad XI. Acta Lini a Bellarmino de Scripto-
ribus

ribus Eccleſiaſticis ſunt ſpuria, & illegitima; adeoque nullam fidem faciunt, & quando ſilent, & quando loquuntur. Hæc ſunt Bellarmini verba: „ Similis „ narrationi Prochori eſt narratio, quæ „ ſub nomine Sancti Lini extat in Biblio- „ theca Sanctorum Patrum. Narrat enim „ Auctor ille multa de Actis S. Petri, quæ „ vel falſa, vel dubia ſunt, neque teſti- „ monium habet hoc opuſculum S. Lini a „ veteribus. „

Ad XII. Sic reſpondet Natalis Alexander: „ S. Auguſtinum certamen Sancti Petri „ cum Simone Mago nuſquam indubium „ revocaſſe, imo illud celebraſſe lib. de „ hæreſibus ad Quodvultdeum: ſed ait „ duntaxat opinionem eſſe de falſitate ſu- „ ſpectam, quod conſuetudo jejunandi „ ſabbatis, quæ in Eccleſia Romana vige- „ bat, ex jejunio Sancti Petri die ſabbati, „ quæ certamen illius cum Simone Mago „ præceſſit, manaverit ad poſteros „. En Auguſtini verba epiſt. 86. *Eſt quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis eam perbibeant eſſe falſam plerique Romani, quod Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejuſdem Urbis Eccleſia jejunaverit: & conſecuto tam proſpero glorioſoque ſucceſſu, eumdem morem tenuerit, eumque imitatę ſint nonnullę Occidentis Eccleſię.*

Ad XIII. S. Hieronymus non dicit, quod omnes Apoſtoli fuerint vel crucifixi, vel lapidati, ſed quod aliqui; Et hoc verum eſt. Quod vero ſubjungit de donis in altero ſenſu dicit, & tantum abeſt ut aſſerat Petrum fuiſſe crucifixum Jeruſolymis, quod potius de Eccleſiaſticis ſcriptoribus agens aperte dicit Petrum cruci affixum Romæ obiiſſe.

Ad XIV. Epiſtola, quæ citatur inter ſuppoſititias adnumeratur, ut videre eſt apud Bellarminum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in S. Clemente. „ Epiſtola „ poſterior ad Corinth. neque extat, neque „ ab Eccleſiis probabatur, ut S. Hierony- „ mus teſtatur loco citato. Epiſtolæ quin- „ que, quæ nunc extant, non carent ſcru- „ pulo. Nam conſtat S. Jacobum, ad quem „ ſcribuntur duæ epiſtolæ obiiſſe multo „ ante S. Petrum, & tamen in iis ſignifi- „ catur Jacobo mors S. Petri, ſed forte „ epiſtolæ ſcriptæ ſunt ad Simeonem fra- „ trem Jacobi non ad ipſum. In epiſt. 5. „ laudatur communitas omnium rerum, „ etiam uxorum: & totus hic locus deſum- „ ptus eſt ex lib. 10. recognitionum, ubi „ hæc dicuntur a Fauſtiniano Ethnico, & „ a S. Clemente refutantur. Sed forte hæc „ irrepſerunt, & in Codice Vaticano non „ inveniuntur. Scripſiſſe Clementem alias „ quoque Epiſtolas, præter aliam cele- „ brem ad Corinthios; teſtatur S. Hiero- „ nymus in lib. 1. adverſus Jovinianum, „ ubi dicit Clementem in ſuis Epiſtolis „ omnem pene ſermonem de Virginitatis „ puritate contexere: quas laudes Virgini- „ tatis in Epiſtolis, quæ extant, non re- „ perimus.

Ad XV. Dicitur, quod quamvis Apoſtoli de via extraordinaria habuerint peccata dimittendi poteſtatem illimitatam, quia per omnem terram prædicaturi erant Evangelium; de via tamen ordinaria non habuerunt. Unde fit, quod Succeſſores Petri, qui illam poteſtatem habuit de via Ordinaria, in eadem ei ſuccedant, non ſic vero Epiſcopi, qui ſunt Apoſtolorum ſucceſſores; Apoſtolis ipſis ſuccedunt; quia ſucceſſio eſt tantum quoad illa, quæ jure ordinario habentur, non vero quoad illa, quæ extraordinario jure exercentur. Unde poteſtas, quæ in Apoſtolis erat conſiderari poteſt uti privilegium, unicuique ex ipſis collatum ratione perſonæ, quod pariter cum perſona extinctum eſt.

Ad XVI. Fundamentum primarium totius Eccleſiæ eſt ſolus Chriſtus; fundamentum miniſteriale primum fuit ſolus Petrus; fundamenta miniſterialia ſecunda fuerunt cæteri Apoſtoli. Sicque diverſa ratione fuit fundamentum Petrus, & fuerunt Apoſtoli. Reſponſio eruitur ex Cypriano, Ambroſio & Hieronymo. Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ ait: *Pari honoris & poteſtatis conſortio præditi:* Ambroſius ſerm. 47. *Petra dicitur Petrus, eo quod tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat:* Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum explicans verba illa: *Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum*, ſcribit: *Licet ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſię fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.*

Ad XVII. Chriſtus Dominus præcipiebat humilitatem diſcipulis ſuis, ſed non deſtruebat ordinem in Eccleſia ſua; quem profecto deſtruxiſſet, ſi nullum in ea caput & Principem præfeciſſet. Immo potius majoritatem in Eccleſia ſupponebat, quando dixit: *Qui major eſt in vobis*, ecce majoritas; *fiat ſicut minor*; ecce humilitas.

Qui-

Quibus verbis pariter ordo designantur, qui inter majorem & minorem necessario habendus est.

Ad XVIII. Petrus ex humilitate illa scribebat, quæ in Ecclesiæ Principibus debet supra omnes virtutes eminere; non tamen volebat, neque poterat a seipso Principatum, quem ei dederat Christus abdicare. Unde pariter a Gregorio Magno Romani Pontifices se subscribere inceperunt cum titulo illo, qui est profundæ humilitatis indicium: *Servus servorum Dei*; quod fecit Gregorius, ut reprehenderet Joannis Patriarchæ Constantinopolitani superbiam, qui Oecumenici titulum usurpaverat.

Ad XIX. Petrus missus est in Samariam ex consilio, non ex præcepto Apostolorum; sicut, ait P. Boucat, ex Medicorum consilio Rex mittitur ad Balnea, vel ad locum aeris salubrioris; & non per hoc Medici authoritatem aliquam supra Regem exercent.

Ad XX. Hieronymus epist. ad Augustinum, & Theodoretum in epist. ad S. Leonem, dicunt, quod Jacobus protulit sententiam nomine Petri, & ut ejus interpretes; sicut Cancellarius Regis nomine Regum profert Edictum. Revera Petrus erat Præses in omnibus Apostolorum Conciliis, qua igitur ratione poterat alius sententiam proferre? Et quod fuerit Præses, legitur Act. 15. *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere .... Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* Quemadmodum in altero Concilio, quod describitur Act. 1. Petrus ex semetipso sententiam dixit: *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit ... Viri fratres oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda.*

Ad XXI. Clemens Alexandrinus & Hieronymus dicunt, quod Paulus reprehenderit Cepham, sed non Petrum; hoc est alium discipulum ex numero septuagintaduorum, qui vocabatur Cephas, & fuit Comes cum Cleopha, quando Emmaus adivit. S. Thomas vero dicit, quod reprehensio illa fuit potius actus exhortationis, quam correctionis, & quod inferior potest aliquando superiorem commonere.

Ad XXII. Et ad Paulum & ad cæteros Apostolos, sollicitudo omnium Ecclesiarum pertinebat ratione jurisdictionis extraordinariæ, quam omnes & singuli habebant ut dictum est nuper; non vero ratione jurisdictionis ordinariæ, quam solus Petrus habebat.

Dicimus II. Romanum Pontificem habere Primatum in Ecclesia, & quidem jure divino, & esse Primatum non tantum honoris, & præeminentiæ, sed pariter auctoritatis, & jurisdictionis. Tres partes habet Conclusio.

Prima Conclusionis pars I. probatur ex scripturis. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Sed si Primatus Petri non transiret ad successores, Ecclesia Christi non esset bene fundata, & portæ inferi prævalerent adversus eam: ergo &c. Minor probatur ex verbis Cypriani epist. 55. ad S. Cornelium Papam: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur.* Et epist. 40. *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, supra Petrum Domini voce fundata.* Insuper Joan. 21. *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Agni Christi, & oves Christi, non sunt tantum illi, qui fuerunt heri, & nudiustertius, sed etiam illi, qui fuerunt, sunt, & erunt, in Ecclesia usque ad consummationem sæculi: ergo Christus non dedit potestatem Petro, quæ in ipso Petro finiret, sed quæ ad Successores ejus se extenderet, & tamdiu se extenderet, quamdiu in Ecclesia Christi essent oves & agni, quos pascere debuisset. Quod quidem argumentum roborans Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio: *Quanam de causa ille Sanguinem effudit suum? Certe ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat.* S. Leo serm. 2. de anniverf. assumpt. suæ ad Pontif. *Manet dispositio veritatis; & B. Petrus in accepta fortitudine Petra perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit; perseverat videlicet Petrus, & vivit in successoribus suis.* Et B. Petrus Episcopus Ravennæ epist. ad Eutichem *B. Petrus, qui in propria sede vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Hormisda epist. 22. ad Justinum Imperatorem: *Venerabilis regni vestri primitiis, fili gloriosissime, loco muneris gratulationem*

suam

suam Catholica transmittit Ecclesia, per quas se post tantam discordiæ fatigationem, requiem pacis invenire confidit. Nec dubium est, ideo ad rerum summam cœlesti vos providentia pervenisse, ut vestris temporibus impacta Religioni in Orientis partibus aboleatur injuria. Debitas B. Petro Aposto imperii vestri primitias reddidistis, quas hac ratione devoto suscepimus: quia Ecclesiarum per vos proxime futuram credimus sine dubitatione concordiam. Pelagius I. epist. 1. ad Vigilium: *Memor sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus est a Domino Jesu Christo glorificata confessio, & cujus fides omnes quidem hæreses destruit, sed maxime impietatem præsentis erroris expugnat. Et intelligo aliter mihi non licere, quam ut omnes conatus meos ei causæ, in qua universalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam.* Pelagius II. epist. ad illegitimam Synodum Constantinopolitanam: *Relatum est ad Apostolicam sedem Joannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare Generalem, cum Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ sedi B. Petri singulari privilegio sit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prædicto vestro Conventiculo (quia Synodus taliter præsumpta esse non potuit) statuistis ex auctoritate S. Petri Apostolorum Principis, & Domini Salvatoris voce, qua B. Petro potestatem ligandi atque solvendi ipse Salvator dedit: quæ etiam potestas in Successoribus ejus indubitanter transivit, præcipio omnia, quæ ibi statuistis, & vana, & cassata esse, ita ut deinceps nunquam appareant, nec ventilentur. Multis denuo Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Vos quoque deinceps ut nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ Sedis communione carere non vultis, &c. Orate fratres, ut honor Ecclesiasticus nostris diebus non evacuetur: nec unquam Romana sedes, quæ (instituente Domino) caput est omnium Ecclesiarum, privilegiis suis usquam careat, aut expolietur.* Gregorius Magnus lib. 6. epist. 37. ad Eulogium Alexandrinum: *Cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire, dignatus est. Ipse decoravit sedem, in qua Evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit.* Martinus I. epist. 10. ad Amandum. *Hortamur ut intentiore studio vires tuas conferas Dei amantissimo Episcopo Philadelphensium Civitatis: quoniam eum vice nostra, Deo juvante, fungi canonice jussimus, ut Catholicas in illis partibus Ecclesias decenter ordinet, in iis omnibus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos creans, permissa ei a Domino per nos minimos, sive per auctoritatem Sancti & Principis Apostolorum Petri, spirituali potestate: ne viduati in tam multis temporibus, talique afflictionis pressura, populi in terram squallidam & infrugiferam vertantur.* Leo II. epist. 2. ad Præsules Hispaniæ: *Scientes igitur, quia est in vobis Christianæ Religionis flagrans studium, ubisque spiritualibus amplectimini seminus cœlestis doctrinæ, & Evangelicæ, atque Apostolicæ traditionis, in vobis fructificet fervor & puritas: pro qua hæc Sancta Ecclesiarum omnium mater Apostolica Sedes usque ad victimam desudavit semper, & desudat, & prius (si hoc divina Majestas censuit) animam a corpore temporaliter deligit sequestrari, quam proditione sacrilega se a confessione veridica pro temporali delectatione, vel afflictione sejungi.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in canonibus collectis ex epist. Julii Papæ Can. 1. *Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Can. 2. *Ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit libere Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant: ut ab ea (sicut semper fuit) pie fulciantur, defendantur, & liberentur: cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia antiqua Apostolorum, eorumque successorum, & Canonum auctoritas reservavit: quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem sedis Papa fieri placuit.* Concilium Chalcedonense act. 1. *Et post hæc residentibus magnificentissimis & gloriosissimis Judicibus, & amplissimo senatu in medio, ante Cancellos Sanctissimi Altaris, & ex læva quidem parte sedentibus sanctissimis, & reverendissimis Episcopis, & Vicariis Deo amicissimis, sanctissimi, & reverendissimi Leonis Antistitis priscæ Urbis Romæ, & Anatolio religiosissimo Archiepiscopo Constantinopolitano, & Maximo Episcopo Antiochiæ, & Thalassio Episcopo Cæsarensi, & Stephano Episcopo Ephesi &c. Paschasinus vero Vicarius sedis Apostolicæ, cum in medio una cum his viris reverendissimis collegis suis stetisset, dixit: Beatissimi, atque Apostolici viri Papa Urbis Romæ,*

mæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hæc nos observare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus &c. Lucentius collega ipsius dixit: Judicii sui necesse est eum dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere, sine auctoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Concilium Mopsuestiana epist. ad Vigilium Papam: Decebat, cum primam sacerdotis dignitatem sortiti estis, ea, quæ ad Sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestra diutius honoratæ Beatitudini fieri. Concilium Nicænum II. act. 2. Ecclesia Romana est caput omnium Ecclesiarum. Concilium Constantinopolitanum Generale VIII. can. 21. Definimus, neminem prorsus mundi potentium quemquam eorum, qui Patriarchalibus sedibus præsunt, inhonorare, aut movere a proprio throno tentare, sed omni reverentia, & honore, dignos judicare. Præcipue quidem Sanctissimum Papam senioris Romæ: deinceps etiam Constantinopoleos Patriarcham; deinde vero Alexandriæ, Antiochiæ, atque Jerosolymorum. Sed nec alium quemquam conscriptiones contra Sanctissimum Papam senioris Romæ, ac verba complicare, vel componere liceat, sub occasione, quasi diffamator quorundam criminum. Quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioscorus. Quisquis autem tale facinus sedem Petri Principis Apostolorum ausus fuerit intentare, æqualem & eandem, quam ille condemnationem recipiat. Concilium habitum in Epiro epist. ad Hormisdam Papam: Domino nostro per cuncta Sanctissimo & Beatissimo Patri Patrum, comministro & Principi Episcoporum Hormisdæ Papæ: Si dignis præmiis &c. Concilium Turonense II. cap. 21. post decretum Innocentii Papæ recitatum: Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ a sede Apostolica processerunt, agere præsumat? Et quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos sedes Apostolica semper intromisit? Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas. Concilium Trident. sess. 14. cap. 7. de pœn. Unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Irenæus lib. 3. adversus Hæres. cap. 3. Ad hanc enim Ecclesiam (Romanam intelligit) propter potiorem principatum necesse est omnem convenire Ecclesiam. Athanasius epist. ad Felicem Papam: Ob id vos, prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules in summitatis arce constituit; omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis. Et in epist. ad Marcum Papam: Optamus ut a vestra sanctæ sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est mater, & caput omnium Ecclesiarum ea ad correptionem & creationem Fidelium Orthodoxorum præcipere per præsentes Legatos mereamur. Vere novimus Apostolatum vestri cor gratia S. Spiritus in tantum esse accensum, ut omnibus oppressis succurratis, quanto magis nobis, qui licet exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis, esse semper volumus. Basilius epist. 52. ad Athanasium: Visum est consentaneum scribere ad Episcopum Romanum, ut videat res nostras, & judicii sui decretum interponat. Cyrillus Alexandrinus in thesauris apud Allatium lib. 1. de consens. cap. 21. num. 4. Oportet nos tanquam membra inhærere capiti nostro, Romano Pontifici, & throno Apostolico: Ex quo nostrum est quærere quid credendum, quid sentiendum, & quid tenendum sit; solius enim illius est reprehendere, corrigere, increpare; determinare, disponere, solvere, & ligare. Chrysostomus homil. 6. adversus Judæos: Petrus itaque post illam nefariam abjurationem, quoniam celeriter suum ipsius peccatum recordatus est, nulloque accusante, dixit peccatum, flevitque amare, adeo abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totius terrarum Orbis commissus. Theodoretus lib. 2. cap. 22. Histor. Ecclesiast. Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debet: præsertim cum formula composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integre gesserat, neque aliis eidem consentientibus placuerit.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Cyprianus in Epist. ad S. Cornelium: Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent, & tenerent... ut te universi Collegæ nostri & communicationem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter & charitatem probarent, firmiter ac tenerent. Tertullianus lib. de præscript. cap. 36. Habes Romam, unde

nobis

nobis quoque auctoritate presto est. Ista quam felix Ecclesia! Cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmen. *Cathedra unica, quę est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus.* Hieronymus epist. 16. alias 58. ad Damasum: *Hinc presidiis fulta mundi Ariana rabies fremit: Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat, Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ergo interim clamito: Si quis Cathedra Petri injungitur, meus est.* Augustinus lib. 4. cap. ultimo ad Bonifacium: *Quid est ergo quod dicunt simplicibus Episcopis sine Congregatione Synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est .... aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando, nisi congregatione Synodi damnata sit: cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas, necessitas talis extiterit, &c.* Et lib. 3. cap. 1. contra Julianum: *Dedit vobis Ecclesia Catholica judicium, quale debuit, ubi causa vestra finita est.* Quod & pariter fatetur multis in locis aliis, nempe: Psalm. contra Partem Donat. sermon. 2. de verb. Apost. lib. 1. ad Bonifacium cap. ult. & lib. 2. cap. 3. Prosper contra Collatorem cap. 41. *Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armavit Antistitum, quando sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat: & contra inimicos gratiæ Dei, non solum Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur edictis. Venerabilis memoriæ Pontifex Cælestinus, cui ad Catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicii, sed solum pænitentiæ remedium esse præstandum, Cælestinum, quasi non discusso negotio, audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeo & Prædecessorum suorum statuta, & decreta Synodalia inviolabiliter servanda censebat; ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Nec vero segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam Insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.* Petrus Chrysologus epist. ad Eutychen: *In omnibus hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quę a Beatissimo Papa Romanę Civitatis prę-scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria sede & vivit, & presidet, prestat quęrentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & fidei extra consensum Romanę Civitatis Episcopi causas audire non possumus.*

VI. Probatur rationibus I. Christus fundavit Ecclesiam, ut perduraret, ac perseveraret ad seculi finem; sed non poterat perseverare & perdurare usque ad seculi finem in solo Petro: ergo debebat perdurare, & perseverare in successoribus ejus; Atqui non poterat perdurare & perseverare in successoribus ejus alio modo, quam quo duravit & perseveravit sub Petro: ergo sicut Petrus fuit caput & Primas Ecclesiæ, ita etiam deinde fuerunt & modo sunt successores ipsius. II. Christus fundando Ecclesiam ad sui conservationem, dicendum est, quod ei dederit regimen, quod est optimum; sed regimen, quod est optimum, est monarchicum aristocratico temperatum: ergo hoc regimen dedit Christus Ecclesiæ suæ; atqui regimen Monarchicum aristocratico temperatum dicit dependentiam ab uno, qui sit caput & Primas in Ecclesia: ergo quemadmodum hic unus erat Petrus in prima Ecclesiæ fundatione, ita modo in Ecclesiæ conservatione sunt Romani Pontifices Petri successores. III. In Synagoga, quæ erat Ecclesia Legis Mosaicæ præfuit ex Dei institutione Aaron, ut Summus Pontifex, & Sacerdotum Princeps, cui deinde unus post alium reliqui successerunt; & hoc quidem habetur ex Deuteron. cap. 17. & ex testimonio Josephi lib. 1. contra Appionem: *Lex Sacerdotibus in communi quidem res præcipuas dispensare permittit; Summo vero Pontifici aliorum Sacerdotum Principatum competenter injungit;* sed Synagoga, quæ erat Ecclesia Legis Mosaicæ, erat figura Ecclesiæ legis Evangelicæ: ergo quemadmodum in illa unus præfuit Aaron, ita in hac unus præfuit Petrus, & sicut in illa omnes, qui successerunt Aaroni, eandem potestatem habuerunt, quam habuit Aaron; ita & in hac omnes, qui succedunt Petro eandem potestatem habent, quam habuit Petrus. IV. Ecclesia est acies ordinata, est ovile, est domus, est corpus; sed in acie unus est dux, qui præsidet; in ovile unus Pastor principalis, qui regit; in domo unus Paterfamilias, qui gubernat; in corpore unum est caput, quod in cætera influit membra, eaque ordinat, ac dirigit, ita

in Ecclesia unus est Pontifex, qui in universalitate illam regit, disponit, ac ordinat. Quæ quidem similitudinea ita a Patribus afferuntur, & applicantur; nimirum Cyprianus epist. 76. ad Magnum, loquens de Novatiano, qui invaserat Romanam sedem, jam vivente Cornelio Pontifice: *Idcirco Dominus insinuans nobis unitatem, de divina authoritate venientem, ponit, & dicit: Ego, & Pater unum sumus. Ad quam unitatem redigens Ecclesiam suam, denuo dixit: Et erunt unus grex, & unus Pastor. Si autem grex unus est, quomodo potest gregi adnumerari, qui in numero gregis non est? Aut Pastor haberi quomodo potest, qui manente vero Pastore in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, & a se incipiens, alienus fit & profanus, dominicæ pacis, ac divinæ unitatis inimicus?* Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio cap. 1. *Quanam de causa ille sanguinem effudit suum? Certe ut oves eas acquireret, quarum curatum Petro, tum Petri Successoribus committebat. Jure igitur ac merito sic loquebatur Christus: Quisnam fidelis servus & prudens, quem Dominus super familiam suam constituit? . . . . Non hoc ait, quod ei ignotus sit fidelis ac prudens servus: sed quod exprimere velit, tum hoc opus quam rarum sit: tum quæ sit functionis hujus amplitudo. Contemplare itaque & præmium quantum: Super omnia, inquit, bona sua constituet eum. Etiamne nunc nobiscum contendens, fraudem istam tibi non bene ac feliciter cessisse, qui per eam universis Dei Optimi Maximi bonis sis præficiendus; cum præsertim ea agas, quæ cum Petrus ageret, illum Christus auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe praecellere?* Nazianzenus in brevi homilia decretatione Episcopi Doadurum hæc de Romano Pontifice scribit: *Non venimus in magni illius Pastoris contemptum & ignominiam, qui splendidæ civitati præsidet. Honorabilem scimus, caput agnoscimus, sanctum vocamus, tametsi injuria affecti tantum indulgentem, & humanum Patrem filiis se præbeat, totique Ecclesiæ sedulo prospiciat.*

Secunda Conclusionis pars probatur. I. Primatus Romani Pontificis fuit a Christo Domino institutus: ergo est de jure divino. Probatur antecedens. Ex Conciliis & Patribus Christus instituit Primatum Romani Pontificis, quando dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; sed hæc verba explicant Concilia & Patres non solum de Primatu Petri, sed etiam de Primatu Romani Pontificis, qui illi legitime succedit: ergo &c. II. Primatus Romani Pontificis est idem ac Primatus Petri; sed Primatus Petri fuit de jure divino: ergo pariter Primatus Romani Pontificis est de jure divino. Probatur minor. Ex Conciliis & Patribus Petrus vivit in Romano Pontifice, ut docet Petrus Chrysologus epist. ad Eutychetem, quæ refertur in 1. part. Concilii Chalcedonensis: *Beatus Petrus in ejus sede vivit & præsidet, & præstat quærentibus fidei veritatem*. III. Christus instituit Primatum in Ecclesia, ut Ecclesiam suam hoc pacto regeret, & conservaret in ævum: ergo quandiu Ecclesia durat durare debet hic Primatus: ergo durare debet in omnibus Romanis Pontificibus, qui sunt Christi Vicarii, & Successores Petri. IV. Christus instituit hunc Primatum, ut servaret unitatem in Ecclesia; sed hæc necessitas, non fuit solum in Petro, sed etiam in ejus successoribus: ergo Primatus non debuit solum esse in Petro, sed etiam in ejus successoribus. V. Quod semper servatum est in Ecclesia, & suæ institutionis non invenitur exordium juxta regulam Augustini, deducendum est ad Christum; sed Primatus Romani Pontificis semper servatus est in Ecclesia, & ejus institutionis nec in Ecclesia, nec in Conciliis invenitur Exordium: ergo deducendus est ad Christum: Unde dicebat Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum: *Cathedra unica est . . . . sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens*. VI. Petrus fundavit Ecclesiam Romanam, & illius Episcopus fuit, ex inspiratione & præcepto Christi; sed Pontifex ideo succedit Petro in Primatu totius Ecclesiæ, quia succedit Petro in Episcopatu Romano, in quo Petrus sedit & mortuus est: ergo ex institutione divina succedit. Major ex multorum Patrum doctrina constat, & præcipue illorum, qui referunt Historiam Petri fugientis Roma, & Christi eidem apparentis, quem quum interrogasset Petrus: *Domine quo vadis?* Illi respondit: *Vado ut iterum Romæ crucifigar*, quo facto intellexit Petrus sibi moriendum esse Romæ ut ei in Primatu Romanus Episcopus succederet. VII. Si Primatus Romani Pontificis non esset de jure divino, propositio contrarium asserens, non esset censurabilis & damnabilis ut hæretica; sed de facto

ut

ut hæretica damnata est: ergo &c. Minor patet ex Innocentio X. qui anno 1647. die 24. Januarii damnavit quosdam, qui asserebant, Paulum cum Petro in dignitate fuisse parem; quam censuram submisse recepit Clerus Gallicanus 1681. dicens: *Caput est Ecclesiæ*, (Romanus Pontifex) *centrum unitatis: obtinet ille in nos Primatum auctoritatis & jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona S. Petri collatum: Qui ab hac veritate dissentiret, Schismaticus, immo & Hereticus esset*. Et in declaratione facta in Comitiis anni 1682. sic loquitur: *In fidei quæstionibus præcipuæ S. Pontificis partes sunt, ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinent*. Quod pariter propugnavit sacra Facultas Parisiensis anno 1542. in censura contra 23. articulum Lutheri: *Nec minus certum est unum esse jure divino summum in Ecclesia Christi Militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur*. Et anno 1617. in censura contra Spalatensem: *Propositionem, qua ille asseruerat, Romanam Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias Ecclesias non habere; hæreticam esse & schismaticam*. VIII. Primatus Romani Pontificis non est ex institutione humana: ergo est ex institutione divina. Probatur antecedens. Si esset ex institutione humana, vel esset ex institutione Ecclesiastica, vel ex laicali; sed ex neutra ex his: ergo non est ex institutione humana. Probatur minor; non est ex institutione Ecclesiastica, quia, ut dictum est, nullum reperitur Concilium, in quo facta fuerit hujusmodi institutio; neque ex institutione laicali, quia ultro fatentur Principes, hanc institutionem a solo Deo fuisse factam. Et sunt Valentinianus Imperator epist. ad Theodosium, Justinianus novel. 181. tit. 14. cap. 2. quibus adhæsit Senatus Parisiensis in sua declarat. de libertatibus Gallicanis, quam fecit Ludovico XI. anno 1461., & quam refert P. Boucat Gallus: *Protestatur Curia vestræ Majestati se nullo modo propter quæcunque inferius dicenda, Excellentiæ, Sanctitati, dignitati, honori, & auctoritati nostri Sancti Patris Papæ, sanctæque sedi Apostolicæ derogare; sed e contra ei honorem, reverentiam, & obedientiam, quam omnes boni Fideles Catholici supremo Ecclesiæ Pastori præstare tenentur*.

Tertia Conclusionis pars probatur I. Pascere non est dignitatis tantum, & honoris, sed etiam authoritatis, & potestatis, sed Petro & successoribus ejus, dictum fuit a Christo, ut pascerent, qui illis erant subjecti: ergo primatus ipsorum non fuit tantum honoris, & præeminentiæ, sed etiam potestatis, & jurisdictionis. II. Non solum dictum fuit Petro, & Successoribus ejus, ut pascerent agnos, quorum nomine venit Populus; sed etiam ut pascerent oves, quæ pariunt agnos, & quarum nomine veniunt Episcopi: ergo Episcopi non sunt pares cum Romano Pontifice, si ab illo debent pasci verbo doctrinæ, & exemplo: ergo Romanus Pontifex non solum est ante illos, sed etiam supra illos, quod importat primatum authoritatis, & jurisdictionis, & quidem ex Christi voce, & institutione. III. Etiam ex Christi voce, & institutione dictum est Petro, & Romanis Pontificibus, ut confirmarent Fratres suos, qui sunt Episcopi; sed hoc, quod est confirmare importat authoritatem, & jurisdictionem. IV. Primatus, quem omni tempore exercuerunt Romani Pontifices in Ecclesia, non fuit tantum honoris, & sessionis, sed etiam authoritatis, & jurisdictionis, sed non exercuissent, si non habuissent, nec Ecclesia, nec Episcopi unquam tolerassent illum, si in eis vere non fuisset: ergo, &c. quod quidem fatetur ipsemet Ruffinus apud Hieronymum in Symboli explanatione ad Damasum: *Si quid parum caute positum est, emendari cupimus a te, qui Petri, & fidem tenes, & sedem*. V. A Romanis Pontificibus omni tempore Episcopi petebant hoc authoritatis, & jurisdictionis exercitium, & non ab alio petebant: ergo in illo solo cognoscebant legitime esse positum, & non in alio; quod clare patet ex Epistola, quam dederunt ad Theodorum Papam Columbus, & cæteri Primates, & Episcopi Provinciarum Africæ, Numidiæ, Byzaceni, & Mauritaniæ, ipsum Papam primo loco salutantes *Patrem Patrum, & summum omnium Præsulum Pontificem*; & deinde dicentes: *Magnum & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter universum largissime irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honorem Beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omnino & solicite debent, maxime vero justeque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cujus vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quam pro-*

bare laudanda: Antiquis enim regulis sanctum est, ut quicquid quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur Provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus auctoritate, juxta quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte) prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis. VI. Quum alii fuerint in Ecclesia Episcopi, & Patriarchæ, non ab alio, quam a Romano Pontifice, visum semper fuit, Fideles auxilium, judicium, & præsidium in rebus fidei postulasse, non alterius decisioni acquievisse, non alterius potestati obtemperasse: ergo in solo ipso cognoscebant primatum, & honoris, & dignitatis, & potestatis, & jurisdictionis. Unde Allatius lib. 1. de consensione Ecclesiæ Græcæ cum Latina c. 20. postquam multis, & invictis argumentis probat, Romanum Pontificem esse de jure divino auctoritative totius Ecclesiæ Primatem, n. 16. concludit: *Habes, Papam esse Romanum Episcopum, & Oecumenicum Papam, non ordine & sedendi loco, sed potestate, & auctoritate.* Et n. 19. *Quæ cum ita sint, & Romani Pontificis, non in alias modo, sed in Byzantinam etiam Ecclesiam auctoritas, tam plane pateat, nescio qua fronte Recentiores quidam ex schismate asseruerint, Pontificem Romanum nunquam Patriarchas creasse.*

Obstant I. Hilarius lib. 6. de Trin. Ambrosius in c. 2. Epist. ad Ephes. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. de Trin. Chrysostomus hom. 55. in Matth. intelligunt verba illa Christi, *Et super hanc petram fundabo Ecclesiam meam.* non de Petro, sed de ipsa confessione a Petro factam. II. Augustinus tract. 124. in Joann. & ser. 13. de verbis Domini, intelligit nec de Petro, sed de Christo ipso; quia Petra erat Christus. III. Augustinus quoque tract. 50. in Joann. intelligit illa alia verba: *Tibi dabo claves regni Cœlorum; quodcumque ligaveris, &c.* non de Petro prout dicit personam, sed prout dicit Ecclesiam, & quatenus Ecclesiam significabat: *Quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* IV. Canon sextus Concilii Nicœni æquiparat authoritatem Episcopi Romani authoritati, quam habet Episcopus Alexandrinus; dicit enim: *Mos antiquus perduret in Ægypto, & Lybia, & Pentapoli, itaut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem, & Episcopo Romano parilis mos est;* sed potestas Episcopi Alexandrini extra suum Patriarchatum non extendebatur: ergo nec pariter potestas Episcopi Romani extra suum Patriarchatum extenditur. V. Ruffinus canonem prædictum explicat, ut sicut ad Alexandrinum Patriarcham pertinebat Ecclesiarum Ægypti sollicitudo, ita & ad Romanum sollicitudo tantum pertineat Ecclesiarum suburbicarum, quæ scilicet sunt circa urbem Romam. VI. Cyprianus in omnibus Apostolis agnoscit æqualitatem, immo & unitatem Episcopatus, cujus singuli Apostoli partem in solidum regebant. En ejus verba: *Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis.* Et lib. de unitate Ecclesiæ: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur:* ergo Cyprianus Pontificis Romani Petri successoris Primatum non agnovit. VII. Patres dixerunt Ecclesiam Romanam a Petro & Paulo fuisse fundatam, & Romanos Pontifices utriusque successores esse: ergo in his non est Primatus Petri, sed medietas illius. VIII. Gregorius Magnus lib. 9. epist. 32. Noluit se appellare Episcopum Occumenicum, seu universalem; sed talis fuisset, si habuisset Primatum, de quo loquimur: ergo, &c. IX. Petrus non sedit Romæ ex Christi præcepto, sed ex voluntate sua: ergo Primatus ipsius non est affixus Romanæ sedi jure divino. X. Romani Pontifices quandoque sederunt Avenione, & non Romæ: ergo si Primatus est personalis, & non localis, debebat illos sequi Avenionem usque. XI. Quæcunque Principis aula ibi Principem agnosci facit, ubi Princeps illam constituit: ergo pariter aula Romani Pontificis non semper debet esse Romæ, si Pontifex alibi residcat. XII. Primatus Romani Pontificis invenitur institutus in Conciliis, & præcipue in Chalcedonensi can. 28. *Antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperet, jure Patres privilegia tribuerunt:* ergo non jure divino, sed humano. XIII. Idem Primatus institutus agnoscitur ab Imperatoribus, & præcipue a Justiniano, qui Novella 100. decernit: *Decernimus secundum sacrarum Synodorum decreta, Sanctissimum veteris Romæ Episcopum primum esse omnium Sacerdotem:* ergo pariter non authoritate divina, sed humana. XIV. Apostolus ad Ephes. 4. & 1. ad Corinth.

12. numerat omnes gradus Ecclesiasticæ Hierarchiæ, sed de Primatu Romani Pontificis nec verbum babet: ergo illius fuit nova, & post Apostolos, institutio. XV. Multi Patres explicantes primatum Romani Pontificis, eum ad ordinem reducunt, & ad dignitatem tantum, non vero ad potestatem, & jurisdictionem extendunt.

Respondemus I. Laudati Patres intellexerunt confessionem Petri fuisse caussam meritoriam Petri Primatus, non vero caussam subjectivam; quatenus scilicet Petrus per illam confessionem meruerit, ut supra ipsum Ecclesia fundaretur, & cujus proinde fuit ipse solus caussa subjectiva. Sic verba illa explicat Hieronymus, in illum locum: *Mercedem recepit vera confessio*.

Ad II. Christus vel loquutus est de utraque petra, sua scilicet, & Petri, modo tamen differenti, ut supra dictum est; vel intelligi debet de illa Petra, de qua paulo antea loquutus fuerat: *Tu es Petrus, & super banc petram, &c.* Cæterum Augustinus lib. 1. retractat. cap. 21. asserit, utramque explicationem esse probabilem: *Harum autem duarum sententiarum, qua sit probabilior eligat lector*.

Ad III. Utique Primatus est penes Petrum, quatenus Petrus repræsentat Ecclesiam, quam regit; hoc est non repræsentat procuratorio nomine, sed nomine principali; quemadmodum Princeps, ait Juaninus; dum Civitatis claves recipit, repræsentat Rempublicam, cui præficitur. Unde Augustinus tract. 124. in Joannem: *Petrus Apostolus propter Apostolatus sui Primatum, Ecclesiæ gerebat figurata quadam generalitate personam*.

Ad IV. Aliter leguntur verba præfati Canonis in prima collectione Romana, quam agnovit Alanus Copus in primo dialogo, & sic etiam fuit lectus, & approbatus in Concilio Chalcedonensi act. 16., videlicet: *Ecclesia Romana semper babuit primatum, &c. Mos antiquus perduret, &c.* Et data etiam lectione, at non concessa, quam præsefert objectio, vel dici potest, quod paritas consistat in jure Patriarchali, quatenus Papa Romanus est Episcopus, Patriarcha, & Pontifex universalis, & in juribus Patriarchalibus est similis aliis Patriarchis: vel dicitur, quod quæ Patriarcha Alexandrinus habebat ex privilegio, & dependenter a Papa, Papa babet jure divino, & dependenter tantum a Deo. Et sic explicant Cabasutius, Schelstrate, Binius, aliique apud P. Boucat.

Ad V. Canon iste, prout latine legitur a Ruffino, non legitur in Textu Græco, nec in Exemplaribus Gelasii, nec in aliis Exemplaribus, quæ ad Concilium Carthaginense transmissa sunt. Cæterum nomine suburbicarum Ecclesiarum, non intelligitur solum quælibet Diœcesis, sed etiam Urbes Metropolitanæ, atque Provinciæ Ecclesiasticæ, quæ Patriarchæ subduntur. Et boc pacto explicant Canonem ipsum Valesius, & Cardinalis Perronius, & cum his Nicolaus Coeffereau part. 2. contra Spalatensem lib. 1. cap. 2. Sirmundus dissert. 2. de suburbicariis cap. 4. Et denique Christianus Lupus par. 1. ad hunc Canonem. „ Non vacat „ de suburbicariis Romani Imperii Pro„vinciis disputare, atque ex illis quærere „ naturam suburbicarium Ecclesiarum, eam „ jam audivimus non esse aliud, quam eos, „ qui Romæ subditi, id est, qui subditi „ sunt juri Patriarchico Ecclesiæ Roma„næ, nempe totum Occidentem, Septen„trionem, Africam atque Illyricum. „

Ad VI. Cyprianus intelligendus est quoad amplitudinem rerum gerendarum, quia singuli Apostoli poterant ubique Evangelium prædicare, fundare Ecclesias, & jura Episcopatus, ac Presbyteratus exercere; non vero quoad ordinem & modum gerendi res illas; quia cæteri Apostoli illa ministeria exercebant cum subordinatione ad Petrum, ut idem Cyprianus scribebat: *Quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit*. Ad alia verba Cypriani dicitur, quod Episcopatus unus est, ratione ordinis, quia unus est ordo, omnibus Episcopis æqualiter collatus; non vero ratione jurisditionis, quia cæterorum Apostolorum jurisdictio non eandem habebat amplitudinem, quam habebat jurisdictio Petri.

Ad VII. Petrus & Paulus dicuntur Fundatores Ecclesiæ Romanæ, quatenus uterque ibi exercuit munera Apostolatus, excepto tamen Primatu, qui semper reservatus est Petro; unde Paulus fuit illi semper sub ordinatus, uti asserit Gregorius Magnus lib. 2. in Ezechiele homil. 18.

Ad VIII. Gregorius Magnus nolebat Episcopus universalis appellari in eo sensu,

quo

quo intelligatur, quod non sint, præter Papam, alii Episcopi, & alii Patriarchæ; & illi qui sunt sint potius Vicarii Papæ. At in eo sensu, in quo Primatus non excludatur, & Episcopatus aliorum includantur, non renuebat Oecumenicum Episcopum appellari; ut ipsemet scribebat in epist. 99. ad Mauritium Imperatorem.

Ad IX. Voluntas Petri fuit a voluntate Christi ordinata & regulata, qui vel sibi exterius loquutus est, ut diximus, vel interius semper loquebatur in re præsertim tanti momenti, in qua agebatur de perpetua successione Vicarii sui. In ea enim sede, in qua Petrus moriturus erat, Primatus Ecclesiæ universalis immobilis semper permanere debebat, & ille eidem sedi affixus; quod quidem nec cogitari, nec dici potest, absque Christi mandato, vel exterius, vel interius loquente, a Petro fuisse factum.

Ad X. Quamvis Avenione sedissent aliqui Romani Pontifices, semper tamen Romani Episcopi erant, & Cathedram Romæ tenebant, absque eo quod alio transferrent. Unde sessio, quam Avenione faciebant, erat quædam sessio materialis, quæ fiebat ratione personæ ibidem commorantis; Sessio vero formalis erat tantum Romæ, quia ibi fiebat ratione potestatis & jurisdictionis, quam nunquam a Romana sede avelli Romani Pontifices, etsi alibi sederint, passi sunt.

Ad XI. Aula Principis est ibi, ubi Princeps a principio eam constituit, & ubi deinceps permanenter commoratur jura sua exercens, & potestatem, quam a Deo sibi traditam agnoscit. Sic pariter Romani Pontifices Romæ permanenter resident, quia hæc est aula, a S. Petro electa, & quamvis alio aliquando commigrent, hoc tamen per accidens se habet; quia non eo animo commigrant, ut illuc sedem suam transferant, sed potius ob alias caussas, quæ ipsos movent, ut alibi ad tempus maneant.

Ad XII. Concilia non instituerunt Romani Pontificis Primatum, sed agnoverunt, ac ut fateri, ita pariter & venerari, non renuerunt. Et quidem hoc jam ab aliis Conciliis ante etiam Concilium Chalcedonense, factum est, uti a Nicæno &c.

Ad XIII. Romani Imperatores non conferunt Primatum Romano Pontifici, sed illum agnoscunt, fatentur, ac venerantur. Et si qui sunt Semi-Athei, vel in totum Deistæ, qui contrarium asserunt, Romani etiam Imperatores illos aspernantur, ac puniunt, tanquam suæ Religionis Calumniatores.

Ad XIV. Apostolus inter gradus Ecclesiæ non numeravit Primatum Romani Pontificis, quia satis quoad hoc consultum credidit a Christo Domino, quando Petro Pontificiam tradidit potestatem. Cæterum Apostolus non intendit in illo loco omnes gradus Ecclesiæ enumerare, & omnia dona, ut late probat P. Boucat.

Ad XV. Patres illi explicarunt Primatum Romani Pontificis per præeminentiam & honorem, ultro concedimus; sed non per hoc excluserunt potestatem & jurisdictionem; inclusio enim unius non est exclusio alterius. Innumeri autem sunt Patres, qui per utrumque explicarunt, scilicet ratione honoris, dignitatis, & præeminentiæ, & pariter ratione authoritatis, potestatis, & jurisdictionis, ut apud laudatos a nobis Patres, in hac præcipue Dissertatione Legentes facile observabunt.

DIS-

DISSERTATIO CCXCI.

De Romano Pontifice: An docens ex Cathedra Ecclesiam in materia fidei & morum, sit infallibilis? An etiam extra Concilium? An ante, vel post Ecclesiæ acceptationem?

Supponimus primo, Pontificem posse considerari, & ut privatam personam, & particularem Doctorem, & ut Magistrum, Doctorem, & Judicem, in caussis Religionis, quas ipse habet dirimere ac judicare.

Supponimus secundo, Caussas hasce esse posse vel de temporalibus vel de disciplina, vel de Religione, hoc est in materia fidei & morum.

Supponimus tertio, Consultationes Doctorum præmitti ad decisionem Pontificis, ad solemnitatem actus, non vero ad necessitatem; ita ut sine illis possit etiam Pontifex valide, juste, ac infallibiliter judicare. Præmittuntur tamen ut humano modo procedatur; hoc est ne videatur Pontifex absque consilio & consultatione procedendo tentare Deum, ut faciat miracula, quæ non tenetur facere. Ut ergo prudenter agat, illa præmittit; sed si non præmittit, imprudenter quidem agit, sed non cum invaliditate actus, aut cum errore, & fallibilitate sententiæ.

His suppositis, quatuor enumerantur sententiæ, quarum prima est communis Catholicis & Hæreticis; docet enim, quod possit Pontifex, etiam ut Pontifex etiam cum Concilio Generali, errare in factis particularibus, quæ non pertinent ad fidem; & posse quoque ut privatum doctorem errare etiam in quæstionibus juris universalibus tam fidei, quam morum, & hoc ex ignorantia, quemadmodum aliis particularibus Doctoribus sæpe accidit.

Secunda sententia est Catholicorum omnium, non vero Hæreticorum, qui docent Pontificem cum Generali Concilio non posse errare in condendis fidei decretis, vel generalibus morum præceptis; Et si quid aliud in re dubia statuat, vel solus, vel cum suo particulari Concilio; & sive errare possit, sive non, omnes tamen fideles debent ei obedire.

Tertia est illorum, qui dicunt Pontificem ex Cathedra loquentem, & docentem Ecclesiam in materia fidei & morum esse infallibilem, sed post Ecclesiæ acceptationem; Et hujus sententiæ sunt omnes Sorbonici Doctores, præcipue Natalis Alexander, Jueninus, P. Boucat, aliique Galli Theologi.

Quarta demum sententia est illorum omnium, qui se gloriantur esse Romano-Catholicos, & qui acerrime defendunt Romanum Pontificem posse quidem ut personam privatam errare, at neminem illorum ab ævo Petri usque ad præsens errasse; ut vero Ecclesiæ Doctorem, Magistrum, & Judicem, in Religionis caussis in materia fidei & morum, ex Cathedra loquentem, esse infallibilem, & quidem tam post, quam ante Ecclesiæ acceptationem.

Cardinalis Bellarminus aliter has refert sententias, sed modus quo nos retulimus, conformior est systemati, quod ad præsens inter Theologiæ Consultos viget. Ita autem Bellarminus refert. „ Quibus „ ita constitutis, quatuor tantum remanent diversæ sententiæ. Prima est Pon- „ tificem, etiam ut Pontificem, etiamsi „ cum Generali Concilio definiret aliquid, „ posse esse hæreticum in se, & educere „ alios hæresim... Hæc est Hæreticorum „ omnium... Secunda sententia est Pon- „ tificem etiam ut Pontificem, posse esse „ hæreticum, & docere hæresim, si absque „ Generali Concilio definiat ... Hanc „ opinionem sequitur, & tuetur Nilus „ &c. Tertia sententia est in alio extremo, „ Pontificem non posse ullo modo esse „ hæreticum, nec docere publice hæresim, „ etiamsi solus rem aliquam definiat. Ita „ Albertus Pighius... Quarta sententia „ est quodammodo in medio, Pontificem „ sive hæreticus esse possit, sive non, non „ posse ullo modo definire aliquid hære- „ ticum, a tota Ecclesia credendum. Hæc „ est communissima opinio fere omnium

„ Catholicorum, ut B. Thomæ 2. 2. q. 1. „ art. 10. Thomæ Vvaldensis . . . videntur quidem hi Authores aliquo modo inter se dissentire: quia quidam eorum dicunt Pontificem non posse errare si mature procedat, & consilium audiat aliorum Pastorum. „

Dicimus I. Romanum Pontificem loquentem ex Cathedra, & docentem Ecclesiam in materia fidei & morum, esse infallibilem, tam extra, quam intra Concilium, tam ante, quam post Ecclesiæ acceptationem. Tres partes habet Conclusio.

Prima Conclusionis pars Probatur I. ex Scripturis. Matthæi 26. Christus promisit Petro, quod Ecclesiæ fundatæ supra ipsum, suam assistentiam semper præbebit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*; sed hæc assistentia Christi compati nequit cum errore & fallibilitate Pontificum: ergo ex promissione Christi Pontifices Romani legitimi Petri successores in controversiis fidei & morum sunt infallibiles. Rursus Matth. 16. promisit pariter Christus Petro quod adversus Ecclesiam super ipsum fundatam portæ inferi non prævalebunt: *Super hanc petram fundabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; sed prævalerent si Romani Pontifices in materia fidei & morum essent fallibiles: ergo sunt infallibiles. Insuper Joannis 21. *Pasce agnos meos .... pasce oves meas*; sed Romani Pontifices pascere debent & agnos & oves verbo doctrinæ: ergo doctrina debet esse infallibilis.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius I. epist. ad Patres Carthaginenses 181. *Non censetis esse calcanda, quæ illi non humana, sed divina decrevere sententia*: ergo si sententia Romani Pontificis, quam Patres illi sequuti fuerant, non est humana, sed divina porro est infallibilis. Zosimus epist. 10. ad Aurelium: *Quamvis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet .... tantam enim huic Apostolo Petro canonica antiquitas super sententias omnium voluit esse potentiam, & ipsa quoque Christi promissio, ut & ligata solveret, & soluta vinceret &c.* ergo si definitio Pontificis fundatur super institutione Christi, & traditione divina, est infallibilis. Leo magnus serm. 2. in die assumptionis suæ: *Soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum Principe laudata est, perpetua est, & sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit*: ergo si soliditas fidei, quæ fuit in Petro, permanet in ejus Successoribus, Romani Pontifices in controversiis fidei definiendis sunt infallibiles. Simplicius epist. 4. ad Zenonem Imperatorem: *Perstat in successionibus suis hæc & eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam injunxit ovilis, cui se usque ad finem seculi minime defuturum, cui portas Inferi nunquam prævalituras esse, promisit; cujus sententia quæ ligarentur in terris, & solvi testatus est non posse nec in cælo*: ergo si in Romanis Pontificibus perseverat eadem authoritas, quæ a Christo concessa est Petro ipsorum definitiones sunt infallibiles. Eadem habent Gelasius I. epist. 8. Pelagius II. epist. 5. ad Episcopos Istriæ, Hadrianus I. epistola ad Tarasium Patriarcham CP. & alii.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Chalcedonense act. 16. ad S. Leonem Papam: *Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia a Salvatore commissa est, Dioscorus extendit insaniam, id est contra tuam Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ unire festinas &c. Indicamus vero quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem, scientes, quia & vestra sanctitas addiscens, & probatura & confirmatura est eadem &c. Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora judicium, & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis quod decet adimpleat.* Concilium Constantinopolitanum Generale VI. act. 18. *Proinde inspiratione S. Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri & summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis, consentientes, unum de sancta Trinitate Dominum nostrum Jesum Christum etiam incarnatum prædicamus in duabus perfectis naturis indivise &c. Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem, & sedis successorem habuimus fautorem, & divini Sacramenti mysterium illustrantem per literas: confessionem tibi a Deo inscriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & dogmatum diem a vespertinis partibus extulit: charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* Synodus Triburiensis celebrata anno 895. cap. 30. *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam sedem, ut*

qua

quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticæ rationis : ergo si sedes Romana est magistra omnium Ecclesiarum, debet esse infallibilis. Concilium Florentinum : *Definimus, Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem, in universum Orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi, universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur* : ergo si Pontifex Romanus est universalis Ecclesiæ Doctor; in rebus fidei definiendis est infallibilis. Concilium Tridentinum sess. 14. de Pœn. cap. 7. *Unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare*. Quæ quidem ordinatio consentit cum illa, quæ facta legitur can. 3. inter 24. canones Concilii Nicæni I., qui habentur in Epist. 2. Julii I. Romani Pontificis; & quam Epistolam ut genuinam agnoscit & probat Concilium Sardicense, Athanasius apolog. 2., Theodoretus lib. 2. Histor. cap. 8. aliique cum ipsis recipiunt: *Dum iterato judicat Apostolicæ sedis Pontifex causam Episcopi, nullus alius in ejus loco ponatur, ut ordinetur Episcopus. Quoniam quanquam a Con-Provincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen definiri inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum B. Petro Apostolo, non ab alio, quam ab ipso dictum sit Domino : Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis : & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis*.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Athanasius, & universi Ægyptiorum, Thebaidorum, & Libyorum Episcopi epist. ad Felicem II. Papam : *Ideo Pater Beatissime, quia semper Antecessores nostri, & nos a vestra Apostolica sancta sede auxilium haustimus, & nostri vos curam habere agnovimus, præfatam Apostolicam & summam expetimus, juxta Canonum decreta, sedem, ut inde auxilium capiamus, unde Prædecessores nostri ordinationes & dogmata, atque sublevationes ceperunt : ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus, ut ejus uberibus nutriamur : quoniam non potest mater oblivisci infantem suum, sic & vos nolite oblivisci nos vobis commissas: Quoniam non levibus nos inimici nostri implicaverunt afflictionibus, & quotidie facere moliuntur, & apprehendere, aut ferro nos constringi minantur, nisi eorum consentiamus erroribus : quod nequaquam vobis inconsultis, agere præsumimus, Canonibus quippe jubentibus, absque Romano nos de majoribus causis nihil debere decernere, Pontifice. Ideoque ad propositum recurrentes, & ad bravium properantes, vestræ Apostolicæ sedis imploramus auxilium*. Basilius Magnus epistola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum : *Re vera dignum est illa excellentissima voce, qua te beatum prædicavit, quod pietati tuæ donatum a Domino est, scilicet, ut quod adulterinum est a legitimo ac puro, discernas, ac fidem Patrum sine subtractione ulla prædices*. Joannes Chrisostomus epist. ad Innocentium Papam : *Obsecro, ut scribas, quod hæc tam inique facta, & absentibus nobis, & non declinantibus judicium, non habeant robur : sicut neque sua natura habent : illi autem, qui inique egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum Legum subjaceant. Nos autem insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque ullius criminis reos comprobatos Ecclesiis nostris jubete restitui, ut charitate frui, ac pace cum fratribus nostris consueta possimus*. Cyrillus Alexandrinus epist. ad Cœlestinum Papam: *Digneris proinde quid hic sentias, declarare, quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum Nestorio oporteat, an vero libere eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, ac super hac re sententia, non modo piissimis, Deoque devotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicue per literas exponi debet*. Theodoretus epist. ad Leonem Papam : *Si Paulus, prædicator veritatis, & Spiritus Sancti buccina, ad Petrum accurrit, ut iis, qui Antiochiæ de vivendo secundum legem Moysis disceptabant, quæstionem expeditam ac solutam ab eo ferret; multo magis nos, qui pusilli sumus, ad solium Apostolicum accurremus, ut a vobis medicinam ulceribus nostris feramus. Siquidem vobis convenit in omnibus rebus primas tenere; vestra enim sedes multis prærogativis ornata est. Nam cæteras Civitates vel amplitudo, vel pulchritudo, vel civium frequentia decorat : aliqua vero, quæ his carent, ex quibusdam gratiis spiritualibus splendorem ac dignitatem habent: vestræ vero Civitati uberrimam copiam bonorum ipse Dator largitus est. Est enim ipsa omnium amplissima, splendidissima, & Orbi præsidet. Præterea ipsa*

principatum Imperatorium profudit, ac nomen suum, id est Romanum cum iis, qui in ditione ejus sunt, communicavit. Fides vero præcipue eam ornat. Testis est Paulus, qui clarissima voce ait: Fides vestra annuntiatur in universo mundo, &c. Ego vero suffragium Sedis Apostolicæ expecto, & supplex oro atque obsecro sanctitatem vestram, ut ea me, Tribunal vestrum justum ac rectum appellantem, defendat, ac protegat, jubeatque ut ad vos accurram, & doctrinam meam vestigiis Apostolicis insistentem ostendam, &c. Vestram sententiam expecto: quod si sententiæ eorum, qui condemnarunt, acquiescere jusseritis, acquiescam, nulli deinceps futurus molestus. Quin potius, & expectabo incorruptum Dei, & Salvatoris nostri Tribunal.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Ambrosius ep. 78. ad Theophilum Alexandrinum: *Sane referendum arbitramur ad reverendum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ: quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant, &c. Ut nos quoque cum id gestum esse cognovimus, quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, læti hujusmodi fructum examinis adipiscamur*. Augustinus epist. 162. *Erat transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis Carthago, unde non mediocris auctoritatis habebat Episcopum Cæcilianum, qui posset non curare conspirantem inimicorum multitudinem, cum se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Prosper in Chronicis: *Concilio apud Carthaginem habito 217. Episcoporum ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est*, Fulgentius de Incarnatione, & gratia Jesu Christi cap. 11. *Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulique verbis, tanquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus Romana (quæ mundi cacumen est) tenet, & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus Orbis, & ad justitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri*. Ennodius Diaconus lib. de Synodis sub Symmacho habitis: *Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem Sedis Apostolicæ factam toto Orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur, de qua mihi videtur dictum per Prophetam: Si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam vestram?*

VI. Probatur rationibus I. Multæ leguntur apud Patres, & Concilia asserendi formulæ, quibus ostenditur Romanos Pontifices ex Cathedra loquentes in controversiis fidei, & morum esse infallibiles: ergo vere sunt tales. Antecedens probatur, prædictas formulas afferendo, quæ sunt: *Quod Romana sedes sit fidei fundamentum: quod inde Religionis nostræ fons, & origo manat; quod quæ illa damnat, omnes damnent, quæ approbat, omnes approbent: quod semper ejus doctrinam omnis Catholica Christi Ecclesia, universales Synodi, sanctique Patres fuerint secuti: quod omnium fidelium, & Ecclesiarum, disponente Domino, existat Magistra*. II. In veteri Lege erat Oraculum Urim, & Thummim, quod in pectore Summi Sacerdotis ferebatur, quando non privatam, & domesticam vestem gerebat; sed Pontificalem, & solemnem, & in ambiguis, atque obscuris rebus a Deo sacerdotem edoceri significabat, ut suum judicium cum rectitudine, & cum veritate proferret; & per ipsum quidem Deus ostendebat, quod munus Ecclesiam instruendi, & in caussis ambiguis judicandi, ad Summum Sacerdotem pertineret, non semper & ubique, sed quum Pontificem ageret, quia tunc & non alias cælitus illustrabatur, ne falleretur, & ne falleret. Quam quidem rationem sic prosequitur Cardinalis Sfondratus in Regali Sacerdotio Romano Pontifici asserto, sub nomine Eugenii Lombardo: „ Hæc causa fuit ut Sacer„dotes nunquam ad consulendum Oracu„lum accederent, ab eoque responsum „acciperent, nisi prius Ephod induissent, „ut patet 1. Regum 23. & 30. Quæ vestis „erat auro texta, variisque ex serico co„loribus distincta, & cui Oraculum inser„tum erat. Sic Matthæi 23. jubet Chri„stus Scribas, & Pharisæos audiri, eorum„que doctrinam observari, quia super Ca„thedram Mosis, & Prophetarum sede„runt; quasi tota radix, & origo eorum „in docendo, auctoritatis Cathedræ ad„stricta esset, quam publice docentes in„sedebant: alioquin privatas opiniones, „& sententias quod attinet, certum est „multa Pharisæos docuisse impia, legique „divinæ, & naturali omnino contraria ut „habetur Matth. 23. „ III. Quod definit Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, semper est verum; sed qui definit semper verum, est infallibilis: ergo Roma-

nus

nus Pontifex ex Cathedra loquens est infallibilis. Probatur major. Illud est verum, a quo quis discedens, fit schismaticus, & hæreticus; sed qui recedit a judicio Romani Pontificis, illico fit Schismaticus, & Hæreticus: ergo quod definit Romanus Pontifex in Cathedra loquens, in materia fidei, & moram, semper est verum. Probatur minor ex Pelagio Papa, qui refert Augustini testimonium, & refertur in Canone *Schisma* 24. qu. 1. *Idipsum enim magis est, propter quod Schismatici sunt: quia non eos diversa sentiendi judicium, sed quadam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra Apostolicam Sedem temere credentes pessima divisit opinio. Quod schisma specialiter esse, beatus denunciat Augustinus, dicens de talibus, adversus auctoritatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica Sede Epistolas accipere meruerunt, & temere credendo, immanissimum schismatis crimen a se propulsare non poterit.* Ex Cyrillo Alexandrino epist. ad Cœlestinum Papam: *Quanvis hæc ita se habeant, non prius tamen Nestoris communionem confidenter deserere ausi fuimus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias, declarare, quo liquido nobis constet, communicarene nos cum Nestorio oporteat, an vero libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat.* Ex Hieronymo epist. ad Damasum: *Hic in tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat; ego interim clamito: Si quis cathedrę Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus, tibi hærere se dicunt: possem credere, si hoc unus assereret, nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.* Et in alia ad eundem Damasum Epistola: *Ego Beatitudini tuæ, hoc est Cathedrę Petri communione consocior: non novi Vitalem, Meletium nescio, quicumque tecum non colligit, spargit.* Ex S. Leone epist. 57. ad Episcopos Ecclesiæ Viennensis: *Prædicationis Evangelii Sacramentum ita Dominus ad omnes Apostolos pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii esse divini intelligeret, quisquis ausus fuisset a Petri soliditate recedere.* Ex S. Cypriano lib. 4. epist. 8. de cathedra Petri loquens: *Scimus hortatos nos esse, ut Ecclesia Catholica radicem & matricem agnoscerent, & tenerent.* Et ex Ambrosio orat. de obitu Satyri: *Rogavit si eum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia consentiret.* IV Illius judicium est irreformabile, ad quod Patres Ecclesiæ semper accedere consueverunt, ut non errarent; Sed ad judicium Romani Pontificis Patres Ecclesiæ consueverunt accedere ne errarent: ergo, &c. Probatur minor testimonio sequentium Patrum. Ambrosius epist. 11. ad Ageruchiam: *In omnibus Romanæ Ecclesia formam, & typum sequimur.* Basilius epist. 77. *Cum ad hunc modum habeant res nostrę, debebant continue a vestra dilectione ex sinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppressos inviserent, & multo crebrius amicæ ad nos vestra destinari litteræ, quibus vel in proposito confirmaremur, vel, si qua in re offendamus, corrigeremur. Non enim negamus innumeris nos obnoxios erroribus esse, cum homines simus, & in carne vivamus, parati hac in re vestram institutionem amplecti.* Ruffinus in Symboli explanat. *Si quid parum caute positum est, emendari cupimus a te, qui Petri fidem, & sedem tenes.* Theodoretus epist. ad Renatum Presbyterum: *Quare quæ ab isto vestro tribunali proficiscentur, qualiacunque erunt, judicii vestri integritate confisi, amplectemur.* Et lib 5. hist. cap. 2. *Gratianus toto Imperio potitus, scripsit legem, qua jubebat sanctas Ecclesias tradi his, qui Damasi (is erat Episcopus Romanus) communionem amplexarentur.* Hieronymus epist. ad Damasum de tribus hypostasibus: *Ideirco obtestor Beatitudinem tuam per crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi, ut mihi literis tuis, apud quem in Syria communicare debeam, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est. Discernite, obsecro: non timebo tres hypostates, si jubetis. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam, per Crucifixum, mundi salutem, per Homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum, hypostaseon detur auctoritas.* Abbas Joachimus, ut ex Concilio Lateranensi in c. 1. de Summa Trinit. refertur. *Confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Domino, cunctarum mater est, & magistra.* Josephus Patriarcha Constantinopolitanus in chirographo, quod jam moriens scripsit, hoc suæ fidei monumentum reliquit, ut habetur sess. ultima Concilii Florentini: *Joseph, miseratione divina, Constantinopolis, & novæ Romæ Archiepiscopus, ac Oecumenicus Patriarcha. Quoniam ad extremum vitæ meæ perveni idcirco pro meo munere dilectis filiis benignitate Dei meam sententiam his litteris palam*

facio. Nam quæ Domini Jesu Christi Catholica, & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat ac celebret, omnia me quoque sentire, credereque profiteor, ac ipsis plurimum acquiesco. Beatissimum autem Patrum Patrem, ac Summum Pontificem, Romæque veteris Papam, Domini nostri Jesu Christi Vicarium esse concedere, atque animarum Purgatorium esse non inficior. Datum Florentiæ die 8. mensis Junii, millesimo quadringentesimo trigesimo nono. V. Si Pontificis Romani judicium non esset infallibile, frustra illum Deus in rebus fidei judicem constituisset; Judex enim esset, non Magister veritatis, sed errorum, non administer justitiæ, sed injustitiæ, non Doctor fidei, sed destructor; sed dici nequeunt hæc absurda: ergo nec pariter id, unde sequuntur. VI. Si Pontifex Romanus in decidendis fidei controversiis erraret, vel hoc esset copulative cum Spiritus Sancti assistentia, vel præcisa Spiritus Sancti assistentia; sed neutrum dici potest: ergo &c. Probatur minor. Non præcisa Spiritus Sancti assistentia, quia Deus hanc promisit, & deficere in substantialibus non potest; neque copulative cum illa, quia aliter Spiritus Sanctus esset Spiritus erroris, & non veritatis.

Secunda Conclusionis pars Probatur I. Concilia Generalia antequam quicquam definiant, definitiones a Pontificibus factas extra Concilium recipiunt, venerantur ac fatentur vere esse infallibiles: ergo ex ipsismet Conciliis patet Pontifices ex Cathedra loquentes in materia fidei, & morum, etiam extra Concilium, esse infallibiles. Antecedens probatur. Concilium Chalcedonense act. 2. postquam facta fuit lectio epistolæ Leonis Magni, ex Cathedra loquentis, cum omnibus Patribus componentibus illum, exclamavit: *Petrus per Leonem locutus est*. Eadem verba protulit Concilium VI. Generale sess. 8. & 18. de epistola Agathonis Romani Pontificis. Immo Augustinus epist. 165. contra Donatistas distinguit Cathedram a persona; scilicet errorem personalem ab errore Cathedrali distinguit, & errorem Cathedralem negat, posse esse in Petri successoribus, bene vero errorem personalem.

II. Probatur. Multas hæreses damnarunt Romani Pontifices primis Ecclesiæ seculis, & quidem extra Concilia; & ipsorum damnationes Concilia deinde Generalia, quæ quarto seculo inceperunt, ratas habuerunt, & infallibiles fuisse pronuntiarunt: ergo vere Pontificum definitiones in materia fidei & morum, etiam extra Concilium, sunt infallibiles.

III. Probatur. Concilium habet suam infallibilitatem a confirmatione Romani Pontificis, ut supra dictum est; ergo Romanus Pontifex non debet habere suam infallibilitatem a Concilio; atqui haberet suam infallibilitatem a Concilio si tantum esset infallibilis cum ipso & non extra ipsum: ergo Romanus Pontifex ex Cathedra loquens in materia fidei & morum, etiam extra Concilium, est infallibilis.

IV. Probatur. Etiam posterioribus seculis, quando Concilia celebrabantur, Pontifices prius extra illa hæreticos & hæreses damnabant, & postea Concilia celebrabant. Quod sic probat Cardinalis Sfondratus loco citato: „ Nam hæresim
„ Nestorianam damnavit Cœlestinus Pa-
„ pa anno 430. Et quamvis eam S. Cyrillus
„ prius jam confutasset, nunquam tamen
„ ante Pontificis sententiam ausus est Ne-
„ storium pro hæretico habere, uti patet
„ ex ejusdem Cyrilli ad Cœlest. epist., quæ
„ habetur tom. 1. Concilior. Venetæ Edi-
„ tionis. Et licet Cœlestinus in eadem Ne-
„ storii causa Concilium Generale indi-
„ xerit, id tamen fecit, ut turbæ in Eccle-
„ sia natæ sopirentur, atque ut Nestorii
„ fautoribus, quos plurimos habebat, &
„ præpotentes, omnis calumniandi, ter-
„ giversandique occasio tolleretur, ut in
„ eo Concilio non hæresi a Cœlestino
„ prædamnatæ venia daretur, sed Nesto-
„ rio tantum, si resipisceret. Hæresis Jo-
„ viniani & Pelagii damnata est Romæ a
„ Syricio Papa anno 390. ejusdemque au-
„ thoritate a S. Ambrosio in Concilio Me-
„ diolanensi testibus S. Prospero carm. de
„ ingratis. Sancto Hieronymo contra Pe-
„ lagium lib. 2. & præfat. in Jerem. lib. 4.
„ Hæresis Monothelitarum & Hecthesia
„ Heraclii Imperatoris damnata est a Se-
„ verino Papa anno DCXXXIX., ut ha-
„ betur in Synodo Lateranensi sub Marti-
„ no Papa secr. 1. & 2., & probat Baro-
„ nius ad eundem annum. Propositiones
„ hæreticæ Gilberti Pictaviensis Episcopi
„ damnatæ sunt ab Eugenio III. anno
„ MCXLVIII. Denique, ut alia omitta-
„ mus, propositiones Jansenii in eo sensu,
„ quem verba exhibent, anno MDCLII.
„ & MDCLVI. ab Innocentio & Alexan-
„ dro Papa, ut hæreticæ damnatæ sunt,
„ & ut tales a Gallis proscriptæ, immo ut
„ refert Archdekinus in Theolog. tripart.

p. 15

„ p. 1. tr. 1. q. 5. in fine. *Ex Regis Christianissimi, & Episcoporum Galliæ desiderio, Alexander VII. decrevit, ut universus ordo Ecclesiasticus huic professioni cum juramento subscriberet: Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji MDCLIII., & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris MDCLVI., Summorum Pontificum, me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno. Et ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Agnovit ergo Gallia, totusque Ordo Ecclesiasticus, tam certam esse Pnntificis Romani sententiam, ut quæ ille damnet, & pro hæreticis habet, damnari debeant, haberique pro talibus, & damnationis sententia juramento confirmari; quod fieri nnn posset, si damnatio certa & indubia nnn esset; nemo enim jurare potest, propositionem aliquam damnabilem aut hæreticam esse, nisi certo id credat, alioquin juramentum exponeret periculo falsi, docentque omnes tum Theologi, tum Jurisperiti. „

Tertia Conclusionis pars probatur I. Summus Pontifex non habet infallibilitatem ab Ecclesia, sed potius Ecclesia habet ab ipso: ergo non solum est infallibilis post Ecclesiæ acceptationem, sed etiam ante. Probatur antecedens. Ecclesia congregata in Conciliis habet infallibilitatem a Summo Pontifice, hoc est ab ejus confirmatione, ut superius est dictum: ergo multo magis Ecclesia, quæ est dispersa in varia loca, & in varias etiam Provincias & Nationes: ergo Ecclesia habet infallibilitatem a Summo Pontifice, & non Summus Pontifex ab Ecclesia.

II. Probatur acceptatio Ecclesiæ non est confirmatio definitionis, quam facit Summus Pontifex, sicut est confirmatio, quæ fit a Summo Pontifice definitionis, quam facit Concilium: ergo acceptatio Ecclesiæ est potius obedientia, quam exhibet Ecclesia definitioni Summi Pontificis; atqui ideo Concilium accipit robur a Confirmatione Summi Pnntificis, quia confirmatio est actus authoritatis, quæ a superiore exercetur: ergo definitio Pontificis nequit accipere robur ab acceptatione Ecclesiæ, quæ est actus obedientiæ, quam exhibet Inferior Superiori suo.

III. Probatur. Deus promisit Spiritus Sancti assistentiam Pontifici, quando loquitur ex Cathedra, & definit in controversiis fidei & morum: & ob hanc assistentiam definitiones ipsius sunt infallibiles; sed si essent infallibiles post Ecclesiæ acceptationem, assistentia Spiritus Sancti daretur Ecclesiæ, & non Pontifici, quod esset contra promissionem Christi: ergo si hæc assistentia Pontifici promissa est, & Pontifici a Deo datur, Pontifex ipse ex Cathedra loquens, in controversiis fidei & morum, etiam ante acceptationem Ecclesiæ, est infallibilis.

IV. Probatur. Nunquam visum est, Pontificis judicium fuisse irritum, quia Ecclesia non acceptavit, bene tamen legimus aliquando judicium Ecclesiæ fuisse nullum, quia Pontifex non confirmavit: ergo non est Ecclesia, quæ dat firmitatem Pontificis definitionibus, sed est potius Pontifex, qui definitionibus Ecclesiæ dat valorem. Antecedens ex parte Pontificis in sequenti Conclusione probabitur; ex parte vero Ecclesiæ visum est supra, ubi ostendimus multa Concilia, quæ Ecclesiam repræsentabant, evasisse Conciliabula, & fuisse nulla, quia Pontificis confirmationem non meruerunt.

Dicimus II. Neminem ex Romanis Pontificibus, ex Cathedra loquentibus, in materia fidei & morum errasse in fide, & hæresim docuisse; potuisse tamen errare ut privatas personas.

Hæc Conclusio tres pariter habet partes, quarum prima, scilicet, quod nullus Romanus Pontifex, ex Cathedra loquens erraverit in fide, ex præcedenti Conclusione constat; quia si Romanus Pontifex, ut præmittitur, est infallibilis: ergo non potest errare in fide: ergo non erravit. Secunda vero pars, nimirum, quod Romanus Pontifex ut persona privata possit errare in fide, probatione non indiget, quia ut persona privata est sicut cæteri peculiares homines, qui errare possunt in fide; adeoque etiam ipse ut particularis Doctor, ut privata persona, ut singularis homo, potest in fide errare. Tertia vero pars, quod scilicet nemo ex Pontificibus Romanis, etiam ut privata persona in fide erraverit, pendet ex factis, quæ Adversarii debent proponere, & nos explicare. Igitur hæc tertia Conclusionis pars potius probanda est negative, quam positive, solutione scilicet argumentorum, quæ nobis ab Adversariis objiciuntur. Cæterum prima pars

Con-

Conelusionis, ultra probationem, quam dedimus, his aliis argumentis probatur I. testimonio veterum Scriptorum, præcipue Pontificum, quod Concilia ipsa etiam acceperunt, ac adorarunt. Theodoretus epist. 116. ad Renatum Presbyterum Romanum hæc scribit: *Habet Sanctissima illa sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt Orbe Principatum multis nominibus; atque hoc ante omnia quod ab hæretica labe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram servavit*. Insuper Agatho, Romanus Pontifex, in sua Epist. ad Imperatores Constantinum, Heraclium, & Tiberium, quæ lecta est in Concilio VI. Generali act.4., & act.8. ita a Patribus Synodi unanimiter accepta & approbata, ut jam possit dici, ut ait P.Bouear, totius Concilii doctrina; in hac quidem epistola probat infallibilitatem, de qua loquimur, primo ex scriptura, secundo ex traditione, tertio ex eo quod nullus ex ejus prædecessoribus ad suam usque ætatem in fide erraverit. Recitemus ejus verba, quæ scripta sunt circa annum 680. *Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis nunquam erravisse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianæ percepit ab Auctoribus Apostolorum Christi Principibus, illibata fide tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi, in sacris Evangeliis factus est: Petre, Petre, inquiens, ecce Satanas expetivit ut cribaret vos, sicut qui cribat triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defuturam promisit, confirmare eum fratres admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis cognitum est: quorum pusillitas mea, licet impar & minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere.*

II. Probatur. Si aliquis ex Romanis Pontificibus in fide errasset, aliquam in Ecclesia exortam hæresim non damnasset, sed potius probasset; atqui omnes hæreses, quæ omni tempore in Ecclesia exortæ sunt Romani Pontifices damnarunt: ergo nullus Pontifex Romanus ex Cathedra loquens in fide erravit. Minor probatur; tum quia illud Agathonis testimonium modo allatum prodiit anno 680. unde ex illo clare constat nullum ex suis prædecessoribus in fide errasse, quia aliter Concilium dictum ejus non recepisset; tum etiam quia facto enumerat P. Boucat hæreses omnes, quas Romani Pontifices profligarunt, cujus verba hæc sunt. „ Primo omnes hæreses ab Apostolorum tempore usque ad Concilium Nicænum I. a Sanctissimis Pontificibus incunranter proscriptæ sunt, videlicet primo seculo Ebionistæ. Ex secundo seculo Manes, Marcion, Novatus, & Novatianus abjecti sunt, anno 158. S. Hyginus Cerdonem excommunicavit, Zephirinus, Marcion, & Cataphrigas ejecit ab Ecclesia. Victor I. proscripsit Quatuordecimanos; Rebaptizantes vero a S. Stephano I. Paulus Samosatenus a Dionysio in utroque Concilio Antiocheno, quod suo munivit calculo; Arius a S. Sylvestro in utroque Alexandrino ab ipso approbato; Donatistæ a S. Melchiade in Concilio Rumano. Rursus in Arelatensi anno 314. a S. Sylvestro, qui per suos Legatos præfuit, damnati sunt. Secundo Hæreses famosæ in Conciliis damatæ simul a Sanctis Pontificibus, qui eorum acta confirmarunt, abjectæ leguntur. Ergo S.Sylvester damnavit Arianos; Damasus Macedonium; Cælestinus I. Nestorium; S. Leo Eutychetem; Vigilius tria Capitula; Agatho Monothelitas; Adrianus I. Iconomacos in Concilio VII. Generali, tum & Felicem & Elipandum in Francofurtensi; Adrianus II. Photium in VIII. Generali; Martinus V. Hussitas in Concilio Constantiensi; Diversi Pontifices, durante Tridentino, Lutheranos, & Calvinistaa anathemate percusserunt. Tertio ab Urbano ad Benedictum usque XIII. Ecclesiam feliciter regentem varii Pontifices varios errores qui in moralem, tum etiam in dogmata irrepserant, proscripsere. Quarto ut primum aliquos nævos in Conciliorum acta irrepsisse SS. Pontifices animadverterunt, esse vacua suam abnegando approbationem voluerunt; hinc inter Concilia Oecumenica sex partim approbata, partim reprobata, quædam vero particularia prorsus abjecta sunt, ut omnia ab Arianis & Donatistis adunata: latrocinium Ephesinum, & quædam alia. „

III.Pro-

III. Probatur. Si quis Summus Pontifex ex Cathedra loquens, hæresim aliquam docuisset, vel ei Ecclesia adhæsisset, vel repugnasset; non potest dici primum, quia aliter universa Ecclesia errasset, quod Adversarii non admittunt: neque potest dici secundum, quia ex hoc natum fuisset Schisma inter Pontificem & Ecclesiam, & quidem Schisma magnum & funestissimum, quia fuisset ratione doctrinæ. Hoc autem ostendant Adversarii, si aliquando fuit obortum; ostendant & dicant, quo Pontifice, quo tempore, quo loco, quibus contradicentibus & repugnantibus, exarserit? Quod quum usque modo non dixerint, neque dicere possint, signum est apertissimum, quod nusquam fuerit. Sed jam tempus est, ut ad Adversariorum argumenta proponenda deveniamus, ut illis opportunas demus responsiones.

Objiciunt I. eadem est persona Romani Pontificis, sive loquatur ut Doctor particularis, sive ut Doctor universalis: ergo si in uno modo potest errare, potest etiam in altero. II. A Patribus notantur illi, qui se separant a Romani Pontificis communione & obedientia, quoad omnia, non vero quoad unam caussam tantum, in qua est ratio, ut separentur. III. Sententiæ Pontificum damnantium aliquam opinionem, habuerunt firmitatem, quando ab Ecclesia fuerunt receptæ: ergo Pontifex est infallibilis post Ecclesiæ acceptationem, & non ante. IV. Sacri Canones præcipiunt, quod Pontifex lapsus in hæresim, debeat a Concilio judicari: ergo supponunt, quod possit Pontifex in hæresim incidere. V. Concilia non sunt frustranea in Ecclesia; sed essent frustranea, si Papa sine illis esset infallibilis: ergo extra Concilium Papa non est infallibilis. VI. Papa ut persona privata potest errare: ergo etiam ut Doctor universalis Ecclesiæ. Probatur consequentia, quia esset maximum miraculum unum sentire in seipso, & contrarium aliud docere. VII. Ad hoc ut Papa sit infallibilis, debet præmittere necessariam diligentiam in rebus ab ipso definiendis; sed hoc fieri non potest sine Concilio: ergo semper Concilium est necessarium. VIII. Nos non possumus habere certitudinem, quod Papa adhibuerit omnem diligentiam pro dogmate definiendo: ergo non possumus habere certitudinem de ejus infallibilitate, quæ est hujusmodi diligentiæ alligata. IX. Pontifex Romanus sicut cadere potest in alia crimina, sic potest pariter in hæresim, quia hæc ut plurimum ex illis consequitur. X. Petrus Matth. 26. Christum negavit, & ad Galat. 2. Compulit Gentes judaizare: ergo etiam ejus successores errare possunt. XI. Zephirinus Papa communicavit cum Montanistis; Liberius Papa subscripsit formulæ Arianæ firmiensi; Felix II. Papa factus est Pontifex opera Arianorum; Gelasius I. docuit in Eucharistia simul cum carne Christi remanere etiam substantiam panis post consecrationem; docuit insuper necessariam esse ad salutem communionem sub utraque specie; Vigilius Papa docuit hæresim Eutychianam; Honorius Papa docuit errorem Monothelitarum; Gregorius III. docuit posse Maritum aliam ducere uxorem, ob prioris Conjugis infirmitatem. Nicolaus I. docuit, valere Baptismum collatum in nomine Christi; Alexander III. docuit posse dirimi matrimonium ratum per aliud matrimonium ratum simul & consummatum; Innocentius III. docuit, Veterem legem non esse plene abrogatam; Joannes XXII. negavit animas Sanctorum recipi in Cœlum ante judicii diem; Nicolaus III. docuit, Christum perfectam docuisse paupertatem, eamque consistere in abdicatione omnis dominii, tam in particulari, quam in commune; & hanc doctrinam esse hæreticam Joannes XXII. definivit; Cœlestinus III. docuit matrimonium dissolvi, labente altero conjugum in hæresim; Zosimus credidit & docuit Cælestium, qui fuit Pelagii socius, fuisse Catholicum. XII. Potest Pontifex errare in quæstionibus facti: ergo pariter potest errare in quæstionibus juris. Probatur consequentia, quia multa sunt jura, quæ a factis dependent. XIII. Sententia illorum, qui dicunt, Pontificem extra Concilium posse errare, est probabilis: ergo non est hæretica: ergo sententia illi opposita, non est de fide. XIV. Nobis non constat fide divina, hunc hominem in individuo, nempe Clementem XII. esse verum & legitimum Pontificem; sed tantum fide humana: ergo neque constat fide divina, ipsum esse infallibilem. XV. Non possumus nos certo scire, Pontificem loqui ex Cathedra, nisi post Ecclesiæ acceptationem: ergo semper ad infallibilitatem ipsius est necessaria Ecclesiæ acceptatio.

Respondemus ad I. his verbis respondet

P. Bou-

P. Boucat. „ Respondeo distinguendo: idem est physice & entitative concedo; formaliter & juridice nego. Duo igitur in quolibet judice distinguendum est, videlicet id quod physicum & naturale; deinde vero id, quod est morale. Primum competit ratione naturæ, quæ semper eadem est: alterum vero ratione potestatis, qua Judex relationem habet ad Deum supremum omnium Judicem, & ad jus quod quasdam statuit conditiones solemnes ad ferenda judicia: hoc ipsum compertum præ oculis quotidie habemus in Judicibus laicis; quidquid enim in domo & in particularibus colloquiis dicunt, non facit regulam & judicium, sed tantummodo cum pronunciant in Throno justitiæ Sedentes: Idem dicendum de supremo controversiarum Judice. „

Ad II. Allata a nobis Patrum Testimonia plene ostendunt tam damnabiles esse illos, qui in uno a Pontificum definitione recedunt, quam qui in omnibus; fides enim Catholica partes non recipit, & qui unum non credit, nihil credit; ut ait Cardinalis Sfondratus, qui subdit. „ Ita qui vel in uno dogmate semel definito cum Romano Pontifice non communicat, in nullo communicat, negatque illi quod maximum & præcipuum habet privilegium videlicet summi Pastoris, Fundamenti, Petræ, & Magistri Ecclesiæ, sicque non contentus ramum aliquem aut florem carpere, ipsas radices sacræ illius dignitatis incidit. „

Ad III. Idem Cardinalis respondet. „ Respondimus jam supra ad hanc objectionem, & ea quam sit inanis, demonstravimus: Ideo enim Ecclesia hujusmodi Pontificum sententias recepit, non quia jam certa veritatis, & ut illis certitudinem commodaret, sed quia certas credidit & tales, ut merito dubium omne, quo prius Ecclesia jactabatur, excluderent. Dubitabat ante Pontificis sententiam Ecclesia; post illam omni dubio solvebatur: non ergo certitudinem Pontifici dabat sed accipiebat. Deinde qui pronuntianti Papæ non acquiescerent, pro Hæreticis habebantur; non ergo liberum erat ab eo aut definita repellere, aut acceptare, & acceptando certa efficere: immo ipsi Pontifices accepiari jubebant, & qui obsisterent anathemate dirisque feriebantur. Deinde cum dicis a Pontifice definita non esse certa, sed consensu Ecclesiæ certa fieri, quid tu intelligis nomine Ecclesiæ? Concilium Generale? At jam ostendimus ex ipsis Conciliis, ex Patribus, praxique Orbis Catholici etiam extra Concilium errare Pontificem non posse. Nec ullus est in Ecclesiastica Historia vel leviter tinctus, qui nesciat trecentis & ultra annis gravissimas, multasque hæreses sine ullo Generali Concilio damnatas, proscriptasque esse. Totam omnino fidelium societatem? Ergo nunquam me Pontificis definita obstringent, quia nunquam constare mihi potest omnes omnino fideles in ea consensisse, & assensu firmasse, sine quo, ut dicis, certa non sunt. Quis enim tibi nuntius aquila aut Pegaso vectus ad aures pertulit omnes in India, in Africa, in Asia, in Hispania, Germania, Italia, Polonia, Americaque, Alexandro Pontifici subscripsisse, cum Jansenium damnavit? Immo qui potuerunt omnes consentire, re non ad omnes perlata, nulloque Conventu habito, nunquam capitibus collatis? Quod si nomine Ecclesiæ majorem Fidelium partem intelligis, de eadem redit quæstio, quomodo constare tibi possit, majorem illorum partem in sententiam contra Jansenium latam, v. g. consensisse? Maxime cum non semper illa pars sit melior, quæ est major. Absurdum igitur est sententias & decreta Pontificum in rebus fidei tunc primum necessarias certasque esse, cum a tota Ecclesia recipiuntur: antequam recipiantur incertas, nec animum obligare. „

Ad IV. Sacri Canones loquuntur de errore personali, non vero de errore judiciali vel Cathedrali; quia ille error sive occultus, sit sive privatus, nihil Ecclesiæ nocet. Tunc autem, quia desiit esse Pontifex in illa hypotesi propter errorem in fide, a Concilio judicatur.

Ad V. Etsi sine Conciliis possint res fidei a solo Pontifice Romano definiri, attamen necessaria sunt, & quia in Conciliis res maturius discutiuntur & quia omnium nationum necessitates ab Episcopis fere totius Orbis terræ exponuntur & providentur, & quia de modo agitur, quo in unaquæque regione res definitæ possint exequutioni mandari. Et ob hoc Concilia non sunt frustranea.

Ad VI. Hoc miraculum non est novum in Ecclesia si per illud intelligatur, quod vires naturæ superet; huic enim similia quotidie in Ecclesia fiunt, ut sunt justificatio peccatorum, administratio Sacramentorum productio gratiæ & alia; quæ

quis

quidem omnia non natura sed gratia fiunt, & pariter Ecclesia a Deo non natura, sed gratia regitur; Deo autem æque est facile per naturam, ac per gratiam operari.

Ad VII. Negatur ad diligentias illas adhibendas necessaria esse Concilia; tribus enim prioribus Ecclesiæ seculis multas Pontifices Romani hæreses damnarunt, & Concilia non præmiserunt. Sat enim eis est Congregationes adhibere doctiorum ac proborum hominum, qui sunt in Urbe Consilia habere, quæ Conciliorum locum tenent.

Ad VIII. Eadem incertitudo haberi potest de Concilio, an scilicet omnem diligentiam adhibuerit pro dogmate definiendo, & nihilominus Adversarii quod de Pontifice opponunt, non opponunt de Concilio, sufficit autem pro utroque certitudo moralis, quæ sine labore haberi potest.

Ad IX. Christus rogavit quidem pro fide Petri, at non rogavit pro Charitate, pro justitia, pro castitate, & pro aliis virtutibus; quia hæ aliæ virtutes ad regimen suæ Ecclesiæ non ita conferebant, ut conferebat fides Petri; aliud autem est, Pontificem posse cadere in hæresim; aliud est posse hæresim docere; & hæc est alia disparitas, quæ præfato argumento opponitur.

Ad X. Petrus, quando Christum negavit erat Piscator, & non Pontifex; unde negatio illa fuit Petri Piscatoria non Petri Pontificia; Primatus enim Ecclesiæ fuit illi promissus ante Passionem; sed non collatus, nisi post Resurrectionem, ut patet Matth. 16. & Joan. ult. Alium vero errorem, quem afferunt Adversarii, satis diluimus in præcedenti Differtatione, ad quam Legentes remittimus.

Ad XI. Contra Zephirinum adducitur testimonium Tertulliani lib. adversus Praxeam cap. 11. sed quando Tertullianus hunc librum scripsit, jam factus erat Montanista; adeoque illi quoad hoc nulla fides; præsertim quod post Tertullianum nullus alius id memoret. Denique Montanistæ antequam in hæresim inciderent, pietatem simulabant, qua simulatione deceptus Zephirinus cum illis communicavit; sed deinde illorum hæresi detecta, ab illis se separavit, illosque a seipso divulsit. Liberius coactus ærumnis damnationi Athanasii consensit; sed fidei Arianæ formulæ nunquam subscripsit; ut testantur Athanasius de Synodis, Socrates lib. 2. cap. 29. Hilarius lib. de Synodis, & Epiphanius hær. 79. Felix II. antequam Pontifex fieret cum Arianis communicabat; sed nunquam Arianus fuit, ut testantur Ruffinus lib. 10. hist. cap. 22. Theodoretus lib. 2. cap. 17. Sozomenus lib. 4. cap. 10. Postquam vero factus est Pontifex, Arianos damnavit, & Constantium anathemate percussit, quod ab Arianis Baptismum accepisset. Videantur Bellarminus de Romano Pontifice lib. 4. cap. 9. & Baronius ad annum 357. Liber ille contra Eutychen, qui Gelasio tribuitur, non est Gelasii, ut multis & firmis momentis probat Cardinalis Sfondratus omnino videndus. De communione vero sub utraque specie, verum est quod ejus decretum refertur a Gratiano in C. Comperimus de Consecratione dist. 2., sed intelligendus est vel de Sacerdotibus, qui non possunt sub una specie celebrare, vel de illis, qui a vino ob superstitionem abstinebant, ut erant Manichæi. Vigilius, falsum est, quod docuerit hæresim Eutychianam; fuit quidem Anti Papa, Sylverio in exilium pulso, Theodora Augusta operante, ut ipse in Sylverii locum eligeretur, cui epistolam scripsit. At Sylverio mortuo, & Pontifex ipse factus, negavit Vigilius, posse a se præstari quæ temere promisisset, subdens, neminem pactis obligari, quæ turpius servantur, quam rumpuntur; ut afferunt apud Cardinalem Sfondratum Gregorius Magnus lib. 2. ep. 36. & Paulus Diaconus in vita Justiniani. Honorius nusquam fuit Monothelismi reus, ut nos plene probavimus tom. 3. disser. 8 r. Gregorius III. dissolvit matrimonium ob uxoris infirmitatem, quam insanabilem antecedenter habebat & quæ sit impotens perpetua & naturalis ad coeundum. Nicolaus I. docuit valere Baptismum in nomine Christi cum expressione trium Personarum Divinarum collatum; sine autem tali expressione, dicit Bellarminus, quod Baptismus sit nullus, nulla invenitur Ecclesiæ definitio, & Patrum sententiæ sunt variæ; unde propositio esset potius falsa quam hæretica. De Alexandro III. dicit Bellarminus, nec Alexandrum nec ejus prædecessores aliquid definivisse; sed solum quid sentirent, explicuisse. Innocentius III. voluit Deuterono[illegible]m observandum, quatenus quæ di[illegible]bantur in eo, erant novi Testamenti figuræ, ideo enim subdit Bellar-

" minus, existimavit Innocentius, dictum
" esse Deuteronomium secundam Legem,
" quia multa continet ad Legem novam
" figurate pertinentia ". Joannem XXII.
tom. 1. dissert. 61. quoad delationem visionis Dei usque ad judicii diem, vindicavimus. Insuper quæstio inter Joannem & Nicolaum fuit, an in rebus, quæ unico usu consumantur possit usus à Dominio separari? Hoc autem ad fidem non pertinet, quamvis quæ inde consequuntur possint ad fidem reduci; sed quod consequentur, non est certum ut apud Bellarminum videre est. Nec Cœlestinus III. nec Innocentius III. aliquid certi ea de re statuit, sed ambo responderunt quod sibi probabilius videbatur, quia tote res in opinione erat. Cæterum nec Cœlestinus, nec Innocentius decretum aliquod ex Cathedra promulgarunt, quia ut docet Bellarminus " multa sunt
" in Epistolis Decretalibus, quæ non faciunt rem aliquem esse de fide, sed solum opinionem Pontificum de ea re nobis
" declarant. Zosimus errore facti deceptus credidit Cœlestium esse Catholicum, sed Cœlestii errori non adhæsit, immo fraude detecta, illum damnavit, ut fatetur P. Boucat.

Ad XII. Respondet Cardinalis Sfondratus
" Quæstiones facti esse duplicis generis:
" alia enim sunt facta, vel immediate a
" Deo per scripturas & traditiones revelata, vel saltem cum revelatis connexa,
" qualia sunt Christum in Eucharistia realiter existere, & panem in sacram illius
" humanitatem mutari &c. In hæc error
" nullus cadit, eum repugnet, Deum in
" quacunque re tam facti, quam juris, errore aliquo capi, aut falsum dicere, hoc
" est, aut ignorantem esse, aut mendacem,
" quæ duæ sunt falsi origines. Ad eadem
" facta mediate revelata pertinet diligentie illa necessaria, quam in rebus fidei
" decidendis in Romano Pontifice desideramus; cum enim voluerit Deus Ecclesiam errare non posse, voluit etiam nihil
" ei deesse, quod vitando errori necessarium est; & ideo Patres sextæ Synodi
" contra Monothelitas ex eo quod in Christo duæ essent naturæ, optime intulerunt,
" duas esse voluntates, cum voluntas sit
" potentia cum humana natura necessario
" connexa. In illis vero quæstionibus facti, quæ nec immediate, nec mediate a
" Deo revelatæ sunt; quæque ex testimonio & informatione hominum pendent,
" negari non debet, & Concilia & Pontifices errare posse: cum enim fides divina
" testimonio & verbo Dei nitatur, & vox
" Papæ sit vox hominis non Dei, non potest ille, quæ nec mediate, nec immediate
" revelata sunt, pro fidei dogmatibus proponere: quæ vero sunt facti, revelata
" non sunt, & ideo errori obnoxia. Quod
" ingenue ipsi Pontifices confessi sunt, Bonifacius videlicet VIII. in c. 1. de constitutionibus, ubi dicit Romanos Pontifices ignorare, quæ sunt facti; at ignorantia est mater erroris: errare ergo potest
" qui ignorat: Et Eugenius IV., qui cum
" ex certis magnisque causis Concilium
" Basileense dissolvisset, & ab eo acta
" plane irrita declarasset, per Bullam *Inscrutabilis* anno MCCCCXXXIII. veritatem postea edoctus, per aliam Bullam
" *Dudum* anno MCCCCXXXIV. quæ prius
" constituerat, revocat: non quia Concilium dissolvere non poterat, sed quia
" ex non veris causis, ut postea apparuit,
" id egerat: Extant Bullæ Eugenii in actis
" Concilii Basileensis sess. 16. & videndus
" est Raynaldus ad annum 1434. n. 5. "
Præter hæc, alia sunt facta, quæ necessariam habent cum jure connexionem; nimirum, quod hæ propositiones in hoc libro inveniantur, quod talis Hæresiarche hunc docuerit errorem, quod hic error elias proscriptus fuerit, & similia; & in his factis etiam Summus Pontifex est infallibilis; tum quia in his casibus infallibilitas facti, & infallibilitas juris ducunt ad invicem sibi ordinem, & una ab altera dependet; tum etiam quia facillime quis posset eludere infallibilitatem juris, si infallibilitatem facti admittere non teneretur. In aliis vero factis, quæ cum jure connexionem non habent, & quæ ad factum dogmaticum non pertinent, infallibilitatem non habet Summus Pontifex.

Ad XIII. His verbis respondet sæpius laudatus Cardinalis Sfondratus. "Sententiæ
" alicujus probabilitatem ex duobus capitibus æstimari: ex rationum videlicet
" gravitate ac momentis, & ex docentium
" auctoritate. Rationes quod attinet, aut
" nullæ pro contraria sententia producuntur, aut tam infirmæ, fragilesque sunt solutu tam faciles, ut ad flectendum in
" unam partem intellectum, ejusque assensum non dico extorquendum, sed invitandum, pondus exiguum habeant, immo
" nullum, si cum illis rationibus conferentur, quæ in oppositum urgent. Compara
" Scripturas cum Scripturis, Concilia cum
" Conciliis, Patres cum Patribus, Ecclesiæ
" usum

„ usum cum usu, rationes cum rationibus,
„ & tunc demum videbis, quam vim mo-
„ vendo flectendoque intellectui habeant,
„ quæ ab Adversariis dicuntur: revoca
„ etiam in animum Patrum Doctorumque
„ censuras, quibus sententiam illam confi-
„ gunt, & tecum reputa, an aliquam pro-
„ babilitatis speciem agnoscant: & censuras
„ non Patrum quorumcunque, sed sancti-
„ tate, & doctrina florentium, quosque
„ non ut Doctores tantum, sed ut fastigia
„ & vertices Doctorum omnes scholæ ve-
„ nerantur. Vix pro sententia, quam inpu-
„ gnamus, octo, decemque Auctores nume-
„ rabis, ubi nostra omnes baber, quotquot
„ ubique terrarum scripsere. Quis enim
„ est Gerson, Almainus, Adrianus, ut illos
„ Thomæ Aquinati, Alberto M. Bonaven-
„ turæ, Antonino, Bernardo, & omnibus
„ fere opponas? Enim vero ad bos soles
„ pallescunt illæ stellæ disparentque, &
„ tam fieri non potest, ut qui istorum
„ auctoritatem, rationesque spectat, aliquam
„ in contraria sententia probabilis ratio-
„ nem videat, quam ut lucente in meridie
„ sole radii aliquid, aut lucis in stellis ob-
„ server: Immo multo minus; cum in cœlo
„ stellæ sint plurimæ, sol unus, a nobis vero
„ soles sint plurimi, & ex adverso stellæ
„ paucissimæ „.

Ad XIV. dicitur, quod si non constat, Clementem XII. esse legitimum Pontificem, neque constat, fuisse talem Benedictum XIII., Innocentium XIII. Clementem XI., immo nec Cælestinum, nec Leonem, nec Agathonem, nec Sylvestrum &c., quia in omnibus, aut nulla est dubitandi ratio, aut est eadem. Insuper si Pontifices sunt dubii, etiam sunt dubia quæ ab illis definita sunt: ergo etiam Concilia, quæ a Pontificibus confirmantur; & sic deinceps de aliis, quæ a Pontificibus dependent. Cæterum hunc numero Pontificem scilicet Clementem XII., legitime electum, & ab universali Ecclesia acceptatum esse verum Christi Vicarium, & legitimum Petri Successorem, de fide est; ut habetur ex Concilio Constansiensi sess. ult. ubi Martinus V. Sacro approbante Concilio vult Hæreticos interrogari, quando volunt Ecclesiæ Catholicæ conjungi, & instrui: *Ut credant Papam canonice electum, qui pro tempore fuerit, ejus nomine expresso esse successorem Petri, & supremam habere in Ecclesia potestatem*, quibus addit Cardinalis Sfondratus:
„ Supponit ergo Concilium, credi posse
„ fide divina (nec enim de alia fide quam
„ divina Hæretici sunt interrogandi) hunc
„ numero & determinatum Pontificem le-
„ gitimum esse Christi Vicarium, immo
„ credi debere, nec enim quæ credi non
„ possunt, aut non debent, necessario cre-
„ denda sunt. „

Ad XV. Non quia Ecclesia acceptavit quod Pontifex definivit, nos credimus esse verum definitum a Pontifice dogma, sed quia Pontifex definivit & proposuit nobis; quemadmodum non ideo est verum, quia Ecclesia acceptat, sed quia Pontifex definit: ergo tota ratio infallibilitatis refunditur non in Ecclesiam acceptantem, sed in Pontificem definientem. Igitur acceptatio Ecclesiæ est effectus infallibilitatis Pontificis non caussa, & dici etiam potest, quod sit signum illius, non quidem constituens illam, sed indicans; sine quo quidem signo potest etiam illa stare, dummodo ex suis essentialibus nihil sibi deficiat, quod erit quando Pontifex ut Magister & Doctor publicum Ecclesiæ universalis aliquod ad fidem & mores spectans; ex Cathedra docet omnes Fideles, qui tenentur eum audire, eique obedire, sicut oves audiunt Pastorem, membra obediunt capiti, discipuli Magistro adhærent & obtemperant.

DISSERTATIO CCXCII.

De Romano Pontifice. An Romanus Pontifex sit supra Concilium Generale, an vero infra ipsum? An possit in Lege divina & naturali dispensare? An possit sine caussa dispensare in omni Lege Canonica?

Occasionem dedir controversiæ de superioritate vel inferioritare Romani Pontificis ad Concilium Generale reterrimum illud ac longissimum schisma, quod ferme spatio quadraginta annorum in Ecclesia exarsit ac perduravit, a morte nimirum Gregorii XI. anno 1378. usque ad annum 1417., quo Concilium Constantiæ habitum est & in eo electus fuit Martinus V., qui pacem Ecclesiæ dedit, quum sub eo tota adunata apparuit & perduravit. Rem narrat luculenro ac veridico sermone Cardinalis Sfondratus verbis hisce: „ Anno enim 1394., agente Carolo VI. Francorum Rege, Concilium Parisiis habitum, quo Petrus de Luna, Benedictus XIII. appellatus, natione Aragonius; Papatu ejectus, nullo tamen exitu. Spondanus ad hunc annum. Non multo post, anno videlicet 1409. Benedicto abire Pontificatu recusante, schismatu extinguendo Concilium Pisis a Cardinalibus indictum, qui datis ad varias Provincias litteris a Patres ad Concilium evocarunt: litteris adjunctæ conclusiones quædam, ab Universitatibus Parisiensi & Bononiensi Conceptæ, quarum hæc summa: *Teneri Gregorium & Benedictum ex debito charitatis, Pastoralisque officii jure, quod habebant ad Pontificatum cedere; ne in tanto Ecclesiæ squallore & fidelium clade plus dignitati suæ, quam publico bono studere viderentur: idque multo magis, quod voto & juramento se obligassent, si recusarent, hoc ipso tanquam schismatis auctores, hæresisque suspectos, & tot malorum scandalorumque contentionum duces sub Concilii & Ecclesiæ judicium & potestatem cadere, ab eaque destitui posse: teneri vero fideles omnes ab eorum obedientia cultuque cessare, ne si obedire alterutri pergant, in schisma consentire videantur.* Videri possunt hæ Conclusiones sigillatim apud Theodoricum de Niem. l. 3. schismatis c. 38. & habentur apud Severinum Binium Tom. 3. Concilior. p. 2. in notis ad Concilium Pisan. Patres vero ubi Pisas convenerunt, Gregorio & Benedicto in Concilium citatis, nec comparentibus, sententiam dicunt, adimuntque Pontificatum tanquam hæresi tinctis & notorie schismaticis: A Cardinalibus deinde electus est Petrus de Gandia & Alexandri VI. nomen impositum. Nec tamen hac electione direptum certamen, sed potius auctum, novo Duce, novoque manipulo in aciem eductis. Secutum est Concilium Constantiense anno 1414., quo schismati finis impositus, & sess. 4. & 5. definitum, *Concilium universale in casu schismatis dubio Pontifici imperare, & leges ac pœnas statuere posse*, quod anno 1431. in Concilio Basileensi postea repetitum sess. 13. anno 1510. bello inter Julium II. & Ludovicum XII. accenso, Turonis in Gallia Conventus Episcoporum habitus, & Pontifex Julius ad Concilium vocatus, quod Pisis primum, deinde Mediolani coactum exsecrationi omnibus fuit, teste Guicciardino l. 9. in fin. & postea dissolutum, opposito Concilio Lateranensi, a Julio inchoato, finitoque per Leonem X., in quo etiam auctoritas Papæ supra Concilium definita est sess. 11. „

Verum ex eodem Sfondrato habemus ante prædictum schisma Ludovicum Imperatorem anno 1324. a Joanne XXII. ad Concilium provocasse, cujus verba ipsemet refert, & hæc sunt: *Ad productum Generale Concilium appellamus, quod instanter, cum instantia repetita, loco tuto nobis, & nostris, convocari petimus & congregari &c.* Deinde vero Lutherus a Cardinali Cajetano convictus, ad Leonem X. appellavit, et a Leone damnatus, provocavit ad Concilium, et in Concilio Tridentino damnatus pariter, appellavit ad Scripturam, et denique a Scriptura ad

Spi-

Spiritum privatum, hoc est ad seipsum. Ejus Sectatores fuerunt Ducis Saxoniæ Oratores, qui ad Tridentinum Concilium accedentes, quarto loco postularunt, ut Concilii Patres ad normam Concilii Constansiensis & Basileensis definirent, Papam Concilio subesse in iis, quæ spectant ad fidem & ad mores. Ex quibus constat, quod pro privata cujusque affectione hujus controversiæ partes privati homines sustinebant; ii vero, qui sincero veritatis amore tenebantur admittebant quidem Concilium esse supra Pontificem dubium, quando schisma est in Ecclesia, ut factum legitur in Conciliis Pisano & Constantiensi, quia quando dubius est Pontifex, non est Pontifex, quemadmodum non esset Pontifex si hæreticus aliquando esset; Unde re vera in his casibus non esset Concilium supra Pontificem, sed supra illum, qui dicitur Pontifex, & non est; vel supra illum, qui fuit Pontifex, & modo nec est.

Dicimus I. Summum Pontificem esse supra Concilium.

I. Probatur ex Scripturis. Deuter. 17. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & Decreto Judicis, morietur homo ille.* Subdit Cardinalis Sfondratus: Ubi vides non dici: *Qui autem superbierit, nolens obedire Concilii, vel Sacerdotum imperio, sed Sacerdotis imperio*, penes quem summa erat authoritas decidendi. Post quæ idem Eminentissimus ac vere doctissimus Cardinalis multa subdit notatu digna, apud ipsum legenda. Matth. 16. Christus Apostolos interrogavit: *Vos autem quem me esse dicitis?* Respondit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Christus adjecit: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cælis.* Ex quibus verbis hoc conficit argumentum modo laudatus Cardinalis: „Romanus Pontifex, successor Petri, fundamentum est non unius vel alterius Ecclesiæ, nec omnium Ecclesiarum sigillatim tantum & sparsim sumptarum, sed absolute Ecclesiæ Christi: ergo multo magis Concilii universalis, quod non est proprie, sed repræsentative tantum Ecclesia Christi; quod vero repræsentat, semper minus est repræsentato qua tali. Si ergo est fundamentum Ecclesiæ & Concilii Romanus Pontifex, ab hoc Concilium, non ipse a Concilio pendebit, soliditatem & firmitatem in rebus fidei Concilio dabit, non accipiet: & Concilio nutante, ut olim Ariminense, & Ephesinum II., ipse stabit, durabitque, ut Petram decet, nisi forte fundamentum aliquod fingas, quod non sustenet, sed sustenetur, quod non portet, sed portetur, hoc est, fundamentum non fundamentum, petram non petram &c.„ Insuper Lucæ 22. *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut triticum: ergo autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma Fratres tuos*; Quibus verbis significatur Petri Principatus supra omnes Fratres, etiam in Concilio adunatos, quos confirmare debet, quando a Diabolo exagitantur; & per consequens Pontificum Petri successorum supra Concilia authoritas. Ulterius Joannis ultimo: *Dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? Et dixit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dixit ei; Pasce oves meas.*

II. Probatur ex Conciliis. Leo Magnus hanc epistolam ad Concilium Chalcedonense scripsit, quæ in ejus epistola est num. 45. *Fraternitas vestra me Synodo existimet præsidere, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non desum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credimus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Unde, Fratres charissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, non liceat defendi, quod non licet credi, cum secundum Evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, Apostolicamque doctrinam plenissime, & lucidissime per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis D. Nostri pia, & sincera confessio.* Quam Epistolam quam reverenter, & submisse receperit Synodus, patet ex verbis, quæ Patres act. 2. in fine unanimiter dixerunt: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus,*

Ortho-

Orthodoxi ita credimus. Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita loquutus est. Idem Concilium act. 16. ad Leonem scribit: *Rogamus igitur, & tuis decretis nostrorum honora judicium, & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis, quod decet adimpleat.* Et act. 1. 2. & 3. Leonem vocat: *Ecclesiæ universalis Pontificem, caput universalis Ecclesiæ, universæ vineæ Custodem, &c.* Concilium Constantinopolitanum Generale VI. sic scribit Justiniano, & Theodoræ, Augustis: *Hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis semper omnis Catholica Christi Ecclesia* (N.B.) *& universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt: omnesque Venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, & Sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati atque secuti sunt, hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odiis insecuti.... Hæc est enim veræ fidei regula, quam defendit hæc spiritualis Mater Vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia tenuit, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi fatus est: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & aliquando confirma fratres tuos. Consideret itaque Vestra tranquilla Clementia, quod Apostolici Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.* Concilium Generale VII. post lectionem Epistolæ ab Hadriano Papa Synodo missæ, sic respondit Legatis Pontificiis, qui Patres interrogabant an eam reciperent: *Sequimur, recipimus, & probamus.* Cōcilium Generale VIII. receperat Epistolam Romani Pontificis, ad ipsum missam, in qua hæc legebantur: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos suos sensus libere respuere: quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antistitum cuipiam de eo, quamlibet fas fuerit proferre sententiam, nisi ejusdem prima Sedis Pontificis consensus præcessisset.* Concilium vero post lectas Nicolai epistolas act. 4. & act. 10. & ultima sic definivit: *Difinimus neminem prorsus mundi potentium quenquam eorum, qui Patriarchalibus Sedibus præsunt, inhonorare, aut movere a proprio throno tentare, sed omni reverentia, & honore dignos judicare, præcipue quidem Sanctissimum Papam Senioris Romæ: deinceps autem Constantinopoleos Patriarcham, deinde vero Alexandriæ, ac Antiochiæ, atque Hierosolymorum. Sed nec alium quemquam conscriptiones contra Sanctissimum Papam Senioris Romæ, ac verba complicare, vel componere liceat, sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum: quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioscorus. Quisquis autem tale facinus contra Sedem Petri Principis Apostolorum ausus fuerit intentare, æqualem & eandem, quam illi condemnationem recipiat. Porro si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas, & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, & profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices.* Concilium Generale Lateranense sub Alexandro III. statuit quod refertur in c. *licet* extra de elect. *Ex hoc tamen nullum Canonicis Constitutionibus præjudicium generatur, in quibus majoris, & sanioris partis debet sententia prævalere; quia quod in eis dubium venerit, superioris poterit judicio definiri. In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad Superiorem haberi.* Concilium Generale Lugdunense II. sub Gregorio X., in quo interfuerunt supra 700. Episcopi, recepit & approbavit hanc fidei professionem, quam coram Patribus fecerunt Michaelis Palæologi, Orientis Imperatoris Legati: *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum & plenum Primatum, & Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet: quam se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest judicium recurri, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumque Prælati obedientiam & re-*

reverentiam sibi dant. Apud hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cęteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales pręcipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit: sua tamen observata prerogativa, & tum in Generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva. Suprascripta fidei veritate (prout plene lecta est, & fideliter exposita) veram, sanctam, Catholicam, & Orthodoxam fidem cognoscimus, & acceptamus, & ore ac corde confitemur, quod vere tenet, & fideliter docet, & pradicat Sancta Romana Ecclesia.

III. Probatur ex Patribus Græcis. Athanasius epist. ad Felicem II. Papam: *Majores suos dogmata, & ordinationes a Sede Romana accepisse, ad eanque quasi ad Matrem recurrisse, ejus uberibus nutriendos, Canonibus quippe sancitum esse, ut absque Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat.* Cyrillus in Thesauro: *Sicut Christo a Patre omnis potestas, & nulli alteri data est, sic Petro, ejusque successoribus supremam Ecclesię curam, nullique alteri commissam.* Patres Concilii Sardicensis sub Julio Papa num. 30. *A Synodo condemnatos posse Romanam Sedem appellare, hujusque arbitrio sedere, velit ipsa causam cognoscere, an Judices in partibus delegare.* Ex Actis Concilii cap. 4. & 7. Anastasius Patriarcha Jerosolymitanus: *Antiquis regulis sancitum esse, ut quidquid, quamvis in remotis Provinciis ageretur, non prius tractandum esse, quam ad notitiam almę Sedis esset deductum, ut juxta ejus auctoritatem, aut firmaretur, aut infirmaretur.* Epist. ad Felicem Papam. Patres Concilii Nicœni II. num. 359. sub Adriano I. *Execrabilem, prophanam, & adulterinam esse septimam Synodum Constantinopolitanam, quia non habuit cooperarium Romanum Pontificem, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarium, neque per provinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis debet.* Ex Actis Concilii Act. 6.

IV. Probatur ex Patribus Latinis. S. Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem: *Papa judicium ultimum, & peremptorium esse; nec majorem Pontificia auctoritate in mundo dari.* Paschalis II. in epist. ad Archiepiscopum Panormitanum, & c. significasti 4. de elect. *Romanum Pontificem nullis Conciliorum legibus adstringi posse.* S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. *Hareses & schismata ex eo nasci, quod non uni Sacerdoti, qui vice Christi Judicem agit, universa fraternitas obtemperet.* Stephanus Archiepiscopus, omnesque Africæ Episcopi in epist. ad Damasum Papam, ut habetur ex Tom. 1. Concilior. *Ad Romanam sedem omnia, è longinquis, remotisque locis negotia majoris momenti deferenda esse, ejusque arbitrio definiri oportere.* Damasus Papa epist. ad Episcopos Illyriæ, & epist. 2. ad Stephanum, & Concilia Afri. *Nullo Episcoporum numero decreta firmari, quibus Romanus Pontifex assensum non prabuit, & hujus ante omnia expectandam sententiam esse: nec ulla unquam rata Concilia legi, qua non sunt fulta Apostolica auctoritate.* S. Isidorus Hispalensis præfat. in opus Concilior. *Epistolas Romanorum Pontificum, eorumque decreta pro culmine sedis Apostolica, nec imparis esse cum Conciliis auctoritatis, nec ullam Synodum legi ratam fuisse, qua non fuerit auctoritate Apostolica sedis congregata, vel fulta.* Ivo Carnotensis epist. 183. *Judicia Romana Ecclesia a nemine retractari posse; & si quis aliquando hujus Ecclesia auctoritate pragravatum se sentiat, non debere in Ægyptum descendere propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugere, & inde expetere levamen, unde se conqueritur accepisse gravamen.* S. Joannes Capistranus lib. de auctoritate Papæ, & Concilior. *Authoritas Papa protenditur ad omne bonum, & nullum malum, est enim quasi Deus in terra major homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens potestatis.* S. Bernardus epist. 113. & lib. 3. de Considerat. c. 2. *Quis mihi faciet justitiam de vobis? Extat quidem Tribunal Christi; sed absit, ut ad illud appellem: itaque recurro ad eum, cui datum est judicare de universis, hoc est, ad vos. Vos appello, ad vos; judicate inter me & vos.*

V. Probatur rationibus I. Regimen Ecclesiæ est Monarchicum aristocratico temperatum, sed de ratione regiminis monarchici est, ut multitudo uni subjaceat tanquam Rectori suo, & non quod Rector multitudini subordinetur: Ergo Ecclesiastici Regiminis ratio postulat, ut Pontifex sit supra Concilium, non vero Concilium supra Pontificem. Argumentum est ex doctrina D. Thomæ lib. 4. contra Gentes cap. 76. „ Sic igitur in uno spirituali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesiæ caput. Item ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri: per diversitatem autem sententiarum di-

„ vide-

„ videretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unius, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quod Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum fudit, cum & de Synagoga dicatur per Dominum: *Quid ultra debul facere vinea meæ, & non feci?* Isaiæ 5. Non est igitur dubitandum, quia ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit. Adhuc: Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen optime sit ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt; optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum: quod patet ex fine regiminis, qui est pax. Pax enim & unitas subditorum est finis regentis. Unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiæ præsit. Amplius Ecclesia militana ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur; unde & Joannes in Apocalypsi vidit Jerusalem descendentem de cœlo: & Moysi dictum est, quod faceret omnia secundum exemplar ei in monte monstratum. In triumphante autem Ecclesia unus præsides, qui etiam præsidet in toto universo, scilicet Deus. Dicitur enim Apocalypsi 21. *Ipsi populus ejus erunt, & ipsi cum eis erit eorum Deus*: Ergo in Ecclesia militante unus est, qui præsidet universis. Hinc est, quod Oseæ 1. dicitur: *Congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum*. Et Dominus dicit Joannis 10. *Fiet unum ovile, & unus Pastor*. Si quis autem dicat, quod unum caput, & unus Pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiæ sponsus, non sufficienter respondit. Manifestum est enim, quod Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit; Ipse enim est, qui baptizat; ipse est qui peccata remittit. Ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, & cujus virtute Corpus ejus quotidie in altari consacratur. Et tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est. Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit, ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiæ gereret curam. Hinc est, quod Petro dixit ante Ascensionem: *Pasce oves meas*, Joan. ultim., & ante Passionem: *Tu iterum conversus, confirma fratres tuos*, Lucæ 22. Et ei soli promisit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*; ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem. Non potest autem dici, quod etsi Petro hanc dignitatem dederit, per eum tamen ad alios non derivatur. Manifestum est enim, quod Christus Ecclesiam sic constituit, ut esset usque ad finem seculi duratura; secundum illud Isaiæ 9. *Super solium David, & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia, a modo, & usque in sempiternum*. Manifestum est igitur, quod ita illos, qui tunc erant, in ministerio constituit, ut eorum potestas derivaretur ad posteros pro utilitate Ecclesiæ usque ad finem seculi; præsertim cum ipse dicat Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Per hoc autem excluditur quorumdam præsumtuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subjectione Petri, successorem ejus Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscentes. „ II. Concilium vel importat oves vel Pastorem? Non Pastorem, quia unus est Pastor, & unum ovile, ut ait Joannes: ergo oves: ergo est inferius Pastore, cui est demandata cura de ovibus. III. Concilium est Ecclesia sed per repræsentationem, quemadmodum Legatus repræsentat Principem a quo mittitur; adeoque Concilium est minus principale Ecclesia, quam repræsentat; sed summus Pontifex est supra totam Ecclesiam ratione Primatus, quem habet: ergo a fortiori est supra Concilium, quod repræsentat Ecclesiam. IV. Vel Concilium exerceret suam authoritatem supra Pontificem, quia Pontifex esset Hæreticus, vel schismaticus, vel dubius; & in his casibus non esset Pontifex ut dictum est; vel quia esset moribus iniquus & perditissimus, & nunquam visum est Concilia hoc jus sibi usurpare, præsertim seculo decimo, quando Pontifices fuerunt scelestissimi moribus, at non fide. V. Si quod Concilium in tantam aliquando deveniat audaciam, ut Summo Pontifici intentaret jus dicere, quot turbæ exortæ sunt in Ecclesia? Quot schismata? Quot cædes? ut videre est in Ephesino dicto Latrocinante, ubi Dioscorus

ſeorus præſedit; in Conſtantinopolitano, ubi Photius Nicolao Pontifici dixit anathema; Baſileenſi &c. ergo quum nunquam finis in hujuſmodi Conciliis fuerit felix, immo & ipſa potius evaſerint Conciliabola, dicendum potius omnino eſt, non licere Conciliis hanc poteſtatem ſibi uſurpare.

Pro ſecunda & tertia Diſſertationis parte, hos errores enumeramus. Primo Tertullianus lib. de pudicitia negavit Romanum Pontificem habere poteſtatem abſolvendi Mæchos & Adulteros, etiamſi pœnitentiam agant.

Secundo erravit Lutherus in lib. de captivit. Babylonica, ſcribens: „ Quo jure „ Papa ſuper nos conſtituit leges? Quis „ dedit ei poteſtatem captivandæ hujus „ noſtræ libertatis per Baptiſmum nobis „ donatæ? Dico itaque neque Papa, neque „ Epiſcopus, neque ullus hominum habet „ jus unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper „ Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejuſ„ dem conſenſu: quidquid aliter fit, ty„ rannico ſpiritu fit. Papatus aliud revera „ nihil eſt, quam regnum Babylonis, & „ veri Antichriſti. „

Tertio errant alii noſtrorum temporum Scriptores, qui quum doceant Concilium eſſe ſupra Pontificem, conſequenter etiam aſſerunt, non poſſe Pontificem ſuper aliquo vel aliquibus ex Conciliorum canonibus diſpenſare etiamſi legitima cauſſa ſit diſpenſandi.

Quarto errant pariter iidem, quos modo indicavimus recentes Theologi & ſcriptores, aſſerendo, nullam Pontifices in Reges, ac Principes ſupremos habere poteſtatem, ac juriſdictionem, neque directam, neque indirectam, quum hi omnes illam habeant a Deo immediate.

Dicimus II. Pontifices non poſſe in lege divina & naturali diſpenſare; poſſe tamen diſpenſare in legibus Canoniciis, quando juſtæ & legitimæ ſunt cauſſæ.

Prima Concluſionis pars I. probatur ex Romanis Pontificibus. Urbanus Papa, qui refertur in c. *Sunt quidam* 25. *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges. Quod & nos non ſolum non negamus, ſed etiam valde affirmamus. Sciendum vero ſummopere eſt, quia inde novas leges condere poteſt, unde Evangeliſtæ aliquid, & Prophetæ nequaquam dixerunt. Ubi vero aperte Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius, quod prædicatum eſt, uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur. Sed hoc procul ſit ab eis, qui ſemper Domini Eccleſiam contra luporum inſidias optime cuſtodierunt.* Innocentius III. in c. Litteras de reſtit. ſpoliat. *Opinioni autem ultimæ non videtur incongrue adaptari, ut in gradibus conſanguinitatis divina lege prohibitis reſtitutioni aditus præcludatur, ſed conſtitutione interdictis humana reſtitutio locum habeat eum effectu, cum in illis diſpenſari non poſſit, & iſtis valeat diſpenſari, ſicut B. Gregorius, & multi alii diſpenſarunt.* Alexander III. in c. ſuper eo 4. de uſur. *Cum uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus.*

II. Probatur ex D. Thoma 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. *Ad legem divinam ita ſe habet quilibet homo, ſicut perſona privata ad legem publicam, cui ſubjicitur; unde ſicut in lege humana publica non poteſt diſpenſare, niſi ille, a quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipſe commiſerit, ita in præceptis juris divini, quæ ſunt a Deo, nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus, vel is, cui ipſe ſpecialiter committeret.* Et in 4. d. 47. a. 4. *Quæ ſunt ordinata per legem divinam, non ſunt mutabilia, vel diſpenſabilia, niſi præcepto divino .... Contra præcepta ſecundæ tabulæ, quæ ordinantur immediate ad proximum, Deus poteſt diſpenſare, non autem homines in his diſpenſare poſſunt.* Et quodlibet. 4. q. 8. a. 3. *Circa ea vero, quæ ſunt juris divini, vel naturalis, diſpenſare non poteſt Papa, quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione divina. Jus autem divinum eſt, quod pertinet ad legem novam, vel veterem: ſed hæc eſt differentia inter legem utramque, quia lex vetus determinabat multa, tam in præceptis cæremonialibus pertinentibus ad cultum Dei, quam in præceptis judicialibus, pertinentibus ad juſtitiam inter homines conſervandam: quæ in novo Teſtamento non obligant, niſi aſſumantur ab Eccleſia, vel aliqua Civitate pro ſuo ſtatuto; & hoc quoad judicialia: nam cæremonialia ex toto ceſſant. Sed Lex nova, quæ eſt lex libertatis, hujuſmodi determinationes non habet, ſed eſt contenta præceptis moralibus naturalis Legis, & articulis fidei, & ſacramentis gratiæ: Unde etiam dicitur lex fidei, & lex gratiæ propter determinationes articulorum fidei, & efficaciam ſacrorum. Cætera vero quæ pertinent ad determinationem judiciorum, vel determinationem divini cultus, liberaliter permiſit Chriſtus, qui eſt novæ legis lator,*

Prælatis Ecclesiæ, & Principibus Populi Christiani determinandi. Unde omnes hujusmodi determinationes pertinent ad jus humanum, in quo Papa potest dispensare. In solis vero his quæ sunt de lege naturę, & in articulis fidei & Sacramentis novę legis dispensare non potest: hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra veritatem. Eadem habent S.Bonaventura in 4. dist. 38. ar.2. S.Antoninus 3. p. tit. 22. cap. 7. §. 23., Suarez tom.3.de Eucharistia qu.74.d.43.

III. Probatur rationibus. I. Caussæ, quæ sunt dispensandi in lege humana non verificantur in lege divina & naturali: ergo quanvis possit Pontifex in lege humana dispensare, non potest tamen in lege divina & naturali. Probatur antecedens. Caussæ dispensandi in lege humana fundantur plurimum in ignorantia Legislatoris, qui propter limitationem suæ mentis, non potest prævidere omnes casus possibiles vel in impotentia legis, quæ ad omnes casus nequit extendi; sed hæ caussæ non sunt in lege divina & naturali, ut patet, quia Legislator est omni scius, & lex infinitæ scientiæ suæ æquiparatur: ergo &c. II. Leges humanæ utplurimum variantur, vel temporum varietate, vel necessitate urgente, vel evidente etiam utilitate; sed lex divina & naturalis est omnino invariabilis, sicut scripsit ipsemet Cicero 3. de Republ. *Huic legi nec derogari fas est, nec abrogari aliquid ex hac licet, nec tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus; nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia post, sed in omnes Gentes, omnique tempore una lex, & sempiterna erit immutabilis:* Ergo &c. III. Si Pontifex dispensare posset in lege divina & naturali, vel posset per potestatem humanam, quam habet, vel per divinam, quam pariter a Deo habet communicatam; sed per neutram hoc potest: ergo &c. Probatur minor. Non per humanam, quia hæc non est superior, sed inferior ad divinam; neque per divinam, quia hæc non est destructiva, sed conservativa legis divinæ & naturalis. IV. Si hanc potestatem Pontifices haberent illa aliquando usi fuissent; sed nunquam usi fuerunt: ergo non habent. Probatur minor. Non fuerunt usi in concedenda poligamia, in permittendo repudio, in dispensando in matrimonio in primo consanguinitatis gradu, & in aliis similibus, quæ lex divina prohibet.

Secunda Conclusionis pars probatur I. ex exemplis veterum Pontificum. Leo Magnus epist.85. cap.1. ad Episcopos Africæ, & refertur in c. *exigunt* 1. qu.7. *Exigunt caussę, ut non solum in tales Pręsules, sed etiam in Ordinatores eorum ultio competens proferatur. Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementię, hinc censura justitię, ut credamus delicta quędam utcumque toleranda, quędam vero penitus amputanda. Illos ergo, quorum provectio hoc tantum reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium Episcopale delecti sunt, locum suum tenere permittimus; non pręjudicantes Apostolicę sedis statutis, nec beatorum Patrum regulas solventes, quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi: ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, justa posthac ultione plectamus.* Innocentius III. ad Archidiaconum Bituricensem in Gallia in c. literas 13. de restit. spoliat. *In gradibus consanguinitatis divina lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur; sed constitutione interdictis humana restitutio locum habeat cum effectu, cum in illis dispensari non possit, & in istis possit dispensari, sicut B. Gregorius, & multi alii dispensarunt.* Idem epistola ad Præpositum, & capitulum Cameracense in c. *præposuit* 4. de conc. præb. *Licet autem intentionis nostræ non sit, investituras de vacaturis factas contra Canonum instituta ratas habere, qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare &c* Et epistola ad Archiepiscopum Cantuariensem in c. *innotuit* 20. de elect. *Quanvis autem Canon Lateranensis Concilii ab Alexandro Prædecessore nostro editus, non legitime genitos adeo persequatur, quod electionem talium innuit esse nullam: nobis tamen per eam adempta non fuit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum, immo eadem functuros potestate.* Et Decano, & Capitulo Andegavensi in Gallia in c. inter 2. de transl. Episc. *Nos intuentes, qui licet sibi munus consecrationis impensum, nec prioris Ecclesiæ ipsum Pontificem fecerit, nec secundæ, cum ad primam non fuerit consecratus, & ad secundam (priori vinculo perdurante) non potuerit canonice consecrari, adhuc conjugaliter alteri alligatus, ei tam a vinculo prioris Ecclesiæ, quam a pœna suspensionis penitus absoluto, de benignitate sedis Apostolicæ duximus concedendum, ut priori consensu hactenus perdurante, Andegaven. Ecclesiam studeat*

gu-

gubernare. Honorius III. ad Episcopum Veniensem in c. ex parte 3. de Capell. Monach. *Cum autem id obviet Lateranensi Concilio, de quo nulla mentio est in litteris antedictis: fraternitati tuæ breviter respondemus, quod hujusmodi litteras ab Apostolica sede non credimus emanasse. Quod si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto.* Idem Innocentius III. in Concilio Lateranensi in c. *nonnulli* 28. de Rescript. *Cum autem per judicium injuriis aditus patere non debeat (quas observantia interdicit) statuimus, ne quis ultra duas diætas extra suam Diœcesim per litteras Apostolicas ad judicium trahi possit. Nisi de assensu partium fuerint impetrata, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem.* Hadrianus II. in epist. ad Basilium Imperatorem, quæ recitata, & probata est in Concilio Generali VIII. act. 1. *Verum quia pietas tua cum Ecclesiastica misericordia nos circa illos ad id, quod humanius est, exhortatur: nolumus ignorare, quoniam ultra quam dici possit, hinc fateor, mærore comprimimur, immensoque dolore constringimur, eos nimirum non solum beatæ memoriæ Antecessoris mei Papæ Nicolai, quibus & ipse subscripsi, justis sanctionibus creberrime percellentibus, verum etiam sanctarum Patrum regulis severissime, seu quodammodo peremptorie punientibus. Verumtamen propter pacem facilius obtinendam, propter quæ tantam multitudinem, si tamen resipuerint, misericorditer liberandam (ut cum Sancto Gelasio Papa dicamus) necessaria rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic Canonum Paternorum decreta librare, & retro Præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus; quod & nos æqua possumus pro lucrandis fratribus ratione prosequi, & temporum necessitati consulendo penitus imitari. Photii dumtaxat ordinationem ab hujus moderamine pietatis interim prorsus excipientes, eamque passim & præter examen nullatenus admittentes.*

II. Probatur ex Patribus & Ecclesiæ Doctoribus. Bernardus lib. 3. de considerat. c. 4. *Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus. Bonane species hæc? Mirum est, si excusari queat vel opus. Sic factitando vos probatis habere plenitudinem potestatis, non itidem plenitudinem justitiæ. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum & debeatis, quæstio est, & quomodo? Non indecens tibi voluntate pro lege uti? Et quia non habes ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem?* Et epist. 131. ad Mediolanenses: *Nunc vero audi me inclita plebs, gens nobilis, civitas gloriosa. Audi, inquam, me (veritatem dico, non mentior) dilectorem tui, zelatorem salutis tuæ. Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens. Fidele Consilium, & omni acceptione dignum. Noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis: Debitam ei reverentiam exhibeo, & nihil amplius. Esto. Fac quod dicis: quia si exhibeas debitam & omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis, super universas Orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerint. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat; & e converso, si necesse visum fuerit. Potest a finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit.* Et L. 2. de considerat. c. 8. *Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, una contentus est Jerosolyma, Petro unitatem cedens. Pulchre vero ibi positus est, suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille. Nam dictus est frater Domini. Porro cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogativæ? Ergo juxta Canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cælum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum, tibi tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis.* S. Thomas 1. 2. q. 97. ar. 4. *Dispensatio proprie importat commensurationem alicujus communis ad singula; unde etiam gubernator familiæ, dicitur dispensator, in quantum unicuique de familia cum pondere, & mensuram distribuit & operationes & necessaria vitæ. Sic igitur & in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter aliquod commune præceptum sit a singulis adimplendum. Contigit autem quandoque, quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis, ut in pluribus non est conveniens huic personæ, vel in hoc casu, quia vel per hoc impediretur aliquid me-*

melius, vel etiam induceretur aliquod malum, sicut ex supradictis patet. Periculosum autem esset, ut hoc judicio cujuslibet committeretur: nisi forte propter evidens & subitum periculum, ut supra dictum est; & ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non servetur. Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens; infidelis quidem si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret: propter quod dicit Dominus Lucæ 12. Quis putas fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super Familiam suam? Et in Quodlib. 4. q. 8. ar. 3. *Non est dubitandum, quod Papæ habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita ut quæcunque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos, sint dispensabilia ab ipso.* S. Antoninus in Summa tit. 23. c. 2. §. 6. *Quod Concilia Generalia non possint præfigere legem Papæ, notat Abbas de Sicilia super c. significasti de elect. Quod Concilia Generalia non possunt statuendo præfigere legem Papæ, immo in omnibus statutis Concilii intelligitur tacite excepta auctoritas Papæ, & textus hujus decretalis significasti frequenter allegatur, præsertim in materia, ubi disputetur de potestate Concilii & Papæ. Et vide de hoc bonum Textum 9. q. 3. ubi dicitur Nemo judicabit, vel judicare potest primam Sedem, scilicet, Papam: nec Augustus, nec Populus, nec Clerus. Et c. aliorum, & multa alia capp. ibi posita, ad idem faciunt. Et per istum Textum arguit Joann. Quod sententiæ Papæ est standum, quando præjudicat sententiæ totius Concilii: & remittit ad notata in c. in istis dist. 4. & c. sicut dist. 14. infert etiam Joann. Quod per istum textum solum Papa potest interpretari statuta Concilii; nec mirum cum secundum eum possit & tollere limitare: ut c. statutum de rescrip. lib. 6. Vide bonam Glossam, in c. ubi periculum de elect. lib. 6., quæ dicit, quod licet non sit licitum, quod Papa revocet statuta Concilii, sine ipsius Concilii consilio; potest tamen si vult. Pro quo facit textus hic, & ibi sed textus iste, & omnia prædicta debent limitari, & restringi ad ea, quæ dependent a plena dispositione Papæ: nam in his, quæ sunt juris positivi, indubitanter est Papa supra Concilium, quia ipse est caput Ecclesiæ. Unde licet potestas sit data Papæ, & toti Ecclesiæ Papæ tamen tributa est tanquam capiti: unde debet corpus moveri a dispositione capitis.*

III. Probatur Summorum Pontificum exemplis Cœlestinus I. Papa ad preces Theodosii Imperatoris dispensavit in Canonibus 15., & 16. Concilii Nicœni I. & transtulit Proculum Episcopum Cizicenum ad Constantinopolitanam sedem anno 1434. Testantur Socrates lib. 7. cap. 39. & Baronius ad annum 434. num. 1. Simplicius Papa anno 479. permisit eligi Episcopum Antiochænum Stephanum non Antiochiæ, sed Constantinopoli, dispensando pariter Canonibus Concilii Nicœni. Testimonium perhibet epistola ipsius Simplicii 13. ad Zenonem Augustum, & 15. ad Acacium Patriarcham, quas recitat Baronius ad præfatum annum. Formosus Pontifex ad preces Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani dispensavit in decretis VIII. Concilii Generalis, & permisit ut ad sacras dignitates promoverentur qui erat suspensi, quia Photius eos promoverat. S. Martinus Papa dispensavit in Canonibus Apostolorum, & permisit Bigamum ad minores ordines, immo etiam ad Subdiaconatum admitti. Legitur in C. *lector* dist. 34. In C. *super* de *Bigamis* non negatur absolute potestas dispensandi in Bigamia, sed tantum dicitur, quod faciliter non concedatur. Gregorius Magnus anno 601. dispensavit in antiquis Canonibus, qui prohibebant matrimonia usque ad septimum consanguinitatis gradum, & hoc fecit cum Anglis, & refertur in C. *quædam lex* 35. q. 3.

Tertia conclusionis pars quod non possit Pontifex in sacris Canonibus sine causa dispensare.

I. Probatur quoad secundum caput, videlicet, quod non possit Papa in lege Canonica dispensare absque legitima & honesta caussa, ex iisdem Romanis Pontificibus. S. Damasus epist. ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, quæ legitur tom. 1. Conciliorum: *Violatores Voluntarii Canonum graviter a S. Patribus judicantur, & a Spiritu Sancto (cujus instinctu ac dono dictati sunt) damnantur: quemadmodum blasphemare Spiritum Sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sanctos Canones non necessitate compulsi, sed libenter (ut præfixum est) aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum Sanctum, quemadmodum (ut jam prælibatum est) contra eum agit, cujus impulsu & gratia iidem Sancti editi sunt Canones. Diabolica vero nequitia plerosque subtiliter falle-*

re

re solet, & ita quorumdam imprudentiam per similitudinem pietatis sæpissime illudit ut pro salutaribus novitura persuadeat. Idcirco norma Sanctorum Canonum, qui sunt spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati, fideliter a nobis est sciendæ, & diligenter tractanda; ne quovis modo Sanctorum Patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur; sed fidelissime per ea gradientes, cum eis, qui eos instinctu divino condiderunt, mercedis gloriam, & laboris cumulum, eorum meritis, auxiliante Domino, habere mereamur Hadrianus II. Papa epist. ad Basilium Macedonem Imperatorem: *Neque enim nobis moris est, ut pro libitu proprio paternis Sanctionibus abutamur, quemadmodum quibusdam, qui apud vos summa rerum Ecclesiasticarum gubernacula moderantes, tunc Synodum statuta, vel etiam Apostolicæ Sedis decreta proferunt, cum vel alios lædere, vel se jurare concupiscunt. Et hæc tunc sub silentio tegunt, quando fortasse contra se, vel pro aliis proponerentur, si nostra, more priorum, æquitas in vestræ Urbis Præsules majorum regulis obviantes commoveri severius voluisset. Quamvis multa instantia, & certamen viri prudentissimi, & religiosissimi Egumeni, ac vasorum sacrorum Custodis Theognosti, qui de pietatis vestræ virtutibus, & probabilium morum insignibus, & trophæorum triumphis, atque beneficiorum vestrorum pie sibi præstitorum multitudines nos plurimum relatione sua lætificavit, & qualiter diebus vestris, superno brachio atque studio & solertia vestra Christianitas prosperetur, enarrans multimodas laudes sanctæ Trinitati reddendas, & gratias alacriores exhibuit, ad postulata divinitus muniendo Imperiu vestru concedenda nos supra modum efflagitaverit, & ultra quam dici possit, solito & prisco more, ac pro Ecclesiasticis utilitatibus frequenter impensu, crebris suggestionibus instigarit: super quibus tamen propter jam designatam causam nec annuere possumus, nec quidquam præter quod jam evangelizatum est, ullo modo definire.*

II. Idem probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum sess. 25. de reformat. c. 18. *Sicut publice expedit, legis vincula quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat, sic frequentius legem solvere exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, Sacratissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens justaque ratio & major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio, surreptitia censeatur.* Clerus Romanus in Epistola ad S. Cyprianum Episcopum in c. *Absit* d. 50. *Absit a Romana Ecclesia vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere; ut cum adhuc non tantum jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedio communicationum utique non profutura præstentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina proficere si etiam ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? Si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia conducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.*

III. Probatur idem ex Romanis Pontificibus & Ecclesiæ Doctoribus S. Bernardus lib. 3. de considerat. c. 4. *Spiritualis homo ille, qui omnia dijudicat, ut ipse a nemine dijudicetur, omne opus suum trina quadam consideratione præveniet. Primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. Nam etsi constet in Christiana utique Philosophia non decere, nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet; non continuo tamen omne quod licet decere aut expedire consequens erit. Age aptemus, si possumus tria ipsa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti, & quia non est ad quem appelleris potestatē exercere, negligere rationem? Tunc major Domino tuo, qui ait: Non veni facere voluntatem meam? Quanquam non minus dejecti, quam elati animi est, veluti rationis expertem non pro ratione, sed pro libitu agere, nec judicio agi sed appetitu. Quid tam bestiale? etsi indignum cuivis utenti ratione, vivere ut pecus? Quis in te Rectore omnium tantam contumeliam naturæ, honoris injuriam ferat? Sic degenerando (quod absit) generale opprobrium fecisti proprium tibi. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* S. Thomas 1. 2. q. 79. ar. 4. *Si autem Rector universitatis, absque ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens:*

insi-

infidelis quidem; si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens, si rationem dispensandi ignoret; propter quod dicit Dominus Lucæ 12. Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?

Obstant I. Matth. 16. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum; si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum, vel duos: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram &c.* Quibus verbis præcipit Christus incorrigibiles demandandos esse ad Ecclesiam; quæ per Concilium repræsentatur, & post hoc non assignat aliud Tribunal, cui tradi debeant: ergo non admisit aliud judicium supra judicium Ecclesiæ & Concilii II. 2. ad Corinth. 13. *Potestatem sibi a Deo datam esse in ædificationem non destructionem Ecclesiæ*; ubi loquitur Apostolus de potestate, quæ data est Papæ, & dicit datam fuisse propter Ecclesiam: ergo Ecclesia est supra Papam. III. Actor. 15. in Concilio dicitur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*; in quibus verbis nulla est mentio Petri, sed Apostolorum tantum, qui Concilium componebant. IV. Gregorius Magnus lib. 4. ep. 38. & Nicolaus I. qui refertur in C. *præcipue* 11. q. 3. minantur inobedientes sibi se ad Ecclesiam delaturos: ergo fatebantur majus esse judicium Ecclesiæ, quam suum. V. Concilium Constantiense sess. 4. & 5. definivit, Concilium Generale habere potestatem a Christo immediate, cui etiam Papa teneatur obedire. Et sess. 15. excommunicat omnes cujuscumque dignitatis, etiam Papalis, qui impedire audent venientes ad Concilium. VI. Concilium Basileense sess. 2. definit expresse, Concilium esse supra Papam. VII. Hieronymus in epist. ad Evagrium, quæ legitur in C. *legimus* 24. dist. 93. *Sed dicis: Quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius Urbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vindicas? Si auctoritas quæritur, Orbis major est Urbe.* Ad quæ verba Glossa hæc subdit: *Est hic argumentum, quod statuta Concilii præjudicant statutis Papæ*: Et in c. *nemo* 9. q. 3. *Cum Papa peccat, potest ejus peccatum etiam Ecclesiæ denunciari.* Et in c. *si Papa* d. 40. *Certe credo: quod si notorium est crimen Papæ, & inde scandalizatur Ecclesia, & incorregibilis est, quod inde possit accusari; nam contumacia dicitur hæresis c. Si qui Presbyteri* d. 81. *Et contumax dicitur infidelis c. nullus* d. 38. VIII. C. *confidimus* 25. q. 1. & c. *contra* c. *primæ salus* c. *ideo*, iisdem causa & quæstione, dicitur, quod Pontifex Romanus Generalium Conciliorum decretis alligetur: ergo Pontifex est inferior ad Concilium. IX. Concilium Generale VIII. can. 25. præcipit: *Universalis Synodus cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romana sede exortam audire tenetur, & in ea proficere; non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere*; his verbis prohibetur sententiam dicere in Pontificem *audacter* tantum, sed non reverenter: ergo absolute potest Pontifex a Concilio judicari. X. Gregorius Magnus, qui refertur in c. *sicut sancti* dist. 15. ingenue fatetur: *Ne quidem a S. Pontifice solvi posse, quos quinque Concilia Oecumenica ligarunt: aut ligare quos illa solverunt.* Et S. Antoninus q. 3. p. T. 23. c. 2. §. 6. scribit: *In iis, quæ ad fidem pertinent, majorem esse auctoritatem Concilii, quam S. Pontificis.* Et post pauca: *In iis, quæ universalis Ecclesiæ statum concernunt, non posse Papam contra Concilium aliquid statuere.* XI. Exempla Pontificum, qui se Conciliis subjecerunt, nostræ Conclusionis falsitatem evincunt. Et sunt Marcellinus, qui se Sinvessanæ Synodo subjecit, Joannes XII., qui in Concilio Romano fuit a Pontificatu rejectus, & illi suffectus est Leo VIII. Gregorius VI. in Concilio Episcoporum fuit Pontificatu privatus, & illi subrogatus est Clemens II. ut testatur Leo Ostiensis in Chronica Cassinensi lib. 2. cap. 80. XII. Non est Ecclesia propter Papam, sed Papa est propter Ecclesiam: ergo Ecclesia est major Papa, non Papa est major Ecclesia. XIII. Potest Papa renuntiare Papatum: ergo pariter potest Ecclesia Papam illo privare; quia aliter non servaretur æqualitas. XIV. Pontifices aliquando dispensarunt in gradibus prohibitis Levitici 18., sed lex illa Levitici est divina: ergo potest etiam Papa dispensare in lege divina. XV. Multi Pontifices in Sacris Canonibus absque aliqua caussa dispensarunt, sed hoc fieri non potest: ergo invalide dispensarunt.

Respondemus ad I. Ideo in verbis illis nulla est specialis Petri mentio, quia erat mentio Apostolorum, quorum primus erat Petrus; & si sine ipso intelligeren-

tur

tur Apostoli, neutiquam Ecclesiam constituerent; sicut si sine Papa intelligatur Concilium, non Concilium est, sed Conciliabolum. Quis autem dicat sanæ mentis homo, ut si qui Christianus in furto, in adulterio, in homicidio obstinatus fuerit, Concilium congregari debeat, ut apud ipsum deferatur & judicetur? Nomine igitur Ecclesiæ in illo loco non venit Concilium, sed venit caput Ecclesiæ, vel particularis, vel universalis, scilicet vel Episcopi, vel Summus Pontifex, a quibus ille est judicandus, qui & Ecclesiam repræsentant.

Ad II. Quando Adversarii nominant Ecclesiam, vel intelligunt Ecclesiam simul cum capite, hoc est, cum Summo Pontifice, & sic Ecclesia non est perfectior Papa, quia Papam etiam includit, vel intelligunt Ecclesiam sine capite, & tunc est acephala, quia sine capite; Et insuper in hoc sensu Papa erit semper perfectior Ecclesia, quia caput semper est nobilius cæteris membris, sive sint inter se invicem unita, sive sint ab se invicem separata, atque dispersa.

Ad III. Sic respondit Cardinalis Sfondradus: „ Hunc esse omnem Conciliorum morem & stylum, etiam quibus Summus Pontifex cum summa potestate præest, ut nomine Concilii decreta expediantur, quod patet omnis Concilia, etiam ultimum Tridentinum legenti, nec propterea excluditur auctoritas Pontificia, quæ primas in Concilio partes agit: sicut cum dicimus: *Petrus currit*, *Petrus scribit*, quanvis de capite nihil dicatur, non tamen hujus influxus excluditur, sed semper velut necessarius & principalis intelligitur. Immo in illo ipso Conventu Apostolico, ubi omnes a Spiritu Sancto immediata gubernantur, nec errori patebant, multa Primatus sui argumenta Petrus reliquit, dum primus sententiam dicit: dum quid definiri debeat, præscribit: dum calentem prius disputationem, & vota discordantia componit, & velut pronuntiato oraculo, silentium omnibus impunit, quæ omnia cum lucum legenti patent. „

Ad IV. Idem Sfundratus respondet: „ Ipse enim Prælatus, cum agit non ut privata, sed publica persona, utiturque potestate Ecclesiastica, vulgari jam & nota phrasi Ecclesia vocatur, quia hanc repræsentat; & patuit etiam exemplo Gregorii Magni, qui minatus Joanni Constantinopolitano, nisi titulo universalis Patriarchæ abstineret, se illum Ecclesiæ denuntiaturum; sine tamen Concilio Universali, auctoritate Papali cum compescuit, & censuris ubstrinxit. Lib. epist. 30. & 31. Male ergo & contra regulas artis Concilium Papæ anteponi demonstrant eo scripturæ textu, qui nec de Concilio loquitur, nec de Papa, sed de casu omnino alio, & disparato. „

Ad V. Quæcunque fecit Concilium Constantiense ante electiunem Martini V. omnia intelligi debent de Pontifice dubio & incerto, quales erant illi, de quibus in Concilio debebat agi. Sed postquam electus fuit Martinus V. qui fuit verus legitimus ac certus Pontifex, illico Concilium se ei submisit, & nihil amplius de Pontifice ausum est, vel dicere, vel judicare. Videantur Bellarminus, Schelestrate, Sfondratus, aliique passim, qui res gestas in hoc Concilio sigillatim narrant.

Ad VI. Concilium Basileense fuit potius Conciliabulum, quia a Pontificis obedientia se temere subtraxit. Et hoc nomine eum vocant S. Antoninus 3. p. tr. 22. cap. 10. §. 4., S. Joannes Capistranus de Papæ, & Concilii authoritate par. 3. B. Nicolaua Albergatus in ejus vita, quam scripsit Sigonius cap. 13., Cardinalis de Turrecremata, Abbas Panormitanus, Joannes Milerer, & præter plurimos alios, Pius II. in Bulla Retractationis; quibus addi debent Episcopus Meldensis, Legatus Caroli VII. Regis Francorum ad Eugenium IV. Claudius Episcopus Massiliensis, & Ludovicus de Soreriis, oratores pariter Regis Christianissimi ad Concilium Lateranense sub eodem Pontifice Eugenio IV.

Ad VII. Hieronymus loquebatur contra Diaconos Ecclesiæ Romanæ, qui se immerito supra Presbyteros afferebant; quod etiam præstitit Augustinus, apud Sfondratum in quæst. ex utroque mixtis qu. 101, Glosæ opponitur Glosa in c. *nemo* 9. qu. 3. *Etiamsi totus mundus sententiaret in aliquo negotio, erga Papam, videtur, quod sententiæ Papæ standum esset*, ut in c. *Hæc est fides* 24. qu. 1.

Ad VIII. dicitur quod Canon ille loquitur de iis, quæ statuta sunt per legem divinam & naturalem, & quorum exequusio etiam per Sacros Canones demandatur. In his autem non habere dispensandi potestatem, nuper etiam nos diximus.

Ad IX. Dicit Cardinalis Sfondratus: „ Permittitur ergo Universali Concilio, ut

„ quæ

„ quæ Pontifici objectantur, cognoscat „ quidem, examinetque, non tamen quoad „ effectum judicandi, sed tantum admonendi, reprehendendi, omnique honesta ac permissa ratione emendationem procurandi, immo etiam Pontifici, si „ Ecclesiam vastet usurpetque aliena, resistendi, ut eleganter scribit B.Gregorius „ l.7. ep.1. ind.2. ad Januarium, & habetur in c. *Paulus* 2. q. 7. *Paulus dicit: Seniorem ne increpaveris: sed hæc ejus regula in „ eo servanda est, cum culpa senioris exemplo „ suo non trahit ad interitum corda juniorum. „ Ubi autem senior Juvenibus exemplum ad „ interitum præbet, ibi districta interpretatione feriendus est. Nam scriptum est: Laqueus „ Juvenum omnes vos. Et rursus Propheta „ dicit: Maledictus puer centum annorum.*

Ad X. Et Gregorius, Antoninus loquuntur de hæresibus, a Conciliis damnatis, & quas Pontifex non potest facere, ut non sint hæreses; & de dogmatibus fidei a Conciliis definitis, & quæ Pontifices efficere non possunt ut fidei dogmata non sint, quando & illæ fuerunt legitime, & juste damnatæ; & hæc juste & legitime definita.

Ad XI. Marcellini lapsum, & Synodi Sinvessanæ celebrationem fere eruditi omnes nostrorum temporum inter Apocrypha enumerant. Sed dato quod sint vera, quanvis Marcellinus se Concilio subjecerit, Concilium tamen non est ausum ipsum condemnare, dicens verba illa: *Prima Sedes a nemine judicatur.* Joannes XII. ejectus fuit a præpotentia Othonis Imperatoris, qui Romanum clerum coegit, ut ipsum ejicerent, & ei alterum sufficerent. Gregorius VI. non erat Pontifex certus, & legitimus, quia tres tunc temporis erant in Ecclesia Pontifices. Cæterum ipsemet se Pontificatu abdicavit, non expectans Concilii judicium, a quo exemptum se omnino judicabat.

Ad XII. Nec etiam Regnum est propter Regem, sed Rex est propter Regnum; & nihilominus nemo dixit, quod Rex sit inferior ad Regnum. Revera tamen si Ecclesia sejungitur a Papa per schisma, vel inobedientiam deficit a sua institutione, & a Deo non dirigitur, quia suo capite est privata, & eo ipso propterea in Sathanæ Synagogam degeneravit. Si tamen conjuncta est eum Papa, totum quod habet superioritatis in altos, a Papa derivat ac provenit, & ideo illud idem non potest ratio, ut ipsa supra Papam extollatur.

Ad XIII. Sfondratus sic respondet. „ Negando consequentiam; Cum enim Ecclesia Papæ sit subjecta, non Papa Ecclesiæ; „ ista minus, ille plus potest: quemadmodum quia vir est caput uxoris, non uxor „ viri; vir poterat uxori libellum repudii „ dare, non e contra, ut colligitur ex „ Deuter. cap.24. Et tradit Josephus l. 15. „ c.11. Deinde ex Pontificis renuntiatione non sequuntur illa mala, quæ docuit „ experientia sequi, non se a Pontificia „ obedientia Ecclesia subducit, & alium „ eligit. „

Ad XIV. Papam posse dispensare in gradibus prohibitis Levitici 18. declaravit Concilium Tridentinum sess. 24. de matrimonio c. 3. & Julius II. dispensavit Henrico VIII. Angliæ Regi, ut posset Catherinam Austriacam prædefuncti Arcturi fratris Viduam ducere. Quod fuisse juste & legitime factum late probat Sfondratus pluries laudatus.

Ad XV. Fingitur ab Adversariis, Summos Pontifices dispensasse aliquando absque caussa. Caussæ quidem plures sunt, sed præcipue dicuntur necessitas & utilitas c. *& si illa* 1. qu.7.c.2.*de translat. Episcop.* & Bernardus lib. 3. de *considerat.* ad Eugenium c.4. circa finem. Post has adnumerantur aliæ a Sfondrato, quæ sunt: Mutatio temporum & personarum c. 1. & 3. d. 29. c. *non debet*, de *consanguinit.* Virtus eminens, & habilitas supplicantis c. 13. & 14. d.56. c. *tali* 1. q.7. Periculum dissentionum, & publici damni c.25. d.50. c.*dispensationes* 1. q.7. Scandalum pusillorum, eosque lucrandi spes c. *quædam* 35. q.3. Simplicitas delinquentis c. *tanta* 1. q. 7. Multitudo delinquentium c. *quoties* 1. 97. Temporum hominumque malignitas duriora aspernantium c. *quoniam* 1. q.7. &c.

DISSERTATIO CCXCIII.

De Authoritate Patrum. Qualis hæc esse debeat, ut faciat locum, ex quo deduci possit argumentum theologicum? Quæ regulæ observandæ in eorundem Patrum lectione? Et quæ in eorundem pariter usu?

NON pro eodem in Ecclesia sumuntur Patres & Doctores. Doctores enim sunt dicti, qui floruerunt eminenti doctrina & sanctitate, & uti tales Ecclesia declaravit. Patres vero supra eminentiam doctrinæ & sanctitatis laudem quoque addunt antiquitatis. Etenim munera Doctorum sunt animas fidelium purgare, illuminare, & perficere; quæ sine luce doctrinæ & sine charitatis ardore compleri omnino non valent. Et quidem pro doctrina dicitur Matth. 5. *Vos estis sal terræ... Vos estis lux mundi*. Unde Augustinus lib. de serm. in monte cap. 6. *Per quos condiendi sunt quodammodo populi ... Per quos a vobis error auferatur*. Pro sanctitate vero dicitur pariter Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona ... Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*. Denique ideo accedere debet Ecclesiæ declaratio, quia ut Apostolus docet. 1. ad Corinth. 12. *Numquid omnes Doctores?* Ergo si non omnes sunt Doctores, ut cognoscamus qui sint, debet nobis hoc Ecclesia declarare. Denique pro Patribus requiritur etiam antiquitas, quia ut dicitur Deuteron. 32. *Interroga Patrem tuum & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi*. Tum denique quia si Patres generant filios debent filios antiquitate præcedere. Unde dicitur 1. ad Corinth. 4. *Nam si millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres: nam in Christo Jesu per Evangelium Ego vos genui*.

Plura sunt, quæ modo a Nobis dictis opponi possunt, & quæ hic hæc pariter explicare non omittimus. Primum est, quod Theophilus Episcopus Alexandrinus a Concilio Generali V. collat. 8. ponitur inter Sanctos Patres & Doctores, & nihilominus vir fuit crudelis, & nimis in Chrysostomum infensus. Hæc sunt præfati Concilii verba: *Super hæc sequimur per omnia & Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium ... Theophilum, &c.* Sed re vera Theophilus odio Chrysostomum prosequebatur, quia illum putabat esse Origenistum, ut etiam putavit Epiphanius, qui Constantinopolim veniens non cum Chrysostomo, sed cum Theophilo communicavit. Unde error fuit potius facti, quam juris; Et quamvis dum viveret aliquibus in doctrina, & in morali nævis non caruerit, zelum tamen fidei semper habuit, & in morte in pace Ecclesiæ quievit. Secundum quoque est, quod passim inter Patres adnumerantur Tertullianus, Origenes, Eusebius Cæsariensis, Ruffinus, qui Sancti non fuerunt. At nunquam Ecclesia hos Authores inter Patres adnumeravit, ut apud P. Boucat testatur Alphonsus Baptista ex Ordine Prædicatorum in sua apologetica defensione pro Patrum authoritate verbis hisce: „ Doctissimus fuit Tertullianus, sapientissimus Origenes, eruditissimus Eusebius Cæsariensis, & tamen Ecclesia nunquam Doctores suos appellavit eos, nec aliquis ausus est eos tali titulo nuncupare, quod multis aliis contigit, non solum doctrina, sed etiam sanctitate præstantibus. „ Tertium pariter est, quod quamvis Bonifacius VIII. in sua Decretali, quæ incipit: *Gloriosus Deus in Sanctis suis*, & refertur sub titulo de Reliquiis & veneratione Sanctorum in VI. quatuor tantum Ecclesiæ doctores nominaverit, videlicet Gregorium Magnum, Augustinum, Ambrosium, & Hieronymum; hoc tamen non dixit, quasi alii non fuerint, sed tantum præscripsit illorum solemnitatem sub ritu duplici celebrandam fore in Ecclesia, quemadmodum Apo-

Apostolorum celebrantur festivitates. Posteriores deinde Pontifices illud ipsum statuerunt pro quatuor Græcæ Ecclesiæ Doctoribus, nimirum Athanasio, Chrysostomo, Gregorio Nazianzeno, & Basilio, & pro S.Thoma Aquinate, qui est Angelicus Doctor, statuit S.Pius V., & pro S. Bonaventura, qui Seraphicus pariter dicitur Doctor, Sixtus V. decrevit. Hi autem duo ultimi, quamvis sint Ecclesiæ Doctores, quia eos Ecclesia uti tales declaravit, Patres tamen nullatenus vocari possunt, quia eis deficit antiquitatis prærogativa. Deficit etiam hæc ætatis prærogativa S. Bernardo, & nihilominus inter Patres adnumeratur, quia Ecclesia sic determinavit ac dispensavit, uti legitur apud P.Boucat: „ Ad Ecclesiam spectare determinare antiquitatem, & ab ea etiam dispensare: sufficit ut declaret illos esse Patres, & uti tales propter eorum exanthlatos pro fide defendenda labores uti tales haberi velit. Porro secundum morem antiquitas prærequiritur, eo quod Patres primorum seculorum magnis floruerint virtutibus.

Denique sciendum est, quod posteriorum temporum Hæretici nullam rationem Sanctorum Patrum habere visi sunt; & præcipue Lutherus ore illo suo putido ac arroganti nunquam illos proscindere desiit, & contumeliis efficere non erubuit. Alii, & præcipue Calvinus illorum authoritatem recipiunt, qui primis quatuor Ecclesiæ seculis floruerunt, putantes, quod post hæc secula Romana Ecclesia deficere incepit. Catholicorum tamen omnium, constans assertio est plurimum in Ecclesia habendam esse Sanctorum Patrum authoritatem, qui uti antiquæ fidei Testes, ac Defensores, immaculatam ad nos doctrinam transmiserunt. Hinc docet Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap.3. *In ipsa enim Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc enim vere proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, & antiquitatem, confessionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos Sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certe pene omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur:* Et tandem non in rebus naturalibus, sed fidei tantum hanc sibi authoritatem vindicare scripta Patrum Patres ipsi testantur; & præcipue Augustinus in epist. III. ad Fortunatianum Episcopum Siccensem cap. 4. *Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare aut respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Et in epist. 82., alias 19. ad S.Hieronymum cap. 1. *Alios ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

Dicimus I. In rebus theologicis unanimem Patrum consensum in aliquod dogma esse certissimum argumentum; unius vero, vel plurium, esse probabile.

Prima Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Numer.11. *Dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes Populi sint ac magistri: & duces eos ad Ostium Tabernaculi fœderis facieśque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Idem habetur Exod.24. & Deuter.17. & Machab. lib. 2., & hæc erat traditio apud Hebræos, quam Kabalam dicebant. Insuper Matth.18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et ad Ephesios 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis, plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.*

II. Probatur ex mente Ecclesiæ, & quæ de

hoc

hoc se explicat in Conciliis, & in publicis quoque precibus, quas ad Deum fundit. In Conciliis passim legitur: *Hæc est fides Patrum*, uti habetur præcipue in Concilio Chalcedonensi. In Viennensi hæc sunt verba Clementis V. in eo præsidentis: *Nos ad SS. Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes, sacro approbante Concilio declaramus*. Concilium Tridentinum sess. 4. *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo sua prudentia innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat*. Insuper Ecclesia in oratione, quam recitat in officio, & in missa, pro Doctoribus, & Patribus, sic loquitur: *Deus, qui populo tuo æternæ salutis Beatum N. ministrum tribuisti: præsta quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris intercessorem habere mereamur in Cœlis*. Et in oratione S.Hieronymi: *Deus, qui in exponendis Sacris Scripturis B. Hieronymum Confessorem tuum Doctorem maximum providere dignatus es*. Et in oratione S.Thomæ: *Deus, qui Ecclesiam tuam S. Thomæ mira eruditione clarificas, &c.*

III. Probatur rationibus. I. Admittitur, & admitti debet in Ecclesia traditio constituens locum Theologicum, ex quo firmissimum deducitur argumentum: ergo pariter admitti debet unanimis Patrum consensus in rebus fidei, qui de divinis & Apostolicis traditionibus testimonium reddit. II. Si unanimis Sanctorum Patrum consensus non faceret infallibile argumentum in rebus fidei, ideo esset, quia unanimis Patrum consensus non esset infallibilis; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur minor. Si non esset infallibilis, esset fallibilis; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur minor. Falsa unanimi Patrum doctrina, jam portæ inferi prævalerent adversum Ecclesiam, quia Pontifices & Concilia unanimi SS. Patrum consensui innituntur, quando res fidei definiunt; sed hoc est impossibile: ergo, &c. III. Deus tenetur præstare assistentiam suam Pontificibus & Conciliis, simul cum Pontificibus res fidei definientibus, & illam tenetur dare, quia sic promisit; sed illam dat medio unanimi consensu SS. Patrum: ergo hic unanimis consensus SS. Patrum debet esse certum medium in rebus fidei definiendis, quia illi infallibilitas Ecclesiæ innititur.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Ideo unanimis Patrum consensus facit certissimum argumentum loci theologici, quia in eo continetur traditio; sed traditio non continetur in uno, aut in pluribus Patribus, aliis vel silentibus, vel contradicentibus: ergo unius assertio facit probabile argumentum, plurium autem facit probabilius, sed in neutro locus theologicus continetur. Argumentum accipit robur ab Augustino, qui lib. 3. de peccatorum meritis cap. 7. quorundam veterum testimonium adducens, dicit: *Hæc non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica authoritate nitamur, sed ut appareat ab initio usque ad præsens tempus, quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiam fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis, qui Dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia refutanda, quam id tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur*.

II. Probatur. Sententiam unius aut alterius Patrum, aliis silentibus licet improbare, absque hæreseos nota: ergo non facit argumentum certum & infallibile. Antecedens est doctrina Augustini epist. 111. cujus verba retulimus supra. Unde in hoc casu præscribitur, quod Theologus perpendere habeat, quid senserint Patres antiquiores, & qui fuerunt Apostolis proximiores. Insuper debet etiam advertere quid Ecclesia, vel major pars Ecclesiæ docuerit, & docet. Non enim omnes Patres in omnibus fidei controversiis æqualis sunt authoritatis, quia Deus nonnullos ex illis elegit, ut præ aliis quasdam Orthodoxæ fidei veritates adversus Hæreticos defenderent. Hoc pacto elegit Athanasium contra Arium, Cyrillum Alexandrinum contra Nestorium, Augustinum contra Pelagium, Leonem Magnum contra Eutychetem, &c. Denique Ecclesia expresse probavit aliquorum Patrum scripta, utpote continentia fidem, quam Apostoli docuerunt, ut observat Jueninus, qui addit ejusmodi generis esse libros, quos Augustinus scripsit de prædestinatione & de gratia contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos.

Obstant I. Hæretici. Consensus Patrum non est quid divinum, sed quid huma-

num: ergo non poteft effe regula fidei infallibilis. II. Genuinus a verborum sensum Patrum affequi nemo potest: ergo illorum consensus non poteft effe certus. III. Justinus Martyr putavit opinionem Millenariorum non effe contra fidem: Et Augustinus lib. 7. de Baptismo circa intentionem requisitam in hoc Sacramento suam mentem manifeste non aperuit: ergo ex his Patribus nihil certi erui poteft. IV. Nullus Patrum in particulari est infallibilis: ergo neque omnes Patres conjunctim. Probatur consequentia, quia conjunctio ipsorum nullam dabit eorum scriptis certitudinem, atque virtutem. V. Si aliquam doctrinam omnes Patres docerent, & Ecclesia nihil de illa definiret, hujusmodi doctrinam negans, non esset hæreticus: ergo unanimis consensus Patrum non facit argumentum certum & infallibile. VI. Explicationes Patrum inter se differunt, aliæ enim sunt literales, aliæ mysticæ; & quidem exempli ratione, verba capitis 6. Joan. de sacra Eucharistia Augustinus intelligit mystice; alii autem ad literam de realitate explicant. VII. Multoties Ecclesia declaravit, non esse necessaria aliqua, quæ Patres docuerant, esse quidem necessaria ad salutem. Et quidem Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remissionibus cap. 24. docuit, de necessitate salutis debere parvulos post Baptismum sumere Eucharistiam, quod antiquitus servabat Ecclesia, & modo etiam Ecclesia Orientalis servat; hoc tamen Ecclesia nunquam credidit, nec modo observat. VIII. Hieronymus epist. 16. & lib. 2. Apolog. contra Ruffinum dubitavit, an anima a Deo infundatur immediate; & dubitavit etiam Augustinus; sed hoc ab Ecclesia non est receptum: ergo &c. IX. Patres si essent infallibiles, vel essent Prophetæ, vel Scriptores Canonici; atqui tales non sunt: ergo non sunt infallibiles. X Unanimis est Patrum doctrina, quod mortui non sunt vexandi; sed V. Synodus Generalis proscripsit Theodorum mortuum: ergo contrarius est consensus Patrum Ecclesiæ doctrinæ: vel una ergo, vel alter, non est infallibilis.

Respondemus ad I. Quod etiam dicta Prophetarum sunt quid humanum, & nihilominus habent suam infallibilitatem propter suam adsistentiam Spiritus Sancti, qui per ora eorum loquitur, & secundum hanc rationem sunt potius quid divinum; Unde & dicta Prophetarum, sunt quid humanum materialiter & secundum literam, formaliter vero, & secundum veritatem, & unanimitatem sensus, sunt quid divinum, adeoque non mirum si infallibilitatis notam habent.

Ad II. Negatur antecedens, quia si Patres aliquando obscure loquuntur, ex aliorum verborum contextu, sensus verborum, qui obscurus videtur, clare percipitur, vel ex aliis congruentiis, quæ ipsorum verba consequuntur, mens eorundem non obscure manifestatur, ut mox dicemus in adducendo regulas, quæ in Patrum lectione servandæ sunt.

Ad III. Aliqui dicunt, quod si quæ sunt in operibus verba, quæ proponit objectio, illa inseruerunt Hæretici. Alii vero dicunt quod Justinus intelligendus est de illis, qui Millenariorum errorem sectabantur, quorum non paucus erat numerus; Alii vero rectius dicunt, quod Justinus, est unus Pater, & non facit Patrum unanimem consensum, de quo nos loquimur. Et sic etiam respondetur ad Augustinum, vel ad alios consimiles Patres, qui peculiarem aliquam sententiam propugnarunt. Cæterum Augustinus de re illa dubium se dixit, & velle se Ecclesiæ declarationem, vel definitionem expectare, ut suam sententiam tuto proferret.

Ad IV. Negatur consequentia, & ejus pariter probatio. Et ratio negationis est, quia quod Deus promisit pluribus, non promisit uni, aut alteri; nec sua Providentia, quæ ad omnes extendebatur, ne errarent uni, aut alteri hærebat, ne pariter erraret. Profecto si argumentum valeret nec etiam Episcopi in Conciliis congregati donum infallibilitatis haberent, quia unus, aut alter Episcopus non habet, quod nemo asseret, qui sit sanæ mentis homo.

Ad V. Non esset hæreticus formaliter, conceditur; non esset hæreticus materialiter, negatur. Ratio est, quia jam contineret errorem, qui esset doctrina contraria unanimi doctrinæ Patrum; error autem non esset hæresis, quia ut sit hæresis debet præcedere definitio Ecclesiæ, quam supponit arguens non præcessisse.

Ad VI. Nos non loquimur de sensu alicujus, vel alterius Patris, sed de Patrum omnium consensu, qui non verificatur in doctrina unius, vel alterius ex Patribus. Re vera tamen Augustinus in innumeris aliis locis afferit realitatem præ-

sen-

fentiæ corporis Christi sub speciebus Eucharisticis; & hic est contextus, secundum quem nos dicimus, quod Patrum obscura verba debeant explicari. Verum & pro hoc quoque facient regulæ, quas nos subjiciemus servandas in Patrum lectione, & usu.

Ad VII. Argumentum tantum probat, quod unanimis consensus Patrum non sit fidei regula. Antequam Ecclesiæ definitio accedat; quod nos ultro fatemur. Augustinus loquitur de voto Eucharistiæ, quod quidem necessarium non est, nec esse potest in Infantibus, vel Pueris, ut satis Augustinus se ipsum explicat lib. 3. de peccatorum meritis, & remissionibus cap.4. verbis hisce: *Numquid etiam illud, quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam .... non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismi imbuuntur.* Unde ex Augustino subdit P.Boucat, Parvulus dum baptizatur corpus Christi sumit, saltem in fide & voto, non quidem ipsius sed Ecclesiæ. Et hoc pacto declarat Concilium Tridens. sess. 24. cap.4., ubi ait: *Nulla necessitate salutis, sed probabilem tantum ob causam, veteres parvulos, usu rationis carentes, ad communionem suscepisse.* Et eodem modo explicandus est Innocentius I. in suo Rescripto ad Patres Milevitanos, quod legitur inter Epistolas Augustini num. 45. Denique Ecclesiæ Orientalis praxis non officit, quia res est ad disciplinam pertinens.

Ad VIII. Semper eadem est responsio, quod scilicet sunt Patres particulares illi, qui adducuntur, & non est unanimis SS Patrum consensus, de quo nos loquimur. Hieronymus confutavit errorem Origenis, qui putabat, animas multis seculis ante sua corpora creari; sed nihil asseruit de illarum creatione quomodo fiat, sicut neque de hoc aliquid asseruit Augustinus.

Ad IX. Patres etsi non sint Prophetæ; possunt tamen a Deo inspirati scribere, & quod sic aliquando scribant nobis est signum illorum unanimitas.

Ad X. Patres, qui dicunt, mortuos non esse vexandos, loquuntur per indulgentiam & pietatem, non vero hoc statuunt pro regula fidei irrefragabili. Sic respondet P. Boucat, qui subdit: „ Nam ipse Au„ gustinus scribens ad Bonifacium, testa„ tur eos, qui in errore & peccato pertinaces defuncti sunt, etiam post mortem ad aliorum terrorem puniendos esse, eos scilicet sepulturæ honoribus, & suffragiis Ecclesiæ privando: porro Theodorus ante mortem suos non abdicaverat circa Incarnationem errores; Christum enim dicebat purum hominem, hinc jam jam in Concilio Ephesino proscriptus fuerat: quid mirum igitur, si in Synodo V. & ipse specialiter fuerit proscriptus? „

Deveniamus modo ad regulas, quæ observandæ sunt in Patrum lectione, & usu. Et pro his sequentes ponit P. Boucat: „ Prima est, quando res in sensu obvio explicari potest & litteraliter, sic debet explicari teste ipso Augustino. Secunda, cum sensus apparet in omnibus metaphoricus, ut quando Christus dicitur Petra: tunc ad sensum metaphoricum solummodo attendendum est. Tertia, cum Patres vulgo explicant scripturam in sensu naturali, & obvio, alius non est quærendus: sic omnes explicant caput sextum Joannis de veritate, & realitate corporis Christi in Eucharistia, quia tamen scriptura multos subit sensus, potuit, litterali supposito, Augustinus mystice præfatum caput explicare. Quarta, quando brevi sermone Patres explicant sententiam: tunc sensus litteralis est; namque parabolicus fusiori stylo delineatur. Quinta, cum oratio parit admirationem, argumentum est parabolam exprimi, v.g. cum Beniamin dicitur Lupus rapax. Quædam etiam adscribuntur regulæ ad dignoscendum, num dicta Patrum fidem spectent. Una quidem est, dum contrarium suæ doctrinæ asserentes velut Hæreticos perstringunt, sic qualificat Hieronymus Vigilantium adversus cultum & invocationem Sanctorum Debacchantem. Altera, cum eorum verba fidei professionem continent, & explicant, puta quando dicunt: *Credimus, sic docuit Christus, sic tenet Ecclesia*. Hujus naturæ erant verba Sacerdotis, qui olim in Missa versus Populum clamabat ad sacram Synaxim accedentibus: *Corpus Christi*. Et respondebant Fideles: *Amen*. Tertia, cum catecheses scribunt, & componunt; eo enim solum scopo instituitur Catechismus, ut fides explicetur. „

Juveninus alias assignat regulas observandas, quarum prima est, quod si aliquis ex Patribus docuerit quod deinde Ecclesia reje-

rejecis impugnandus eſt error, & non Pater, immo a Patre venia eſt petenda. Sic fecit Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 2. Rebaptizantium errorem confutans, ſed Cyprianum laudans & excuſans. Secundo, ne quis Pater temere erroris accuſetur, immo quantum fieri poteſt, vel per contextum, vel alio modo explicetur, & excuſetur. Tertia majorum Patrum pars ſemper eſt præferenda minori, niſi pro minori ſtet aliqua Eccleſiæ definitio. Quarta mitius agendum eſt cum Patribus, qui ante exortas hæreſes ſcripſerunt, quia tunc de illis ſuſpicionem habere non poterant. Quinta aliquando Patres impugnando Hæreticorum errores viſi ſunt in partem oppoſitam deflectere, in qua etiam erat error, & tunc excuſandi ſunt, & lenius, quantum fieri poteſt, excuſandi. Sic dicitur de quibuſdam Patribus, qui impugnando Neſtorium, viſi ſunt Eutychem accedere, & de aliis qui impugnando Pelagianos, viſi ſunt Prædeſtinatianis favere. In qua quidem re, & cautela, & modeſtia, & reverentia non mediocris neceſſaria eſt ſcribentibus.

DISSERTATIO CCXCIV.

De Scholaſticorum authoritate. An Scholaſtica Theologia utilis ſit Eccleſiæ, vel pernicioſa? An Theologo Chriſtiano inſerviat, vel ſufficiat? Et an ipſi ſint adſcribenda vitia Profeſſorum ejus, qui ipſius nomine abutuntur? Veri autem ejus Profeſſores quomodo concurrant ad locum theologicum coſtituendum?

Mirum eſt, qua Recentiores plures noſtrorum temporum, qui eruditi appellari volunt, ardeant invidia in Scholaſticam facultatem, & in illos, qui eam ex munere profitentur; peſſim Scommatibus & Contumeliis afficientes illorum ſcholas, & quod intolerabile in ipſorum dicteriis videtur, illorum doctrinam proclamantes, uti Eccleſiæ inutilem, & Catholicæ fidei pernicioſam. At magis deinde mirum eſt, ſi legentes, quid ipſi per Scholaſticam ſe intelligere aſſerunt, comperimus, eſſe facultatem, quam ſibi pro arbitrio fingunt, & quam minime profitentes, Scholaſticam ſectentur, ſed illi eam ſic turpiter depingunt, ut liberius contra eandem debaccentur. Optaremus nos tamen, ut ipſi aliquando ſcirent, quem ſequantur Ducem in judicio. quod de hac ideeli Scholaſtice faciunt, & cujus loquendi, ſcribendique licentiam imitentur. Quod ſi adverterent, & vere eſſent, ut ab omnibus haberi volunt, Eruditi, & non tantum noſtrarum, verum quoque exoticarum literarum periti, ſcirent profecto in Scholaſticam, & in Profeſſores ejus odium infenſiſſimum primo in Vvicleſi operibus apparuiſſe, & deinde in Lutheri libris, qui tam impii Magiſtri perverſior fuit diſcipulus.

Lutherus igitur in libro, quem ſcripſit adverſus Jacobum Latomum, aſſeruit Theologiam Scholaſticam nil aliud eſſe, quam ignorantiam veritatis, & illam inanem falleciam, quam Apoſtolus ad Coloſſ. 2. præcavendam eſſe, præcipiebat. Inſuper in lib. de abrogenda miſſa privata dicit, Academias Scholaſticorum eſſe lupanaria Antichriſti. Poſt Lutherum Philippus Melanchthon, ejus Auditor, ſcripſit in Apologia contra Pariſienſes, prophanam Scholaſticam natam eſſe Lutetiæ, & illa exorta, Evangelium eſt obſcuratum, ac fides extincta. Hujus deinde exemplum Lutherani omnes imitati ſunt, Scholaſticam aſpernantes, & Profeſſores ejus ſibilis & maledictis proſcindentes. Unde ſcribere habuit, & pariter conqueri, juſte quidem & veridice, Melchior Canus de locis theologicis lib.8. cap.1. „ Breviter, „ Lutherani omnes ad unam Scholæ noſtræ

„ stræ auctoritatem & mirifice contemnunt, & inimice insectantur. Atque hinc fortasse tanquam ex primo fonte, reliquæ istorum hæreses derivatæ sunt. Principio namque quod erat facile, Scholæ Auctoribus contemptis, Scholæ quoque judicia contempserunt. His neglectis, mox necesse erat, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Basilius, negligerentur, quos Theologi recentes dogmatum suorum auctores habebant. At antiquis sanctis posthabitis, despectui quoque habita sunt eorum Concilia. Unde consecutum est, ut & libros quosdam Canonicos, & Ecclesiasticam auctoritatem Lutherani concinderent. Adeo verum illud est, qui minima negligit, paulatim desluit. Absit invidia verbo. Nec enim minima Scholæ auctoritas esse potest quam parvi facere nemo sine fidei discrimine potest. Connexæ quippe sunt, ac fuere semper, post natam Scholam, Scholæ contemptio, & hæresum pestes. „

At nostris temporibus videmus quoque in Italia, & præcipue Neapoli, viros alioqui Catholicos, de Christi Religione bene sentientes, & de literarum Republica optime meritos, inter se disceptare de Scholasticæ utilitate vel pernicie, de ejusdem usu vel abusu, de ejusdem denique vel servanda methodo procedendi, vel corrigenda. In quo quidem certamine celebres Neapoli se reddiderunt Joannes Baptista de Benedictis, Societatis Jesu, Theologus ac Orator omni ex parte laudabilis, sub nomine Benedicti Alerini, in suis Epistolis Apologeticis, ex una parte; Et ex altera D. Constantinus Grimaldi, Sacri Neapolitani Senatus a Consiliis, & omni literarum genere ornatissimus, in suis ad præfatas Epistolas apologeticas Responsis. Verum quis possit non immerito desiderare, ut prius convenirent in eo, quod Scholasticæ nomine intelligunt, & deinde ad pugnam descenderent. Quod, quum non fecisse alteruter visus fuerit, non pauci dixerunt, rem semper remansisse infectam, & litem non adhuc decisam. Quod enim Grimaldi dicit, sub nomine Scholasticæ se intelligere, nec Aletinus, nec cæteri veri Scholastici, admittunt; immo potius dicunt, Scholasticam, quam Adversarius impugnat, esse gratis ab eo fictam, ut facilius eam evertat. Secundo vellemus, ut inter seipsos convenirent, aliud esse Scholasticam ad nihil inservire, aliud esse illam Catholico-theologo non sufficere. Tertio denique optaremus quoque, ut secernerentur vitia, quæ uni aut alteri ex Scholasticis tribuuntur, ab iis, quæ Scholasticæ facultati tribuunt, & vere eidem non sunt tribuenda. Quod facturos, sub Omnipotentis Dei præsidio, nos in subsequenti Conclusione confidimus.

Dicimus I. Veram Theologiam Scholasticam non esse Ecclesiæ perniciosam, sed utilem; Catholico-theologo non esse inutilem, sed nec esse sufficientem; non esse denique accusandam nec vitiis nec defectibus, quibus unus aut alter ex eam profitentibus, vere ac juste accusantur.

Prima Conclusionis pars probatur I. Illa dici debet vera Theologia Scholastica, quæ ab Ecclesia dicitur a primis suis Institutoribus inventa, introducta & propagata; sed quæ ab Ecclesia dicitur a primis suis Institutoribus inventa, introducta, & propagata, non est Ecclesiæ perniciosa, sed utilis: ergo vera Theologia Scholastica non est Ecclesiæ perniciosa, sed utilis. De majori propositione nemini dubium esse debet; hæc enim nomine Theologiæ Scholasticæ intelligenda est, quam intelligit Ecclesia, & quam primi ejus Authores intellexerunt, non vero alia, quam nos pro arbitrio fingimus, quia forsan videmus abusum, quem de ea unus, aut alter ex Scholasticis immerito facit. Minor probatur. Ecclesia in officio S. Augustini lect. 3. secundi Nocturni, hoc pacto delineat Theologiam Scholasticam, cujus dicit Augustinum fuisse vel Authorem, vel Propagatorem: *Tam multa pie, subtiliter, & copiose scripsit, ut Christianam doctrinam maxime illustrarit. Quem in primis secuti sunt, qui postea Theologicam disciplinam via & ratione tradiderunt.* Quibus verbis importatur, in Theologia Scholastica duo esse, methodum scilicet, quæ per viam exprimitur, & rationem. Eadem Ecclesia in Officio S. Anselmi in 3. lect. secundi Nocturni his pariter verbis Scholasticam Theologiam depingit: *Famam non solum miraculorum & sanctitatis (præcipue ob insignem devotionem erga Domini nostri Passionem, & B. Virginem ejus Matrem) assecutus, sed etiam doctrina, quam ad defensionem Christianæ Religionis, animarum profectum, & omnium Theologorum, qui sacras litteras scholastica methodo tradiderunt, normam cælitus hausisse ex ejus libris omnibus apparet.* Ex quibus verbis deducitur Theo-

Theologiam Scholasticam esse Dei, vel de Deo scientiam, quæ sub nomine Theologiæ continetur, ratione, & methodo pertractatam; Sed hæc est Ecclesiæ utilis, non perniciosa: ergo &c. Scimus, Breviarium Romanum non esse divinæ, sed humanæ authoritatis in iis, quæ facta respiciunt particularia; at in reddenda ratione super doctrina Sanctorum, quorum exhibet gesta, nemo negabit, majorem habere authoritatem, quam quilibet alius vel particularis vel privatus homo habeat. Unde expressæ huic notioni de Theologia Scholastica in Breviario Romano æquius nos judicamus subscribendum ab omnibus fore; quam alteri explicationi cujuslibet sit scribentis, qui eam pro suo libito repræsentat.

II. Probatur. Vera Theologia Scholastica est, quæ a Scriptoribus minime suspectis describitur, & explicatur, & quorum explicatio ab utraque parte contendentium admittenda est; sed prout eam describunt, ac explicant, Scriptores hujusemodi, non est illa Ecclesiæ perniciosa, sed utilis: ergo vera Theologia Scholastica non est Ecclesiæ perniciosa, sed utilis. Major negari non debet. Et quidem Melchior Canus est Scriptor, quem sæpe sæpius pro se laudant, qui Scholasticam non commendant, & cujus judicio etiam stant illi, qui eadem utuntur. Igitur hic Scriptor cit. loc. cap. 2. hæc de Scholastica Theologia asserit: „ Theologiæ Scholasticæ proprium munus, quantum & a Majoribus accepimus, & hujus facultatis alumni quotidianis fere congressibus experimur, illud primum est, ut quæ in sacris litteris, & Apostolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucem quasi e tenebris eruantur. Colligit enim Theologus ex principiis fidei a Deo revelatis conclusiones suas, atque in principiis ipsis implicitas per argumentationem naturæ consentaneam explicat. Quemadmodum enim Musica facultas ex iis, quæ sunt in Arythmetica posita, ea ratiocinando connectit, quæ sunt in numeris sunantibus aut consona, aut dissona: ita Scholæ Theologia ex his, quæ fides posuit, ea, quæ sunt consequentia, naturæ ratione conficit de Deo, rebusque divinis. Quod si Astrologia, Musica, perspiciendi facultas, atque aliæ id genus disciplinæ, tametsi ex alienis facultatibus quasi mendicæ, sed habentur in pretio tamen, tanquam utiles & necessariæ; quisnam iste malus genius est, Scholasticam disciplinam profligare velle, quæ non ex Arythmetica, non ex Geometria, non ex Physica, sed ex sacris divinisque literis & institutis docet, quid consequens sit, quid contra repugnans? Nec vero audiendi sunt qui Scholasticas quæstiones, ut curiosas reprehendunt, & Scholæ temeritatem insimulant, quod de rebus longe semotis a captu nostro audeat pronunciare, & tam multa definire, quæ citra salutis dispendium vel ignorari poterant, vel in ambiguo relinqui. Hujus generis exempla ponunt: Quid discernat Patrem a Filio, quid ab utroque Spiritum Sanctum? Quid intersit inter filii nativitatem, & Spiritus processionem? Utrum Spiritus Sancti a Patre & Filio proficiscentis unicum sit principium, an duo? Ita censent id præclari & magni Theologi esse, nihil ultra quam sacris literis proditum est, definire; hoc est Theologiæ principiis hærere, mentem a consequentibus & repugnantibus revocare. Quorum sententia quid sibi velit non intelligo. Potest enim quicquam esse absurdius, quam sola disciplinæ principia habere definita, conclusiones vero, quæ certo atque evidenti syllogismo ex illis conficiuntur, aut ignorare velle, aut in ambiguo relinqui? Quod si in Gemetria, Physica, Astrologiave, quisquam assereret, vere & jure stultissimus haberetur. Sed de his hactenus. Non libet enim mihi rem exploratam suadere; quod multi, & hi docti sæpe fecerunt. „

III. Probatur. Veram Theologiam Scholasticam præfiguraverunt antiquiores Patres, qui Apostolorum temporibus fuerunt proximiores; sed illa non fuit perniciosa Ecclesiæ, at utilis: ergo vera Theologia Scholastica utilis est Ecclesiæ, non perniciosa. Probatur major. Testatur Hieronymus in lib. de Script. Eccles. quod Quadratus, Apostolorum discipulus, & Atheniensis Episcopus, obtulit Imperatori Hadriano librum in nostræ Religionis defensionem; qui quidem liber non fuit ex Scriptura contextus, quia illam nec agnoscebat, nec admittebat Imperator; nec ex Conciliorum vel Patrum dictis, qui vel non fuerant adhuc in Ecclesia, vel ab Imperatore non recipiebantur: ergo ex rationibus tantum, vel ex Philosophorum sententiis; quemadmodum idem Hieronymus in eodem

dem loco affert Aristidem Philosophum, virum eloquentissimum, qui eidem Principi Apologeticum pro Christianis obtulit contextum Philosophorum sententiis. Post quos addit & Justinum Philosophum & Martyrem, qui Antonino Pio, & filiis ejus, atque etiam Senatui obtulit librum contra Gentiles, in quo Philosophorum doctrina impugnata, Philosophiam Crucis intrepide propalavit. In his omnibus non absque ratione diximus fuisse Scholasticam Theologiam præfiguratam; quia etsi hæc constet ex ratione & methodo, ut vidimus in Enchomio Augustini & Anselmi, Patres tamen illi, quia de Deo loquebantur per naturales rationes quamvis non loquerentur per methodum, inde est quod Theologiam Scholasticam non constituerunt, nec efformarunt, sed tantummodo præfigurarunt.

IV. Probatur. Quæ confringit Ecclesiæ hostes, non est perniciosa Ecclesiæ, sed utilis; sed Theologia Scholastica perimit ac disperdit Ecclesiæ hostes, hoc est Hæreticos: Ergo non est Ecclesiæ perniciosa, sed utilis. Minor primo probatur ex odio inimicorum in illam, ut vidimus in Luthero & Melanchthone. Secundo vero ex confessione illorum ex nostris, qui fatentibus ipsismet adversariis, fuerunt Scholastici veri & sinceri, non vero depravati & corrupti. Sic igitur ait Melchior Canus loco citato:

„ Habet rursum hæc differendi in Schola
„ facultas alium propositum scopum, fidei
„ nostræ adversus hæreticos defendendæ.
„ Est quippe Doctoris Scholastici, ut Ma-
„ gister sententiarum in proœmio ex Au-
„ gustino tradit; scire, quemadmodum fides
„ Catholica & piis opituletur, & adversus
„ impios defendatur. Quod si Scholæ Do-
„ ctor non posset docere Fideles doctrinam
„ sanam, & eos, qui sanam non habent re-
„ darguere, apud Vulgus Theologus esse
„ aliquando poterit, revera erit. Atque ob
„ eam causam Scholasticorum disputatio-
„ nibus adeo sunt Hæretici infensi, quod
„ intelligunt, Catholicam fidem, quam
„ expugnare moliuntur, horum studio do-
„ ctrinaque muniri. Agnoscunt sane lupi
„ canes, eosque odio prosequuntur: &
„ Scholæ nomen istis invisum est, quæ
„ lupos arcet a gregibus, & eorum insidias
„ porro cavet. Atque in hoc genere nihil
„ est quidem admirandum: illorum autem
„ hominum genus mirari non desino, qui
„ cum Catholici & habeantur, & sint, his
„ plausus tamen excitare solent, qui ne-
„ sciunt juventutem ad linguarum studium
„ adhortari, nisi prius Theologos Schola-
„ sticos maledictis figant, totisque conci-
„ dant voluminibus. At suavissime male-
„ dicunt. Venenum animi linguæ mella
„ tegunt, eoque perniciosius paratum,
„ quo suavius ebibitum. At sunt morosi
„ & prolixi Scholastici Theologi, si quæri-
„ mus, anxie etiam superstitiosi. Sed hæc,
„ ut dixi, morum vitia sunt, non scholæ.
„ At morositas tamen, & ea vitia, quæ
„ Theologis, habent aliquid excusationis,
„ vel justæ, vel quæ probari posse videa-
„ tur. Nam de rebus multis & variis non
„ solum in genere sed singulatim etiam
„ disserentes, non potuerunt hæc brevi
„ oratione conficere. Hinc autem my-
„ riades articulorum, quas isti reprehen-
„ dunt, quæ si essent adagiorum, non re-
„ prehenderent, sed suspicerent. Accedit,
„ quod perspicuitas non solet esse conjun-
„ cta brevitati; Obscuri nanque fiunt, qui
„ breves esse laborant. Ita perspicui Theo-
„ logi esse cupientes, longiores aliquanto
„ fuere. Adde, quod res difficiles & ob-
„ scuræ, quas plurimas Theologi edisse-
„ runt, paucis explicari non queunt. Ru-
„ dibus quoque & imperitis Schola sese
„ attemperat, atque adeo plura & quærit,
„ & definit, quæ doctis hominibus, iis
„ etiam, qui ingenio multum valent, su-
„ pervacanea videntur. Scholastico demum
„ more in utranque partem Theologi dis-
„ serentes, necesse est, ut quæcunque
„ docent, longiore ea sermone comple-
„ ctantur. Anxia vero superstitio, quæ
„ dicitur, religio est, non superstitio.
„ Nempe non licet apud nos susque deque
„ omnia ferri, sed Scholæ norma decreto-
„ que universos, qui aut disputare, aut
„ scribere de re Theologica velint, certis
„ oportet limitibus ac præscriptis lineis
„ contineri. Hinc illæ lachrymæ. Illis
„ libertas placet, imo vero licentia discendi,
„ scribendique: nos cum de rebus theolo-
„ gicis disputamus, licentiam omnem
„ & temeritatem perhorrescimus. Sed
„ totum hoc Scholasticum differendi ge-
„ nus Spinosum est: & pes spinis confixus,
„ gressum deinde figere non valet. Scilicet
„ tenerrimi istorum pedes sunt: & quos
„ errores non pungunt, pungit disciplina.
„ Quam ut ante dicere cœperam, ob id
„ odio isti prosequuntur, quod ars est, quæ
„ doceat tum propugnare fidem, tum
„ hæreses expugnare. Id quoniam postre-
„ mo libro sumus suse ac diligenter expli-

„ catuti_, breviter & sine disceptatione „ modo ponendum est. Nec enim decet „ omnia eodem loco demonstrare. „

V. Probatur. Si quod in Scholasticam Theologicam odium conceperunt plerique, ea de caussa fuit, quia illam maxime cum Peripatetica Philosophia, cui non leviter adversabantur, consociatam viderunt; sed non est de essentia Scholasticæ, ut cum Peripatetica Philosophia copuletur, consocietur, ac confundatur; ergo nequit esse caussa Theologiam Scholasticam despiciendi in Aristotilem, vel in ejus Philosophiam, despectus. Major est certa apud illos præsertim veri & æqui æstimatores, qui egre quidem ferunt, commuuem caussam fieri Scholasticam Theologiam & Peripateticam Philosophiam. Minor vero probatur. Multi, qui in Aristotelis verba non jurant, Theologiam docent methodo & ratione, prout ad veram Scholasticam requiritur: ergo potest haberi vera scholastica absque Peripateticæ Philosophiæ consociatione.

VI. Probatur. Despiciunt insuper non pauci Scholasticam Theologiam, vel quia barbaris verbis utitur, non pure latinis; vel quia inutilibus quæstionibus abundat;& præcipue hypoteticis,quæ ad nihil valent; vel quia Scripturas non curat, & Patres non laudat; vel denique quia illa forma syllogistica utitur,quam Aristoteles in Scholam invexit; sed nullum ex his debet esse prudens motivum, veram Scholasticam despiciendi & contemnendi,tanquam Ecclesiæ non utilem, sed perniciosam: ergo &c. Probatur minor. Si veri sunt hi errores, vel sunt potius in corruptione scholasticæ Theologiæ, seu in Scholastica Theologia corrupta, quam in illa, quæ est vera; vel sunt insuper potius in illis, qui ea abutuntur, & eandem pessime tractant, quam in illa ipsa; vel denique sunt eo modo, quo sunt in cæteris profitentibus alias facultates,quæ tamen ex defectibus & vitiis illorum nihil to se contrahunt deformitatis & injuriæ. Hoc totum simul explicatur & probatur.Primo Theologia Scholastica,ut in se est, præscindit a verbis Latinis & barbaris, a stylo composito & incompto,a phrasi eleganti & ineleganti; quia utrisque modis pertractari potest. Et si qui sunt, qui ea barbare tractant, defectus est illorum, qui profitentur illam,non ipsius,qua in illi pessime profitentur.Secundo quæstiones inutiles, & hypoteticæ non sunt de essentia Theologiæ Scholasticæ, sed eas tractant, qui volunt, & qui nolunt, omittunt. Tertio, verum est quod raro in Theologia Scholastica Scripturæ & Patres laudantur,sed non despiciuntur; immo in ea veneratione habentur, ut si quæ ipsorum dicta objiciantur, cum reverentia simul recipiantur, & explicentur; ipsorum testimoniis non utitur frequenter, quia ejus institutum in rationibus consistit, & aliquando etiam in Philosophorum, non autem solius Aristotelis, sententiis & dictis. Quarto forma syllogistica non adeo est propria Peripateticæ Schulæ, ut alii non possint eadem uti absque eo quod Aristoteli nomen date teneantur. Sicut enim Logices non fuit Aristoteles primus Inventor, sed Zeno Eleates, ut pluribus placet, vel ut alii sentiunt, Socrates, qui Platonem docuit, qui Aristotelis fuit Magister; sic pariter nec omnia, quæ in Logica continentur, ad Aristotelem referri debent. Quinto demum etiam Jurisprudentia barbarismis scatet, quæstiones inutiles & hypoteticas proponit, præsertim in materiis de Testamentis, de Legatis, & de Substitutionibus; Insuper novos Authores complectitur, qui decisionibus & consultationibus res potius implicant quam explicent; & non est unus, aut alter, qui Jurisprudentiæ fontes, qui sunt Textus, accedat: Et nihilominus quis unquam hæc omnia vitio vertit juris prudentiæ & non potius illis, qui ea abutuntur, & eandem pessime tractant? Sicut igitur sunt imputanda Leguleis forensibus vitia, quæ Jurisprudentiæ non sunt, & eidem tribuuntur; ita pariter Scholasticis vulgaribus tribui debent defectus, qui non sunt veræ Scholasticæ, sed illi tantummodo tribuuntur.

Secunda Conclusionis pars probatur. I. Nos dividimus Theologiam in Positivam,Polemicam vel Dogmaticam, & Methodicam seu Scholasticam, Positiva est Scripturalis Theologia, quæ in Verbo Dei exponendo occupatur, & ab eo, quod exponat, dicitur positiva. Dogmatica vel Polemica consistit in veritatibus fidei propugnandis, & in erroribus, qui sunt ipsis contrarii, confutandis. Si veritatem defendat, dicitur Dogmatica; si errores impugnat, dicitur Polemica. Tertia denique dicitur Methodica, vel Scholastica, quæ consistit in methodo docendi, ratione cujus dicitur methodica,

ca, & in rationibus naturalibus, sive theologicis, & denique in Philosophorum sententiis, quæ quidem omnia, quia pertractantur in Scholis, dicitur scholastica. Primam & secundam Theologiam Sancti Patres in usu habuerunt, ut legere est in Augustino, Hieronymo, Nazianzeno, Athanasio &c. Tertiam vero tractarunt Scholastici Doctores, qui Patrum sunt successores, ut ait Melchior Canus citato loco: „ Tres itaque „ fines veræ Theologiæ constituendi sunt. „ Nec enim tantum de Scholastica, sed de „ omni omnino Theologia disputo. Luthe- „ ranorum autem hæresis si sibi consenta- „ nea esse velit, de Scholæ instituto nihil „ queat dicere, in qua nunquam se exer- „ cuisse vel ipsa fatetur. Nemo autem au- „ diendus est, qui de ea re, quam nec „ usu, nec ratione habet cognitam, dispu- „ tabit. Quod si tria illa veræ Theologiæ „ sunt communia, ea vero Schola omni- „ no præstat, certe in his perniciosus est „ error, qui Scholam negligendam esse „ existimant. Hæc est enim vera Theo- „ logia, in qua omnia insunt, quæ sunt „ in Theologo requirenda, scientia Dei, „ cœlestium rerum cognitio, humanarum „ prudentia & usus: Ut cum hæc adsint, „ perfecta Doctoris christiani disciplina „ fit, & sine his esse non possit. Quod „ cum optimum maximumque sit, si id „ volumus adipisci, Theologiæ Schola- „ sticæ opera danda est, sine qua nullam „ omnino perfectam in Ecclesia doctrinam „ consequi possumus. Ea vero neglecta, „ qui se Theologos esse arbitrantur, tum „ se denique errasse sentient, cum eos aut „ disputatio cum Hæreticis, aut gravia ali- „ quis & perplexus conscientiæ casus ex- „ periri coget. Nec vero quisquam Scri- „ pturæ Sanctæ studiosus veteri debet, ne „ ex Scholæ studio, sacrarum literarum „ studium retardetur. Nam & ad hunc „ fructum ferendum non modo non retar- „ dat, verum etiam invitat atque allectat „ Schola. Nosque ipsi quidquid ad sacras „ litteras attulimus, si modo aliquid attu- „ limus, a Doctoribus, atque doctrina „ Scholastica instructi ad eas & ornati ac- „ cessimus. Sed jam tempus est, ut docea- „ mus, quod est nobis hoc loco præci- „ puum institutum, an Scholasticorum „ auctoritas firma argumenta Theologo „ præstet, an infirma„. Ex quibus infertur, non sufficere Christiano catholico Theologiam Methodicam & Scholasticam, sed etiam necessariam esse Positivam atque Dogmaticam sive Polemicam, si velit numeris omnibus absolutus Theologus esse. Quo enim pacto poterit vere Theologus dici, qui nec libros Scripturarum legit, qui vetus aut novum Testamentum nunquam a limine salutavit, qui nec numerum tenet Epistolarum, quas Apostoli scripserunt? Qui Patres nunquam oculis usurpavit, qui Concilia non novit, & Pontificum definitiones omnino ignorat?

II. Probatur experientia. Comperimus, illos, qui Dogmatici, & Polemici haberi volunt, & Scolasticæ vel Methodicæ sunt imperiti, si de divinis rebus loquantur, in multas incidere hallucinationes, & multa etiam proferre, quæ in Sana Theologia stare non possunt. Nesciunt loquendi modos de Trinitate, de Incarnatione, de Scientia, & voluntate Dei, de hominum Prædestinatione & reprobatione, de Gratia, de Peccato originali, & de his similibus; & ideo non mirum, si propositiones aliquando proferunt, quæ formaliter non sunt hæreticæ, quia in illis pertinaciam non habent; Sunt tamen materialiter, quia a vera fide sunt alienæ. Igitur Methodica, sive Scholastica Theologia, est veluti libella quædam, qua utimur ad propositiones agnoscendas, an sint, vel ne secundum Ecclesiæ mentem, & nostræ sanctæ fidei rationem. Qui autem hanc regulam nunquam agnoverunt, atque adeo nec illa utuntur, facile est, ut errent, si loquantur, vel scribant, de fidei rebus: ergo & pro hoc Scholastica, vel Methodica Theologia, non solum non est inutilis, sed est etiam aliquo modo necessaria homini Catholico, qui velit vere Catholicus haberi Theologus.

Tertia denique Conclusionis pars probatur I. Multa sensim irrepunt vitia in illos, qui alias profitentur facultates, & quæ tamen facultatibus ipsis non tribuuntur: ergo nec Theologiæ Scholasticæ vel Methodicæ tribui debent vitia, si quæ sunt in illis, qui profitentur eandem. Antecedens patet, & in illis qui profitentur Jurisprudentiam, ut dictum est, & eam dehonestant, vel barbaro scribendi modo, vel controversiis inutilibus, vel inanibus, & contra Textuum mentem ratiunculis, & aliquando etiam sophismatibus. Patet in eloquentia, quam non pauci deturpant, vel figuris male appositis, vel metaphoris intolerabilibus, vel hyperbolibus audacissimis, vel tandem

dem dicendi genere ferreo, incompto, & impolyto. Patet denique, ut cætera omittamus, in Medicina, quam plerique infamant, vel quia nulla anatomes peritia sunt instructi; vel quia herbarum, mineralium, cœlestium influxum, nullam studuerunt acquirere cognitionem; vel quia denique hominum temperamenta cognoscere non curant, medicinalium virtutes nesciunt, & ea nihilominus absque intermissione perscribunt, absque hominum, eorundemque temperamentorum, distinctione, & delectu. Et non obstantibus his nemo ob profitentium vitia facultates has aspernatus est, nemo laceravit, nemo proscripsit, absque eo, quod faceret necessariam secretionem facultates inter & Professores; & insuper inter facultates, quæ sint puræ, legitimæ, & veræ, & inter illas, quæ sint corruptæ. Igitur hac eadem ratione procedi debere in Methodica & Scholastica Theologia, si nos dicamus, nemini aspersum, durum, ac impertinens, videri debebit.

II. Probatur. Hæc vitia Profitentium Methodicam & Scholasticam Theologiam, non sunt ita huic necessario connexa, ut sine illis comparari non possit, nec de ea quis valeat aut scribere, aut loqui. Quod exemplo patet tot illustrium Virorum, qui rem Scholasticam pertractarunt vere latine scribentes, & sine inutilium quæstionum anfractibus. Et denique Scripturarum, & Patrum authoritatem adhibentes in iis, in quibus necessaria putarunt. Igitur nemo jure potest dicere, quod defectus Professorum defectus sint facultatis. Et quamvis aliquando cogantur usurpare terminos illos; quos usus jam invexit, uti sunt formaliter & materialiter & radicaliter, Ecceitas, Petreitas, Animalitas, &c. actus primus, actus exercitus, actus signatus & alia hujuscemodi; neque per hoc aspernari vel despicere illos debemus, quia quibuslibet facultatibus est proprium terminos habere proprios, per quos intelligantur, quæ explicare intendunt absque verborum circuitu, quem adhibere deberemus, si terminis, aut vocabulis illis nollemus uti. Porro nemo contendit cuilibet arti, professioni, & facultati, sua propria usurpare vocabula, quæ si latina non sint, tolerantur tamen & permittuntur, ratione brevioris significationis, quam præseferunt in rebus seu conceptibus, quos aliter prolixo verborum circulo explicare teneremur. Et hoc quod nemo artibus, professionibus, & facultatibus cæteris, contendit, nec jure negatur Methodicæ & Scholasticæ Theologiæ; præsertim post tot secula, quibus longo usu, & majorum acceptatione, probata sunt, & in communem praxim deducta vocabula illa.

Arguunt I. Scholarum usus obtinuit, ut nihil in eis pertractetur, quod quæstionibus involutum non sit: ergo nihil certi ex Scholastica Theologia haberi potest, quod vel ad fidem, vel ad Ecclesiam inserviat: ergo si ad nihil inservit, utilis non est Scholastica vel Methodica Theologia. II. Hæc Scholastica, vel Methodica Theologia novum est hominum inventum, quod nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in Patribus, ullum habet fundamentum: ergo non est in Ecclesia tolerandum. III. Ex Scholastica Theologia plures natæ sunt hæreses, & præcipue ex illis, quas prioribus seculis evomerunt Arius, Macedonius, Nestorius, Euthyches, Pelagius, aliæque antiquæ pestes, & ex Recentioribus etiam Wiclefus, ac ejus socii & discipuli: ergo non solum non est utilis Ecclesiæ, sed est etiam perniciosa. IV. Theologi Scholastici pro Duce habent Aristotilem, non Christum, & pro regula illorum Metaphysicam illius, non autem hujus Evangelium; & proinde in uno & in altero Concilio Parisiensi, & etiam a Romano Pontifice Gregorio IX. prohibitum legimus, Peripateticam doctrinam in Christianorum Scholis edoceri. V. Tempus, quod consumitur in frivolis Scholasticæ argutiis addiscendis utiliori lucro impenderetur, si daretur Sacræ Scripturæ lectioni, Conciliorum studio, ac Patrum doctrinæ evolvendæ, & explicandæ exercitio: ergo per Scholasticam non meliori modo consulitur Ecclesiæ, sed pejori. VI. Sacræ Scripturæ damnant hujus mundi Philosophiam quam dicunt esse inanem fallaciam: ergo damnant pariter Scholasticam Theologiam, quæ tota mundi Philosophiæ, & inani fallaciæ innititur. VII. De multis possent agere, si vellent Scholastici & non agunt; nimirum de vita & Mysteriis Christi, de Ecclesiæ authoritate, de Conciliis, &c. ergo & prætermittunt agere de iis, de quibus pertractare deberent, & agunt de iis, de quibus melius foret non agere. VIII. Dicunt se nescire, quid sibi velint quæstiones illas impossibiles,

vi-

videlicet, si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, &c. si Adam non peccasset, &c. Si Verbum assumere potuisset animalis irrationalis naturam,&c. & alia hujusmodi; sed his technis scatet Scholastica: ergo inutilis omnino est.

Respondemus ad I. Multæ sunt Conclusiones, in quibus Scholastici omnes conveniunt, & est omnino falsum, quod objectio proponit, & plus etiam supponit, Scholasticam scilicet Theologiam esse rixosam, atque contentiosam, & in nullo inter Scholasticos pacifice conveniri. Quod quidem ex eo vel maxime patet, quod in unanimi Scholasticorum consensu ponunt Theologi locum Theologicum, ex quo possit argumentum deduci ad res fidei probandas vel explicandas. Si enim in omnibus & in singulis Scholastici disceptarent, non esset unquam unanimis consensus in illis, quem Theologi supponunt.

Ad II. Negatur quod Methodica, vel Scholastica Theologia nullum habeat fundamentum in Scripturis & Patribus. Paulus enim in epistolis suis rationibus passim utitur, testimonia etiam adhibet Philosophorum; ac denique verba quoque laudat Poetarum. In Patribus multæ inveniuntur rationes, plura Philosophorum dicta, quæ quidem exscribebant, & rationes, quas iidem Philosophi adhibebant, Patres vindicabant tanquam parimonium veræ fidei, nobis ab Ethnicis usurpatum. Quod afferebat Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum: *Atque erat quidem ante Domini adventum Philosophia Grecis necessaria ad justitiam: nunc autem est utilis ad Dei cultum & pietatem iis, qui fidem colligunt per demonstrationem. Quoniam pes, inquit, tuus non offenderit, si qua bona sunt ad Dei providentiam referas, sive Greca sint, sive nostra; omnium enim bonorum Deus est causa: sed aliorum quidem principaliter, ut Testamenti Veteris & Novi: aliorum autem per consequentiam, sicut Philosophia. Forte autem principaliter tunc & tam Grecis data fuit, priusquam Dominus Grecos quoque vocasset. Nam ipsa quoque Grecos Pedagogi more docebat, sicut Lex Hebræos ad Christum. Præparat ergo Philosophia, ei viam muniens. qui a Christo perficitur.* Afferit etiam Melchior Canus loco citat cap. 2.
„ Spectat denique ad Scholasticorum functionem, Christi Ecclesiæque doctrinam, quantum fieri potest, ex disciplinis humanis, aut illustrare, aut etiam confirmare. Nam quod Augustinus docuit, vasa argentea, & aurea, cæteramque Ægyptiorum supellectilem, etiamsi commodatam accceperimus, jure quasi nostram facere possumus, inque fidelium usus vendicare: & alienigenam mulierem, ut Hieronymus admonet, rasis crinibus, rejectisque superfluis, ad Dei populum introducere. Id quod, si quo decet temperamento, gravitateque fiat, nemo ut opinor, tam stultus futurus est, qui reprobet, nisi horum nihil unquam reputaverit. Discunt Theologi a David extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Discunt a Paulo vel inscriptionem fortuitam arte extorquere in argumentum fidei, & quæ in alium usum scripta sunt, ea ad emolumentum Ecclesiasticæ doctrinæ convertere. Discunt cum Daniele ac Moyse Chaldæorum, Ægyptiorumque sapientiam, si non ut sequantur, at ut indicent atque convincant. Nec æquum est, ut si adversum Philosophos disputant, ignorent dogmata Philosophorum: nam etsi quispiam adversus Mathematicos velit scribere imperitus Matheseos, risui patet. 37. d. capit. Qui de mensa. Possem persequi multa hujus rei argumenta: sed ea ipsa, quæ dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscet autem Lector. Nam & studio rerum nostrarum provectus sum,& scholæ est paulo loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. De his igitur hactenus. Egi enim secus, atque initio dixerim: & in loco presso atque angusto spatia dicendi videor quæsisse. Sed difficile erat rem, & ab alienis conscissam, & a quibusdam e nostris male tractatam, ne levi quidem ratione sarcire.„

Ad III. Clare videtur, quod Adversarius noster non est sibi constans. Objicit enim nobis ex una parte Scholasticæ Theologiæ novitatem, & ex altera asserit, Arium, Macedonium, Nestorium, Eutychetem, Pelagium, fuisse Scholasticos, quum hi prioribus seculis Ecclesiam infestaverint. Cæterum quid mirum, si ex Scholasticæ abusu natæ fine hæreses, quum etiam aliquando obortæ fuerint ex prava Scripturarum,& Patrum intelligentia. Sicut ergo Heretici illi, qui Scripturis & Patribus abutebantur, nullum proinde dedecus Scripturis & Patribus ingesserunt, ita & illi, qui Scholastica abusi sunt, pro suis erroribus efformandis & defendendis, nullum quoque

que Scholasticæ præjudicium intulerunt.

Ad IV. Non omnes Theologi Scholastici Ducem habent Aristotelem, quum plures ex illis Philosophica libertate fruantur. Et qui habent, illum sequuntur, non uti jacebat in Arabum lacunis, sed ab Angelico Doctore purgatum. Concilia autem, & Pontifices, ejus doctrinam interdixerunt, vel prout eam ipsemet Aristoteles tradiderat, vel prout ab Apellicone fuerat insipienter & inepte, suppleta, vel prout etiam eam Averroes, Avicenna, aliique Arabes, deturpaverant.

Ad V. Etiam quod objicitur in hoc V. Argumento, non est vitium Scholasticæ, sed Profitentium illam; & quidem non omnium; sunt enim qui veram Scholasticam profitentur, & Sacrarum literarum lectioni vacant, Patres evolvunt, Conciliorum, & Pontificum Decreta norunt. De illis autem, qui corruptam Scolasticam aliquando sequuti sunt, & qui proinde Sacræ Scripturæ, Patrum, Pontificum, & Conciliorum lectioni se nunquam dederunt, nobis non est propositum loquendi, multo minus eus excusandi, vel defendendi.

Ad VI. Utique Sacræ Scripturæ damnant inanem fallaciam, quæ habetur in Scholastica corrupta, adulterina, & a Profitentibus illam deformata admodum ac deturpata; non vero illam, quam veri Professores ipsius docuerunt; & quæ proinde est vera, sana & vivificans quod quidem experientia comprobat, & Hæreticorum, qui illam immenso odio persequuntur, & Catholicorum, qui veræ zelum habent fidei suæ, & illam summis laudibus extollunt.

Ad VII. De iis omnibus, quę argumentum proponit, agit lato quidem, & claro calamo, ut solet, Doctor Angelicus; cujus methodum si alii non imitantur, non vitium est Scholasticæ, sed illorum, qui ipsam modo indebito profitentur. Agit quoque Vasquez, agit Suarez, & nostris temporibus egit Hiacynthus Serry, Doctor Sorbonicus, & in Patavina Academia Professor, quem nos multoties vel impugnare, vel sequi, conati sumus.

Ad VIII. Etiam in illis quæstionibus impossibilibus, quas Adversarius proponit, multum utilitatis esse. Etenim in prima firmatur processio Spiritus Sancti a Filio, ut nos observavimus, & diximus in Tom. 1. diss. 129. In Incarnationis motivo pariter, quia per eam explicatur, & quidem firmiter & clare, exemptio & Præservatio Beatissimæ Virginis ab omni originali labe. Et in altera de Carne a Verbo assumibili firmatur magis, quod de facto adimpletum est in humana carne a Verbo assumpta; quia si potuisset assumere animalis irrationalis naturam, a fortiori potuit rationalis, uti illam de facto, assumpsit. Cæterum his omnibus, qui veram Theologiam Scholasticam minime agnoscunt, & eam incessanter aspernantur ac proscindunt, replicamus, quæ dixit Melchior Canus contra Lutherum & Socios ejus, qui pariter eandem Theologiam male habebant: „ Nec enim tantum de Scholastica, sed „ de omni omnino Theologia disputo. Lu„ theranorum autem hæresis, si sibi con„ sentanea esse velit, de Scholæ instituto „ nihil queat dicere, in qua nunquam se „ exercuisse vel ipsa fatetur. Nemo autem „ audiendus est, qui de ea re, quam nec „ usu, nec ratione habet cognitam, di„ sputabit. Quod si tria illa veræ Theolo„ giæ sunt communia, ea vero Schola „ omnia præstat, certe in his perniciosus „ est error, qui Scholam negligendam es„ se existimant. Hæc est enim vera Theo„ logia, in qua omnia insunt, quæ sunt „ in Theologo requirenda, Scientia Dei, „ Cœlestium rerum cognitio, humanarum „ prudentia & usus: Ut cum hæc adsint, „ perfecta Doctoris Christiani disciplina „ sit, & sine his esse non possit. Quod „ cum optimum maximumque sit, si id „ volumus adipisci, Theologiæ Schola„ sticæ opera danda est, sine qua nullam „ omnino perfectam in Ecclesiam doctri„ nam consequi possumus. Ea vero ne„ glecta, qui se Theologos esse arbitran„ tur, tum se denique errasse sentient, „ cum eos aut disputatio cum Hæreticis, „ aut gravis aliquis & perplexus conscien„ tiæ casus aperiri coget. Nec vero quis„ quam Scripturæ Sanctæ studiosus vereri „ debet, ne ex Scholæ studio sacrarum „ literarum studium retardetur. Nam & „ ad hunc fructum ferendum non modo „ non retardat, verum etiam invitat atque „ allectat Schola. Nusque ipsi quidquid „ ad sacras literas attulimus, si modo ali„ quid attulimus, a Doctoribus atque do„ ctrina Scholastica instructi ad eas & or„ nati accessimus. „ Si quæ autem sunt aliæ quæstiones impossibiles, vel hujusmodi, vel alterius, & pejoris generis, dicimus, eas veram Scholasticam & Methodicam

Theo-

Theologiam non agnoscere ut suas, sed ut progenitas ex nimia opinandi libidine, quæ fervet in mentibus illorum, qui suo nomine abutuntur, ut eam traducant; ac proinde respuere potius illas, ut alienas, quam ut suas recipere.

Dicimus II. Unanimem consensum Scholasticorum, qui veri sint Scholastici, non autem Pseudo-Scholastici, in materia fidei & morum, facere locum theologicum, ex quo deducatur magni roboris argumentum.

I. Probatur. Ecclesia nunquam reprobavit aliquod dogma, in quod omnes veri Scholastici convenerint: ergo consensus unanimis omnium verorum Scholasticorum facit locum theologicum, ex quo deducitur magni ponderis argumentum. Antecedens probatur. Hæreses omnes, quas damnavit Ecclesia, vel in suo capite residens, vel in Conciliis congregata, jam ab eo tempore, quo veri Scholastici apparuerunt, hi prius censura notarunt, ac damnabiles esse, judicarunt; unde postmodum Ecclesia eas damnavit: ergo Ecclesia nunquam reprobavit aliquod dogma, in quod omnes veri Scholastici convenerint, sed potius reprobavit illa dogmata, in quæ Scholastici non convenerunt.

II. Probatur. Multas opiniones proscriptas legimus ab Universitatibus Sorbonico-Parisiensi, Lovaniensi, Leodiensi, aliisque, in Catholica Ecclesia existentibus; sed hujusmodi Universitates constituunt Theologi, qui sunt veri Scholastici, non autem corrupti, vel adulterini, vel Pseudo Scholastici: ergo unanimis ipsorum consensus sicut sufficit ad reprobandum aliquod dogma, ita etiam valet, & satis est, ad aliud approbandum, quod vel ex eo maxime patet, quia multas propositiones, quas Universitates prædictæ censorio stygmate notarunt, Ecclesia postmodum, illarum falsitate perspecta, proscripsit, atque damnavit.

III. Probatur Conclusione & ratione, quas exponit & firmat multoties laudatus Melchior Canus lib. 8. de locis theologia cap. 4. „ Tertia Conclusio concordem „ omnium Theologorum Scholæ de fide „ aut moribus, sententiam contradicere, „ si hæresis non ast, at hæresi proximum „ est. Scholæ porro placita, si ita vocare „ libat, in duplici sunt differentia. Al„ tera ad Philosophiæ magis rationem ex„ pediunt, quam fidei: Altera ad fidem „ pertinent, moresque Christiano Popu„ lo necessarios. Quæ ab illis dissonant, „ ea Scholastico Theologo non sunt hæ„ retica: Quæ vero huic posteriorum re„ rum generi sunt adversa, ea nos hic „ tanquam venena refugimus. Nam iis hæ„ reseos crimen, ut quod sit ipsum per se „ atrocissimum, impingere aperte & sim„ pliciter non audemus. In quo equidem „ sæpe Theologorum requiro pruden„ tiam. Absurdum est enim ut crimen „ gravissimum, nisi rebus quoque gravis„ simis, impingatur. Sed ad rem illa con„ clusio, ut est a me posita primum osten„ ditur, quod nullum dogma reperietur, „ quod eadem mente oreque Scholastici „ omnes certo ac firmiter asseruerint quin „ idem in universum Ecclesia teneat, eo„ rum auctoritate mota. Nam si aliquod „ invenire Hæretici possunt, proferant, „ & tacebimus. Quod si nullum proferri „ potest, sine dubio velint, nolint, id, „ quod Scholæ totius auctoritate firma„ tur, verum est, si ad fidem, ut dixi, „ moresque pertineat. Adde, quod nul„ lum tam proprium Scholæ decretum „ est, quod vel ex sacris litteris, vel ex „ Apostolorum traditione, vel ex Conci„ liorum, aut Pontificum definitionibus „ non habeat certam originem. Ita qui „ Scholæ decreta refutarunt, hi semper „ inventi sunt & fontem, unde illa ma„ nant, repudiasse. Atque ut uno verbo „ dicam, nemo, qui in Catholicis habea„ tur, omnes sine discrimine Theologos „ explosit. Quod abunde satis magnum „ argumentum est, sine fidei discrimine „ hujusmodi Scholæ placita negari non „ posse. „

IV. Probatur. Quamvis Theologia Scholastica utplurimum sit rixosa, & contentiosa, & Profitentes eam quasi semper inter se digladientur & pugnent; attamen hoc verum est, quod si in uno dissconveniunt, conveniunt in multis, & unius articuli quæstionem suscipiunt, ut fortiantur in pluribus aliis concordiam. Quod quidem solemne fuit semper etiam apud primos Ecclesiæ Patres, immo & apud ipsum Paulum Apostolum, quos commemorat, & in testes adducit Hieronymus in Apolog. adversus Jovinianum: *Turpe tibi est hostem dolis ferire, non viribus. Quasi non & hæc ars summa pugnantium sit, alibi minari, alibi percutere. Legite, obsecro vos, Demosthenem, legite Tullium; ac ne forsitan Rhetores vobis displiceant, quorum artis est verisimilia magis quam vera dicere: legite Platonem,*

Theo-

Theophrastum, *Xenophontem*, *Aristotelem*, *& reliquos*, *qui de Socratis fonte manantes*, *diversis cucurrere rivulis: quid in illis apertum, quid simplex est? Quæ verba non sensuum? Qui sensus non victoria? Origenes*, *Methodius*, *Eusebius*, *Apollinaris multis versuum millibus scribunt adversus Celsum & Porphyrium. Considerate quibus argumentis, & quam publicis problematibus diaboli spiritu contexta subvertant? Et quia interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est, dicunt adversus ea, quæ dicunt Gentiles. Taceo de Latinis Scriptoribus*, *Tertulliano*, *Cypriano*, *Minutio*, *Victorino*, *Lactantio*, *Hilario*; *ne non tam me defendisse*, *quam alios videar accusasse. Paulum Apostolum proferam, quem quotiescumque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legite epistolas ejus, & maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est; & videbitis eum in testimoniis, quæ sumit de veteri Testamento, quam artifex, quam prudens, quam dissimulator sit ejus, quod agit.* Si qui autem opponant, fuisse Theologos aliquando illis similes, quos Canus describit cit. lib.8.c.1. „Intelligo autem fuisse in Schola quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolverint ..... Et cum in his Sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant ..... Scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur .... quos ego probare nec debeo, nec possum.„ De his Theologis candide quidem pronuntiamus, non fuisse illos, qui veram Scholasticam constituerunt, sed qui potius destruxerunt; non qui eam illustrarunt, sed qui deformarunt, non qui eam gloria & honore affecerunt, sed qui invidiæ & despectui exposuerunt. Horum profecto patrocinium non suscipimus, & ut omni studio contendimus quantum pro viribus licet, ab ipsorum vitiis nos abstinere, ita & eorum defectus ad piaculum usque ducimus vel defendere, vel excusare.

DISSERTATIO CCXCV.

De Historicorum & Utriusque Juris Peritorum authoritate. Quomodo constituant locum theologicum, & quodnam argumentum ex eo deduci possit? De ratione naturali, & theologica. Quinam sit earum usus in argumentis theologicis efformandis?

Historiam, sive prophanam, sive Ecclesiasticam Theologo perutilem esse, nemo negabit: tum quia etiam prophana confert ad Scripturarum intelligentiam, & ad Ecclesiasticorum monumentorum cognitionem, quod expresse docet Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 28. *Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur Historia, plurimum nos adjuvat ad Sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.* Ex Ecclesiastica vero discit Theologus, quæ sunt antiqua in Ecclesia & quæ sunt nova, & quæ ad fidem pertinent, quæ ad mores, & quæ ad disciplinam. Discit insuper ex occasione, qua Concilia sunt celebrata, & Patres quosdam libros suos scripserunt, quinam ipsorum sensus fuerit & scopus. discit insuper Sanctorum gesta, ad quorum regulam mores in Ecclesia sunt ordinandi, ut docet quoque Augustinus lib. 9. confess. cap. 2. *Exempla servorum tuorum quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ urebant, & absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremur.* Quæ omnia exemplis firmat Melchior Canus

de

de locis Theologicis lib. 11. cap. 2. Ad cognoscendas autem veras historias, & discernendas eas a fictis, regulas tradit Juveninus, apud ipsum videndas.

Peritia quoque aliquavis saltem Utriusque Juris utilis est etiam Theologo Christiano, utpote quia multa in Imperialibus legibus continentur, quæ ad fidem,& ad mores & ad disciplinam spectant,præcipue in C. Theodosiano & Justiniano. In Jure vero Pontificio continentur Canones, quorum Theologus non debet esse imperitus; quod verbis hisce late probat citatus Canus lib. 8. cap. 7. „ Juris Pontificii volumina circa varia rerum genera: Primum enim Catholicam fidem, & profitentur & explicant, ut in tit. de Summa Trinitate. Deinde de moribus definiunt, & Religione Christiana,quantum aut ex Evangelica lege, aut naturæ ratione definire licet, ut videre est in tit. de Usura, de Jurejurando, de Divortiis, de Simonia. Præterea disserunt quoque de moribus Ecclesiasticis, deque Religionis Cæremoniis, & officiis Ministrorum Ecclesiæ, quatenus hæc omnia disponuntur legibus positivis, nam scholastico verbo libenter utimur,nec Grammaticorum censuras pertimescimus; alioqui, ut Aristoteles ait, res gravissimæ interdum nitore verborum, atque ornamentis immodicæ diligentiæ deformantur. Atque hæc mihi causa est, cum sermone eo quandoque utar, qui Scholę notus est, ne, ut quidam latissime loquentes, a Schulæ Theologis jure optimo irridear. Quoniam vero scio graves sententias inconditis verbis elatas, delicatiorum præsertim aures offendere, adhibere fuleo sermonis munditiam non odiosam, nec exquisitam nimis, tantum quæ fugiat agrestem quorundam negligentiam. Sed ad rem. Humanas ergo leges de ritibus & moribus Ecclesiasticis, quoniam sic vocant positivas appellavi: Quales sunt multæ in tit.de celebrat.Miss. de Cleric. peregr. conjugatis &c. de ætate & qualitate ordin. de observ. jejun. Et breviter in lib. 1. Decret. de officiis Judicum, & in 2. de ordine judiciario. Postremo autem hujusmodi Pontificia jura præscribunt pœnas his, qui leges vel Evangelicas, vel Naturales, vel etiam Ecclesiasticas perruperint, ut in tit. de Excom., de rapto,de aposta de Hæreticis licet cernere „.

Denique naturalis ratio non sine utilitate a Theologo potest adhiberi, quia non frustra dictamen ipsius impressit Deus in Cordibus nostris ut dicitur in Psalm. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Non debet autem se habere per modum principii, quia Theologiæ principium unum est, scilicet verbum Dei, sive scriptum, sive non scriptum, sive traditum: Confert autem ratio naturalis ad Theologiam per hoc, quod elicit Conclusiones ex principiis revelatis, & motiva credibilitatis exponit, quibus prudenter credimus scripturam & traditionem esse verum Dei Verbum; ut ait Juveninus. Unde non debet Theologus naturali ratione abuti tribuendo ei primas partes, quas tribuere debet Scripturæ & traditioni; ut docet S. Thomas 1. par. q. 1. art. 8. ad 2. *Oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei.* Hoc pariter modo discurrendum est de Philosophorum auctoritate, non quidem illorum, qui falsa senserunt, quia hi non possunt nostram juvare doctrinam, & facere cognita, quæ sunt latentia; ut docet Augustinus epist. 56. ad Dioscorum: *Quid enim nobis est propter defensionem Christianæ Religionis, quærere quid senserint Anaximenes, Democritus, Epicurus, Parmenides, & Melissus, aliique similes hujus farinæ philosophi, quorum doctrina erroribus naturæ rationi contrariis plena fuit?*

Dicimus I. Historicos graves & probatos, si nullus eis contradicat, facere argumentum certum; sin autem secus, facere argumentum tantum probabile.

Prima Conclusionis pars probatur I. Nemo sapiens dubitare merito potest de eo, quod ab omnibus probatis ac gravibus Historicis, nemine contradicente, narratur; sed illud, de quo nemo sapiens prudenter dubitare potest, est certum: ergo quod graves & probati Historici, nemine contradicente, narrant, facit argumentum certum. Probatur minor. Quod de rebus Ecclesiæ antiqui Historici narrant, scilicet circa Hæresum ortum, Conciliorum celebrationem, ut illas damnarent; Hæresiarcharum obstinationem &c., tale est, ut de eo nemo dubitet, & nec prudenter dubitare possit; sed ubi non est dubitatio, est certitudo: ergo illud, de quo nemo sapiens prudenter dubitare potest, est certum.

II. Probatur. Si in Historicis verificantur requisita, ut sint graves probati, & veridici, quod ab ipsis communiter asseritur, est certum; sed in iis, de quibus loquimur, supponimus verificari requisita: ergo quod

quod communiter afferunt est certum.
Porro requisita hæc hoc pacto a Juenino explicantur, ac expenduntur: „ Primo, „ an sit Coætaneus rei, quam narrat; si „ enim multo post tempore vixerit, tantam „ fidem non meretur. Secundo, an in rebus „ etiam non multum intricatis, nonnun- „ quam deceptus sit. Tertio, an ipsius in- „ terfit facta sic extitisse, quemadmodum ab „ eo referuntur. Ob eam rationem Eusebius „ Cæsariensis fides in rebus, quæ ad Aria- „ nos spectant dubia est, Arianismi nimi- „ rum fuligine aspersus fuisse creditur: sic „ etiam Socratis, ac Sozomeni testimonia „ non sunt omnino certa in rebus, quæ „ pertinent ad Novatianos, nempe Nova- „ tianorum Schismatis rei fuisse perhiben- „ tur. Vide Melchiorem Canum lib. 11. „ de locis Theologicis. „

Secunda Conclusionis pars probatur I. Si Historici sint graves & probati, non est credendum, ut illi voluerint vel fallere vel falli; sed quod narratur ab aliquo, qui non vult nec fallere, nec falli, facit ad summum argumentum probabile: ergo &c. Probatur major. Si constaret aliquando, quod voluissent aut falli, aut fallere, non fuissent graves & probati Historici; sed nos in hac hypotesi loquimur: ergo &c. Et quidem si quis negaret fidem miraculis, quæ narrantur a Hieronymo, ab Augustino, & ab aliis, ejusdem authoritatis ac sanctitatis viris, qui testantur se illa miracula aut vidisse, an audivisse ab hominibus fide dignis, & qui illa eadem miracula propriis oculis viderunt, imprudens omnino esset & temerarius.

II. Probatur. Quamvis quilibet privatus homo, qui in scribendo assistentiam Spiritus Sancti non habet, absolute loquendo, possit falli, ac fallere; quoties tamen non unus, sed plures sunt, & in eandem rem, seu narrationem conspirant, & in substantia facti inter se non discrepant, etsi assistentiam Spiritus Sancti non habeant, magnam tamen faciunt fidem humanam, præcipue si sint probati & graves: ergo quamvis non faciant argumentum certum, quia unus, aut alter illis opponitur, faciunt tamen argumentum valde probabile, & propter multitudinem ac gravitatem ipsorum, & propter etiam maximam fidem humanam; quæ etsi certitudinem facere non possit, magnam tamen inducit probabilitatem.

Dicimus II. Utriusque Juris Peritos in rebus fidei & morum facere argumentum probabile; In moribus vero Ecclesiæ, & Religionis institutis per leges sive Pontificias, sive Cæsareas enarratis, si unanimiter conveniant, magnam fidem Theologo facere.

Prima Conclusionis pars I. probatur a Cano lib. 8. cap. 7. ejus enim sunt tres omnes partes: „ Ratio vero in promptu est. „ Sive enim Pontifices, sive Concilia, quæ „ in volumina juris coguntur, quicquam „ definiant, quod ad fidem spectare videa- „ tur, id certe, ut alio jam loco explicui- „ mus, non ex sensu suo, sed ex sacris litte- „ ris, atque Christi & Apostolorum tradi- „ tionibus colligant necesse est. Cum ergo „ principia, unde Pontifices, & Concilia „ ad quæstionem fidei decernendam profi- „ ciscuntur, propria sint Theologicæ fa- „ cultatis, cujus est cognoscere quæ a „ Deo sunt revelata, quæque his sunt vel „ consequentia, vel repugnantia: plane „ conficitur, in ejusmodi rebus Canonum „ sacrorum intelligentiam non a Jurisperi- „ tis, sed a Theologis esse petendam. Id, „ quod Patres, quibus est fidei cognitio „ mandata, libenter agnoscunt. Non enim „ prius quenquam hæreseos crimine dam- „ nant, quam Theologi definierint, quod „ in judicium venit, id hæresim esse. Quæ „ cum ita sint, non video equidem, quonam „ consilio nunc apud nostros in negotio „ cognitionis fidei partes postremæ, ne „ dicam nullæ, Theologis permittantur, „ Jure Consultis vero vel primæ vel etiam „ omnes. Cumque præcipuus sit in hoc „ negotio labor decernere, quid hæresis „ sit, quid hæreticum faciat, quid fides „ teneat, quid contra cum fide pugnet, „ quantum & quatenus doctrinæ sanæ ac „ Catholicæ adversetur id, quod reus af- „ seruerit: ad reorum quidem pœnas de- „ cernendas, quod posterius est, decreti „ sunt in Republica Judices; ad illud au- „ tem, quod & gravius est, & in fidei ne- „ gotio prius, nullos habet Respublica „ Theologus Patres conscriptos, quorum „ de culpis judicium, cum de pœnis judi- „ cant, Jurisperiti sequantur. Faxit Chri- „ stus, cujus hæc causa est, ut Principes „ Christiani, qui huic operi, quo Fides & „ Religio continetur, libentissime favere „ solent, rem, quam semel cœperunt, ab- „ solvant, & gravissimo Tribunali Theo- „ logos probatissimos, inquam, adjungant, „ ad hujus divini negotii absolutissimam „ moderationem. Id enim si fuerit Eccle- „ siæ præstitum, nihil erit, quod in San- „ cti-

„ ctissimo & maxmime necessario Inquisitionis Officio desideretur.„

Secunda Conclusionis pars probatur ab eodem Cano loco citato: „ In his etiam, „ quæ ad mores pertinent, quatenus vel „ Lex Evangelica, vel ratio philosophiæ „ de hujusmodi præscribit, Jureconsultorum auctoritas parum, aut certe nihil „ Theologo conferre potest. Quin rectam „ & sanam earum rerum cognitionem „ Jurisperiti a Theologis mutuam accepturi sunt. Nam quemadmodum Musicus ab Arithmetico conclusionum suarum rationem sumit, quod hæ Conclusiones a principiis Arithmeticæ derivantur: ita & si quæ dogmata de moribus „ jus pontificium vel ea Evangelio, vel „ ex Philosophia colligit, ea sane tanquam „ propriis principiis accepta Theologus „ agnoscet, rectiusque & intelliget, & „ interpretabitur. Qua ex re facilis conjectura est, Jurisperitos quosdam in summo errore, & magna veritatis ignoratione versari, cum asserunt in materia usurarum, simoniæ, & aliis ejusmodi, in „ quibus de peccato mortali agitur, ad „ Jurisperitos potius, quam ad Theologos „ recurrendum. Quo in errore fuerunt „ Ancharanus in disputatione, cujus initium est: *Antiquis & modernis temporibus*, „ & Joannes de Anania in cap. *In Civitate* „ de usuris; & Alexander in Concilio I. „ & Alvarus Pelagius lib. 2. art. 20. & „ Hostiensis in cap. penult. de ætat. & qualit. ordin. quos tamen non est difficile „ refellere. Nam cum Theologo sacrarum „ litterarum cognitio propria sit, quæcunque de moribus vel in sacris litteris continentur, vel ex eisdem per certam connexionem conficiuntur, ubivis Theologus invenerit, ea tanquam sua vendicabit; Jurisperitus autem ut aliena mutabitur. Cumque rursum Philosophiæ principia a Theologis etiam habeantur, ut „ de virtutibus & vitiis, de fine humanæ „ vitæ, deque actionibus, quibus ad hunc „ finem pervenitur, longe lateque disserant, & super harum rerum jactis fundamentis morum fabricam extruant: „ certe quæ in jure de moribus ex principiis naturæ, ratione constitutis perscribuntur, ea Theologus quasi suo sibi jure „ assumet: jureconsultisque expositia, & „ enucleata tradet.„

Tertia demum Conclusionis pars sic ab eodem Cano probatur eodem in loco: „ In tertio illo genere rerum, ubi scilicet „ de moribus Ecclesiæ & Religionis institutis, per leges tantum pontificias decernitur, in illo etiam postremo ubi pœnæ „ Juris præfiniuntur, Jurisperitorum omnium communis consensus concorsque „ sententia Theologo magnam fidem „ facere debet, si quando incidat quæstio „ circa res hujusmodi. Ut, si exempli „ causa, veniat in dubium: An hic, aut „ ille homo sit vel irregularis, vel excommunicatus, vel interdicto, vel suspensioni obnoxius. Item an delegatus possit „ subdelegare; an Episcopus in his, illisve „ possit dispensare (Scholæ verbis liceat „ uti); an Ecclesiæ Pastor rite sit electus; „ num Judex Ecclesiasticus causam in judicio legitime definierit. In his, aliisque „ sexcentis hujus generis, Theologus insolentissimus erit, si, quod ignorat, judicarit, insolentior, si posteaquam Jurisperitos consuluerit, omnium auctoritati refragabitur. Etenim, ut alias sæpe „ diximus, cujusque rei peritia non aliis „ certius mellusque contingit, quam ejusdem rei peritis hominibus. Ita doctissimis quibusque in arte sua fidem habere „ opus est. Juris ergo Pontificii prudentibus in his, quæ propria sint illius facultatis, non credere, erit profecto temerarium. Deinde in ejusmodi Canonum interpretatione. Ecclesiæ Judices „ & Administri concordem omnium Jureconsultorum sententiam amplectuntur. „ Qui enim in actionibus vel judiciis Ecclesiasticis suo sensu, & non communi „ Jurisperitorum omnium duceretur, sine „ dubio suo illum judicio Ecclesia coercerei. Ita Ecclesiam usum Judicum approbando, eorum quoque videtur intelligentiam approbare, quos hi in Ecclesiæ „ administratione sequuntur. Nec alienum „ est a vera conjectura, Christum Dominum Juris hujus Peritis quodammodo „ etiam adesse in legum Ecclesiasticarum „ vera interpretatione. Cum enim Sacri „ Canones instigante Spiritu Sancto ad „ Ecclesiæ sint utilitatem editi, ut Damasus Papa definit, consentaneum est, ut „ Ecclesia, cui Canones illi sunt necessarii, „ quo in Religione & moribus Ecclesiasticis contineatur, Interpretes a Deo sanos „ acceperit earum Legum & Institutorum, quibus est administranda. Parum „ enim profuisset leges mortuas in membranis scriptas habere, nisi haberet quoque Respublica Christiana vivos interpretes, qui rectum earum Legum sensum assequerentur. Deus itaque quoniam non deficit in necessariis, non in

„ Theologos solum, sed in juris Pontificii peritos Spiritum veritatis effudit. „ Quapropter ex concordi omnium sententia probabilissimum argumentum sumere Theologus potest, ad eas quæstiones decernendas, quæ circa illa duo rerum genera posteriore loco posita exorientur. „ Exorientur autem in utroque genere plurimæ, quarum definitionem Theologis ignorare fas non est: His vel maxime, qui aut Laicorum & Clericorum confessiones audiunt, aut etiam Theologiam in Academiis profitentur. Hi enim quoniam de multis, quæ ea jure pendent, magnum munus respondendi sustinent: si responsa atque decreta Jurisconsultorum negligant, periculose nonnunquam ac turpiter errabunt. Quæ autem cum viris in sua quibusque arte peritis consuluntur, ea aut omnino, aut nullo certe periculo respondentur. Ac de septimo quidem loco satis dixisse mihi videor. „

Dicimus III. Prima principia & Conclusiones demonstrativas, seu per demonstrationem illatas, facere argumentum certum; Conclusiones vero probabiles facere argumentum tantum probabile.

Prima Conclusionis pars probatur, tum quia ex certo sequitur certum: ergo ex principiis, quæ sunt certa immediate, & ea Conclusionibus, quæ sunt certæ mediate, infertur etiam certum argumentum: Tum etiam quia natura non destruit gratiam, sed illam comitatur & sequitur. Unde adjungi potest obscuræ certitudini fidei, quæ per gratiam habetur, evidens naturalis rationis certitudo, quam natura præstat.

II. Probatur. Theologus Christianus non solum debet ad sanam doctrinam revocare Hæreticos, sed etiam illos, qui nullatenus credunt, hoc est Infideles, Atheos, Deistas &c. Sed hi reduci non possunt per Scripturas quas negant, nec per Concilia, quæ non agnoscunt, nec per Patres, quos non recipiunt: ergo per rationem naturalem deducendi sunt: Atqui non per omnem naturalem rationem obtineri potest eorum reductio, at tantum per certam, seu quæ habetur per argumentum certum: ergo hoc in Theologia est maxime faciendum. Hoc totum optime perpendet Canus lib. 9. cap. 6. scribens: „ Sed quoniam Hæreticis proclive est veterum Patrum usum, auctoritatemque contemnere, ostendam deinceps, ipsorum quoque Apostolorum doctrina & exemplis rationes naturales in Theologiam invectas: His adductos exteros ad fidem, confirmatos fratres, invitatos dociles, repulsos repugnantes. „ Adducuntur primum ratione exteri ad fidem, & quasi præparantur. Deus quippe fide in mortalium mentes inducenda naturæ incitamentis utitur, ut primo loco fusius explicatum est. Hinc etenim & resurrectionis suæ oculatos testes protulit, & miracula doctrinæ conjunxit. „ Nimirum ut Apostoli non solum per verbum, sed etiam per ipsum opus persuaderent fidem audientibus, ut Epiphanius lib. 2. hæres. 51. docet, & Ambrosius commen. epist. ad Romanos cap. 1. *Testis, ait doctrinæ virtus est, ut quia quod prædicatur, incredibile mundo est, gestis fieret credibile*. Et Beda lib. 3. in Luc. c. 7. *Concessa*, inquit, *primo potestate signorum, misit prædicare Regnum Dei, ut fidem verbis daret virtus ostensa*. Signis ergo & miraculis via fidei per sensus & rationem sternitur. Sic enim Sergius Paulus vir prudens, cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini. Sic Centurio videns, quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens: *Vere filius Dei erat iste*. Petrus etiam ac Paulus quo suavius Audientes ad fidem resurrectionis allicerent, ratione naturæ ostendunt locum illum Scripturæ: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, de David intelligi non posse, ac proinde de Christo intelligendum. Ac Petrus ipse alio iterum loco, Christi resurrectionem insinuat Audientibus, primum testium oculatorum certissimo testimonio, deinde evidentia miraculi editi. *Nos*, ait, *testes hujus sumus*. Et mox: *In nomine ejus*, inquit, *hunc, quem vos videtis, & nostis, Deus confirmavit, & dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum*. En Petrus, sensus ipsos citando testes clarissimos veritatis, Christi resurrectionem suadere conatur. Nec frustra tamen, multi enim Audientium crediderunt. „

Arguunt I. Multa sunt in Historiis Sacris, quæ hinc inde controvertuntur, tum in veteri, tum in novo Testamento: ergo ex Historicis non potest certum deduci argumentum. II. Quivis Historicus in aliquo erravit: ergo non potest ex illis omnibus certum argumentum haberi. Probatur antecedens. Philo Judæus in temporum Breviario multa narrat mendacia; Josephus pariter Judæus multa refert

refert sacris literis repugnantia; Africani Historia a Gelasio rejicitur inter Apocrypha, qui pariter inter Apocrypha adnumerat Eusebii historiam. De Sozomeno Gregorius Magnus lib. 6. epist. 31. dicit: *Sed ipsam Historiam Sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur.* Quod si hæc in Historicorum Principibus, quid ergo in aliis! III. Concilium Florentinum sess. 7. habet: *Romanorum, aut Græcorum Historia nequaquam in Synodo uti debemus*: Et Innocentius Papa relatus in c. *de quibus* 20. dist. approbavit solas Ecclesiasticas Historias in caussis fidei finiendis. IV. Omnes Historici faciunt fidem humanam; sed omnis homo mendax: ergo non possunt deservire pro argumentis theologicis, quæ inniti debent fidei divinæ. V. Nazianzenus orat. 1. in Julianum dicit, *disciplinam nostram esse Pytagoricam*: sed Pytagoræi admittebant tantum authoritatem, non rationem: ergo pro rebus Theologicis naturalis ratio ad nihil inservit. VI. Hieronymus in cap. 10. Matth. prohibet Ecclesiæ Doctores humanæ ratiocinationis præsidiis niti; subdens: *Quia hujusmodi virga & baculus arundineus est, quem si paululum presseris frangitur, & humanum perforat incumbentis*. VII. Concilium Carthaginense IV. vetat Episcopis, ne libros Gentilium legant: ergo prohibet Philosophorum rationibus uti. VIII. Apostoli non fuerunt Philosophi: ergo Philosophia non est necessaria Christiano Theologo. Consequentia probatur; quia si fuisset necessaria, docuisset eam Apostolos Spiritus Sanctus, qui omnem illis docuit veritatem; quam quum non docuerit, planum fit, quod non fit Christiano Theologo necessaria. IX. Fides nostra debet triumphare de Philosophis & Sophistis per crucem Christi: ergo non per Philosophiam. Consequentia bene infertur, quia aliter evacueretur Crux Christi contra illud, quod dicit Apostolus 1. ad Corinth. 1., & contra illud quoque, quod addit 2. ad Corinth. 10. Arma militiæ nostræ esse spiritualia, sed non carnalia. X. Ecclesiastes 1. legitur: *Proposui in animo meo quærere, & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Vidi quæ fiunt cuncta sub sole, & ecce universa vanitas & afflictio Spiritus*. Et Proverb. 5. *Ne intenderis fallaciæ mulieris; favus enim distillans labia meretricis &c.* Et deinde: *Quare seduceris, fili mi, ab aliena &c.* Quæ omnia probant, nihil Christiano Theologo conferre pro divina facultate humana exempla, humana dicta, humanas rationes.

Respondemus ad I. Quod nos non diximus unum, aut alterum Historicum facere argumentum certum pro re Theologica, sed omnes, vel plures quando in unum conspirant, & nemo illis contradicit cum requisitis, quæ in probationibus enumeravimus.

Ad II. Argumentum valeret, si nos diceremus, quod quilibet particularis Historicus, vel saltem unus ex Principibus, pro re theologica faceret argumentum certum; sed nos hoc nec diximus, nec unquam dicemus, quia vere scimus quemlibet peculiarem Historicum, qui non fuerit sacer vel in paucis vel in multis errasse.

Ad III. Concilium & Pontifex loquuntur de illis Romanorum & Græcorum historiis, quæ sacris historiis tam veteris, quam novi Testamenti opponuntur; & vere quidem, quia Sacra Historia debet omnibus aliis prævalere, præcipue in rebus fidei; vel enucleandis, vel asserendis, vel firmandis.

Ad IV. Etsi omnes Historiæ faciant fidem humanam, attamen hæc quando maxima est fundata scilicet in unanimi historicorum consensu, qui sin graves, probati, & veridici, facit argumentum certum, apud illos saltem, qui fidem divinam non habent. Cæterum nos non diximus, quod fidei huic humanæ innitatur argumentum theologicum, eo modo, quo fidei divinæ innititur, tanquam scilicet principio, quod est infallibile illius motivum, sed solum tanquam motivo non infallibiliter, sed prudenter, & moraliter certo.

Ad V. Theologia nostra principaliter admittit tantum authoritatem Dei, cujus revelationi innititur fides; secundario autem admittit etiam rationem ad confirmandum, quod per fidem exponit ac firmat.

Ad VI. Hieronymus pariter intelligitur vel de sola naturali ratione, quam non præcedat authoritas scripturarum, vel quæ primario, non secundario a Theologo intendatur. Ipse enim Hieronymus exemplo suo confirmat quod nos illi respondemus; quia & in fidei dogmatibus probandis & in Hereticorum erroribus confutandis, post Scripturarum & Patres

utitur

utitur etiam naturali ratione, & Philosophorum testimoniis, ut videre est apud Thomassinum tract. 1. de Prolegom. Theol. cap. 44. quod ipse dicit in Epist. ad Magnum, Romanum Oratorem, a quo fuerat interrogatus: *Cur in Opusculis suis secularium litterarum interdum poneret exempla, & candorem Ecclesiæ Ethnicorum sordibus pollueret?* Respondit: *Quis enim nesciat & in Moyse, & in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris, & Salomonem Philosophis Tyri, & nonnulla proposuisse, & aliqua respondisse? Unde in Exordio Proverbiorum commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas & obscuram sermonem, dicta Sapientum, & ænigmata, quæ proprie Dialecticorum, & Philosophorum sunt.*

Ad VII. Concilium Carthaginense IV. intelligi debet de Episcopis illis, qui vel ob vanam curiositatem vel lectionis delectationem, Gentilium libros legebant absque eo quod intenderent, ut illorum doctrina doctrinæ fidei ancillaretur. Quod si hoc intendissent, non fuissent certe reprehensibiles quia fecissent illud idem, quod anteriores Patres effecerunt.

Ad VIII. Nemo dubitat, quod Spiritus Sanctus docuerit etiam Apostolos Philosophiam, in quantum hæc deservire poterat ad res fidei proponendas, explanandas, ac apud Infideles propugnandas. Hujus quidem signum nobis est apertissimum, quod in ipsorum libris seu Epistolis legimus illos quandoque & Philosophorum, & Poetarum dicta usurpare, & naturalibus etiam rationibus uti, saltem ut probent nostræ fidei dogmata, etsi sint supra naturam, contra illam tamen non esse, quia illis etiam naturalis ratio suffragatur.

Ad IX. Fides nostra prædicatur verbo simul & exemplo. Prædicatio, quæ fit exemplo est per Crucem Christi; prædicatio vero, quæ fit verbo est per omnem illum modum, qui possit fidei propagationi, ac confirmationi deservire. Et quia unus ex his modis est naturalis ratio, & est pariter Gentilium Philosophorum consensus pro aliquo dogmate asserendo; ideo quandoque his etiam utimur, etsi non primario, sed secundario, ut res fidei explanemus, ac propugnemus.

Ad X. Illa omnia, quæ in allatis Scripturis enarrantur, sunt reprobanda, quando assumuntur pro fine, & non pro medio. At quando illis nos utimur tanquam medio, quod nos firmet in rerum cœlestium cognitione, & nobis arma suppeditent ad eas ubique Gentium defendendas, tunc illa eadem arma spiritualia evadunt, si prius erant carnalia, quibus adversantes fidei hostes repellimus, ac propulsamus.

DISSERTATIO CCXCVI.

De Infidelitate, ejusque speciebus. Quænam sint Infidelitatis species? An Infidelitas negativa sit peccatum? An Hæretici puniri legitime possunt a Principibus Ecclesiasticis & Laicis in hæreseos pœnam?

INfidelitas est vitium fidei oppositum, adeoque ejus nomine in genere sumpto intelligunt Theologi omnem fidei carentiam, & in hoc sensu dicuntur Infideles non solum Gentiles & Pagani, sed etiam Judæi, Apostatæ, & Hæretici. Stricto vero modo intellecta Infidelitas, dicit carentiam Fidei in illis solum, qui nunquam Fidem susceperunt. Et hoc pacto distinguitur a S. Thoma in Infidelitatem secundum puram negationem, quæ dicitur etiam negativa, & in Infidelitatem secundum contrarietatem ad Fidem, quæ vocatur positiva. Infidelitas negativa est carentia fidei in illis, qui nihil unquam de Christo audierunt, immo nec audire potuerunt, quanvis omnem adhibuerint diligentiam, ut sunt il-

li,

li, qui in Sylvis sunt nati & enutriti. Infidelitas vero positiva est carentia fidei in illis, quibus annuntiatum est Evangelium, sed tamen fidem suscipere noluerunt.

Docet idem S. Thomas, & nos in dissert. 276. retulimus, quod Infidelitatis formalis plures sunt species; vel enim infidelitas adversatur fidei nondum susceptæ, & dicitur Paganismus, aut adversatur fidei jam susceptæ, & hoc accidit multipliciter; vel adversatur fidei jam susceptæ in typo & in figura, & dicitur Judaismus, vel adversatur fidei jam susceptæ in veritate, & tunc vel adversatur in omnibus, & est Apostasia, vel adversatur in aliquibus, & est hæresis. Inter has species videtur non comprehendi Atheismum, Mahumetismum, & Deistarum insaniam, seu Deismum; sed revera comprehenduntur, quia Atheismus & Deismus absque dubio reducuntur ad Infidelitatem, quæ est in illis, qui nunquam fidem susceperunt, quando illorum professio est publica & reducitur ad Sectam, quod nos tamen de Atheismo in 1. Dissertat. negavimus. Mahumetismus vero ad eandem quoque Infidelitatem reducitur, quia illius Professores nunquam Baptismum recipiunt, adeoque illorum error adversatur fidei nondum susceptæ. Atheistæ vero, & Deistæ si supponantur Baptismum suscepisse spectare possunt potius ad Apostasiam. Et utinam ut ex his in mundo non essent, etiam inter illos, qui inter Christianæ Religionis Professores adnumerantur. Occultum enim est virus, quod serpit eo securius quo magis latitat, ut nec reveletur ob pœnæ formidinem, nec sciatur ob conversionis timorem. Timent enim & deterrimi apparere, ut sunt, & boni esse, ut non sunt.

Infidelitas ex sui natura est peccatum, & quidem maximum est peccatum, quia per illam homo maxime avertitur & separatur a Deo; manet enim sine vera Dei cognitione. Et quamvis in 1. ad Thimoteum S. Apostolus Infideli deteriorem dicat illum, qui curam non habet suorum, & maxime domesticorum; per hoc tamen non intelligitur quod negligentia illa majus sit peccatum quam Infidelitas, sed quia Infideles cum habeant curam suorum, si fideles non habent, gravius peccant, quia majorem habent cognitionem, & obligationem, quam Infideles habeant. Attamen ex hoc non fit, quod omnis actio Infidelis sit peccaminosa; & ratio est, quia Infidelis non omnia operatur in finem suæ Infidelitatis: Et quamvis non possit facere opus, quod sit meritorium vitæ æternæ, facit tamen multa opera, quæ sunt moraliter bona. Unde falsum omnino est, quod asserunt posteriorum temporum Hæretici, omnia scilicet Infidelium opera esse peccata. Et hæc quidem dicta sint satis pro Infidelitatis specierum enumeratione.

Dicimus I. Infidelitatem negativam non esse peccatum, bene vero positivam.

Prima Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Joan. 15. *Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Ex quibus verbis patet, quod qui nihil de Christo, nec de ejus adventu audivit nec audire potuit, Infidelitatis peccatum non committit. Idem Apostolus ad Romanos 10. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt; quomodo autem audient sine prædicante?* Quibus verbis nulla culpa supponitur in eo, qui non credidit, & non credidit, quia non audivit.

II. Probatur ex Patribus. Augustinus tract. 39. in Joannem explicans citata verba Joan. 15., scribit: *Respondeo habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est loquutus.* Eadem habet Augustinus epist. 194.

III. Probatur rationibus. I. Deus non præcipit impossibilia; sed impossibile est ut quis credat, absque eo quod audiat; ut dicit Apostolus: *Quomodo credent ei, quem non audierunt:* ergo Deus non præcipit credere iis, qui Infidelitatem habent negativam; atqui ubi non est præceptum, neque est peccatum: ergo &c. II. Docet S. Thomas 2. 2. qu. 10. ar. 1. quod Infidelitas negativa non habet rationem peccati, sed potius pœnæ: ergo Infidelitas negativa non est peccatum. III. Infidelitas negativa vel est quando aliquis nihil omnino audivit de fide Christiana, vel quando licet audiverit, nihilominus post diligentem considerationem, quam tenetur adhibere, adhuc non habet sufficientia argumenta, ut possit prudenter eam fidem acceptare; Vel quando quis semper vivit inter Hæreticos, a quibus nihil audit de fide Catholica, nisi quædam abominanda, quæ solent Hæretici mentiri de Ecclesia Romana,

mana, de Pontifice &c. Sed in his omnibus casibus nequit peccatum habere locum; & quia non supponitur sufficiens cognitio, & quia non est positiva resistentia, & quia tandem non est deliberata repugnantia ad fidem.

Secunda Conclusionis pars probatur I. quia judicium contra authoritatem Divini Testimonii infert maximam injuriam Deo: ergo grave includit peccatum. Probatur antecedens, quia homo per hoc judicium vel judicat esse falsa, ea quæ Deus testificatur, vel post sufficientem propositionem omittit credere ea, quæ Deus revelavit; sed in utroque casu maxima injuria Deo infertur. II. Ideo Infidelitas negativa non est peccatum, quia supponitur in ea non esse cognitam ab illo, qui non credit, revelationem mysteriorum Dei; sed in Infidelitate positiva supponitur esse cognitam: ergo in hac est peccatum.

Obstant I. Apostolus ad Romanos 10. *Sed dico, nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*: ergo ex Apostolo non datur Infidelitas negativa, quia omnes audierunt. II. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 3. de Infidelibus loquens, habet: *Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse.... Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, quæ scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet, sed fortasse ut mitius ardeat*. III. Quamvis Infidelitas negativa in seipsa non sit peccatum & sit pœna peccatorum, quæ committit homo ipse Infidelis, quibus se reddit indignum auxiliis, quæ sunt necessaria ad conversionem ad veram fidem, tamen hujusmodi Infidelitas utpote volita in caussa, semper debet esse peccatum: ergo saltem per hoc redditur falsa nostra Conclusio. IV. Si moriatur adulta ætate sine ullo peccato mortali ille, qui habet Infidelitatem mere negativam, & moriatur absque Baptismo, non est assignabilis locus, quem ei Deus det in altera vita; quia non dabit Paradisum, quum non habuerit Baptismum, nec etiam in voto; nec dabit Infernum, quia supponimus eum decessisse absque peccato mortali; non est autem tertius locus pro Adultis: ergo &c.

Respondemus ad I. Verba Apostoli importare, Christi fidem jam pervenisse ad multas Mundi plagas, sed non ad omnes & singulas, quia aliter sibi contradiceret Apostolus, quando dicit: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Ergo supponit fuisse, & esse in mundo qui non audierunt, quia prædicantem non habuerunt. Et hoc pacto explicat August. Apostoli verba lib. de natura & gratia.

Ad II. P. Boucat distinguit propositionem illam Augustini: Infideles negativi puniuntur in inferno, propter alia peccata, ab Infidelitate distincta, concedit; præcise propter Infidelitatem negat. Et deinde explicans suam distinctionem, subdit. „ Quia vero seclusa fide Christi, nemo potest intrare in Regnum Cœlorum, „ Gentiles damnantur propter peccatum „ originale & actuale; sed non sicut illi, „ qui audierunt, & credere noluerunt. „ Quod subindigitat S. Doctor dicendo „ neminem sic excusari propter Infidelitatem negativam, hoc est, a cæteris peccatis, ut non ardeat, sed ut mitius ardeat: Infideles quippe positivi prorsus „ inexcusabiles sunt, hinc & propter infidelitatem, & propter alia peccata, quæ „ ex cognitione Christi & legis graviora „ evaserunt, graviores quoque luunt criminum pœnas, ita S. Thomas in loco „ mox laudato, ubi sic loquitur: *Infidelitas „ dupliciter accipi potest. Uno modo secundum „ puram negationem; ut dicatur infidelis ex hoc, „ quod non habet fidem. Alio modo potest intelligi Infidelitas secundum contrarietatem ad „ fidem: quia scilicet aliquis repugnat auditui „ fidei, vel etiam contemnit ipsam, secundum „ illud Isaiæ 53. Quis credidit auditui nostro? „ Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis, „ & secundum hoc infidelitas est peccatum. Si „ autem accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de „ fide, non habet rationem peccati, sed magis „ pœnæ*.

Ad III. Dicitur non esse volitam in caussa; atque adeo non esse nisi pœnam peccati; quia ut sit volita in caussa, debet homo, dum peccat, prævidere ea suis peccatis sequuturam talem pœnam, nempe negationem vocationis ad veram fidem.

Ad IV. Casus in argumento propositus secundum ordinem providentiæ, quem nunc habemus, est impossibilis; Quapropter Deus in tali casu daret ei auxilium & occasiones convertendi se ad fidem.

Dici-

Dicimus II. posse Hæreticos in suæ hæreseos pœnam legitime puniri a Principibus tum Ecclesiasticis, tum Laicis.

I. Probatur ex Scripturis. Deuteron. 13. *Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de Domo servitutis, ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus.* Quibus verbis continetur Dei præceptum falsos Prophetas occidendi. Et Deuteron. 17. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* His etiam verbis, qui fuerunt definitionibus Aaron qui erat summus Sacerdos, Rebelles & contumaces vult Deus, ut pereant. Matth. 7. *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Subdit P.Boucat: Attendite, ut eos ejiciatis, & puniatis.

II. Probatur ex Patribus. Cyprianus lib. 1. de exhortat. ad Martyres cap. 5. *Quod sic idololatriæ indignetur Deus, ut præceperit etiam eos interfici, si sacrificare & servire Idolis suaserint, in Deuteronomio &c. Quod si ante adventum Christi circa Deum colendum, & Idola spernenda, hæc præcepta servata sunt, quanto magis post adventum Christi servanda sunt, quando ille veniens, non verbis tantum nos hortatus sit, sed & factis post omnes injurias, & contumelias, passus quoque & crucifixus &c.* Hieronymus ad verba illa ad Galatas 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit,* dicit: *Scintilla statim ut apparuerit, extinguenda est.* S. Leo Papa epist. ad Turribium de Priscillianistis: *Merito Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur. Quando etiam mundi Principes ita hanc Sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem ejus, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent.*

III. Probatur rationibus. I. Hæresis est crimen in homine, qui est intra Ecclesiam: ergo in eo habet jurisdictionem Ecclesia ut ipsum puniat, si a Baptismi promissionibus recedat, & a vera fide ad errorem accedat. II. Principes Polytici legitimam habent a Deo potestatem puniendi illos, qui contra Rempublicam delinquunt: ergo multo magis puniendi illos, qui contra Religionem peccant. III. Hæretici etsi actu sint extra Ecclesiam, fuerunt tamen intra illam, quando in eam per Baptismi januam ingressi sunt: ergo jam Ecclesiæ subditi erant, quando hæresis crimen admiserunt: ergo potest Ecclesia legitime illos per Principes suos punire. IV. Quia hæresis crimen est gravissimum, nequit omnino dici, quod impune remaneat; sed impune remaneret, si illud nec Principes Ecclesiastici, nec Polytici punire possent: ergo dicendum est, quod hi, & illi legitime illud puniant. Plura qui desiderat, legat Alphonsum de Castro libro singulari & integro, quem inscribit de justa Hæreticorum punitione.

IV. Probatur exemplis. Nabuchodonosor sub gravissimis pœnis prohibuit ne aliquid fieret contra cultum & honorem Dei Sidrach, Misach, & Abdenago; cujus exemplum commendat Augustinus epist. 185. & Principibus Christianis imitandum proponit. Constantinus Magnus Donatistas exilio, & Legum severitate punivit. Sequentes Imperatores sic pariter plectere non omiserunt Nestorianos, Eutychianos, Pelagianos, ut clare habetur in C. Theodosiano, sub titulo de hæreticis. Sub Innocentio III. multi Albigenses ultimo supplicio perierunt, ut testatur S. Antoninus 3. par. hist. tit. 19. Joannes Hus, & Hieronymus de Praga in Concilio Constantiensi igni fuerunt traditi. Et denique nostris temporibus Ludovicus Magnus, Francorum Rex Calvinianos, quos Hugunothos appellant, e sua ditione exturbavit, & quos post exilium invenit, Militum discretioni tradidit.

Objiciunt I. Apostolorum tempore nunquam Ecclesia hanc sævitiam contra Hæreticos adhibuit, nec post illos Principes Christiani contra Hæreticos unquam insævierunt. II. Bernardus serm. 66. docet, quod nullus armis, sed potius mansuetudine ad fidem reduci debet. III. Donatistæ Augustini tempore de hoc maxime conquærebantur, & Imperatoris injustitiam accusabant. IV. Si Hæretici per asperitatem Legum & suppliciorum timorem, ad Ecclesiam reducuntur, in ea diu non durant, sed protinus ad antiquas fæces redeunt: ergo ipsorum conversio est ficta, quæ potius impediri, quam procurari, debet. V. Credere est actus interior; sed potestas sive Ecclesiastica sive laica nullum habet

jus ad actus interiores: ergo non possunt cogi Hæretici ad credendum.

Respondemus ad I. quod nullus Infidelis, qui Baptismum non receperit cogendus est ad eum recipiendum: hoc enim a plena ejus libertate pendere debet, & Ecclesia super illum non habet potestatem, quia est de iis, qui foris sunt, & Apostolus dicit: *Quid ad nos, de iis, qui foris sunt?* Hæreticus autem, ut diximus, non est ita, quia fuit intra Ecclesiam, & fuit subjectus Ecclesiæ jurisdictioni, proindeque compelli potest, ut in ipsa remaneat & perseveret.

Ad II. Bernardus loquitur de Idololatris, de Gentilibus & de Paganis, quos nos etiam fatemur non esse compellendos ad baptismum, sed leniter inducendos ac disponendos, ut eum libere suscipiant.

Ad III. Ad Donatistarum querelas idem Augustinus ep. 185. cap. 5. hæc respondebat: *Quod dicunt qui contra suas impietates leges justas institui nolunt, non petiisse a Regibus terræ Apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui & pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes &c. adversus Christum ejus.*

Ad IV. Dicimus cum Augustino cit. loc. *Experimentis probavimus, & probamus, prius timore vel dolore cogi, ut postea possint doceri.* Cæterum nostrorum temporum Hæretici non est in hoc, de quo conquerantur, quia ipsorum etiam Coripheus Calvinus Genevæ voluit comburi Michaelem Servetum propter errores, quos contra Trinitatem, & Incarnationem docuerat. Insuper in quadam Pseudo-Synodo Dordracena, quam Calviniani componebant, sic ordinante Principe Arausicano, gravissime mulctatus est unus, qui a Calviniana Secta defecerat. Postquæ subdit P. Boucat: „
„ Cæterum omnes antiqui Theologi, &
„ ex recentioribus Lherminier, Doctor
„ Sorbonicus tractat. de fide, ex professo
„ docent, posse seculares Principes pœnis
„ temporalibus cogere Hæreticos, ut ad
„ meliora redeuntes, juxta Religionem,
„ quam in Baptismo professi sunt, vivant. „

Ad V. Verum est, quod voluntas invita cogi non potest, potest tamen adduci ad conversionem suam, & adducitur passim per exhortationes, per correctiones, & etiam per supplicia; ut docet Augustinus epist. ad Bonifacium cap. 5. *Cur enim cum datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non servare levius est animam Deo, quam fœminam viro? Aut si ea, quæ non contemptu, sed ignorantia Religionis committuntur mitius vindicanda, numquid ideo negligenda sunt?*

DISSERTATIO CCXCVII.

De Propositionum Censuris. Quænam sint Censuræ, quibus affici possunt propositiones, quæ in sana Theologia admitti non possunt? Et quid sint? Quinam possint eas ferre, & de iisdem judicare?

CEnsuræ Propositionum octo communiter enumerantur; & sunt hæretica, erronea, scandalosa, blasphema, piarum aurium offensiva, temeraria, seditiosa & suspecta. Ex quibus priores septem leguntur in Concilio Constantiensi sess. 8. in damnatione articulorum Vvicleffi verbia hisce: *Quibus examinatis articulis, fuit repertum, (prout in veritate est) aliquos & plures ex istis fuisse, & esse notorie hæreticos, & a pluribus Sanctis Patribus reprobatos, alios non Catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, & blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios & seditiosos.* Et octava legitur in Bulla S. Pii V., per quam Michaelis Baji propositiones damnantur, quarum quasdam dicitur in illa esse *hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas immittentes offensionem in aures pias.* Alii denique has alias censuras addunt,

quæ

quæ ipsorum nomine referuntur a Juenino scribente: „ Nonnulli Scriptores „ relatis propositionum censuris eddunt „ subsequentes. Præterea (inquiunt) ali- „ quæ propositiones sunt proximæ hære- „ si, quædam sapiunt hæresim, quædam „ suspectæ sunt de hæresi, quædam im- „ probabiles, aliæ male sonantes, & tan- „ dem aliæ damnabiles. „ Quid sint autem hujusmodi propositiones, hic sigillatim subnectimus.

Primo Propositio hæretica est illa, quæ adversetur, aut expresso Dei verbo, aut expressæ Ecclesiæ definitioni. Per Dei verbum intelligitur Verbum Dei scriptum, hoc est Scriptura, & Verbum Dei non scriptum hoc est Traditio; Hæc enim duo sunt fidei Christianæ fontes, in quibus continentur omnes articuli, qui spectent ad fidem & ad mores. Debet autem propositio hæretica adversari propositioni, quæ in Verbo Dei expresse continetur; unde Innocentius X damnavit ut hæreticam hanc Jansenii propositionem, quæ est secunda: *Interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*; quia adversatur huic alteri, quæ in Scriptura expresse continetur: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*: & Alexander VIII. damnavit hanc aliam pariter ut hæreticam: *Homo non tenetur amare Deum, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis*; quia adversatur quoque huic alteri in Scripturis contentæ: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Dicitur quoque quod propositio sit hæretica, non tantum si adversetur expresso Dei Verbo, sed etiam expressæ definitioni Ecclesiæ; & ratio est, quia propositio, quam expresse definit Ecclesia, implicite in Dei verbo continetur, adeoque credende est de fide, & hoc per judicium Ecclesiæ omnibus innotescit; & ideo damnata est ut hæretica propositio hæc: *Baptismus, qui datur ab Hæreticis in nomine Patris & filii, & Spiritus Sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non est verus Baptismus*; & rationem eddit Juenimus: „ Quanvis olim, seu antequam „ Ecclesia in Concilio plenario (ut loqui- „ tur Augustinus) de ea sententiam suam „ expresse tulisset, nequaquam esset hære- „ tica; nec enim tunc omnibus Ecclesiis „ constabat, contrariam propositionem „ contineri, vel etiam implicite, in Dei „ Verbo sive scripto, sive tredito., Et hoc totum probetur, quia propositio hæretica est illa, quæ contradictorie opponitur propositioni Orthodoxæ; sed propositio, quæ adversatur expresso Dei Verbo, vel expressæ definitioni Ecclesiæ, contradictorie opponitur propositioni Orthodoxæ ergo est hæretica. Minor patet, quia propositio orthodoxa, vel Catholice est ille, quæ explicita continetur Dei Verbo, vel simpliciter continetur, quæ fuit ab Ecclesia declarata re vera Dei Verbo contineri.

Secundo, Propositio erronea dicit Melchior Canus lib. 12. de locis theologicis cap. 10. quod sit ea, quæ quidem edversetur alicui veritati Catholicæ, quem Universa tenet Ecclesia, sed tamen qua fides non evertitur, quanvis ei labes aliqua inferatur; & per hoc distinguitur ab hæretica propositione, quia per hanc Catholica fides plane subvertitur; ut de Cano asserit Juenimus. Alii vero Theologi eam describunt dicentes, quod sit ille quæ repugnat veritati, quæ infertur ex una præmisse, quæ sit de fide, & ex altera, quæ sit evidens. Alii quoque volunt, quod sit illa, quæ negat doctrinam communi Ecclesiæ consensu ite receptam, ut nullus pius & vere doctus de ea dubitare audeat propter affinitatem, quem in ea invenit cum doctrinæ fidei. Has omnes descriptiones impugnet Juenimus, & deinda suam subdit, dicens, quod propositio erronea sit ille quæ negat veritatem, quam communis Ecclesiæ consensus judicet esse mediate revelatam, quanvis Ecclesia id nondum expresse definierit. Et ratio ejus est, quia per hanc definitionem, seu descriptionem propositio erronea differt ab hæretica, quia hæretica neget veritatem aut immediate revelatam, aut mediate solum, sed eddita solemni Ecclesiæ definitioni; & differt quoque eb aliis propositionibus, ut in sequentibus videbimus.

Tertio, Propositio Scandalosa stricte sumpta est ille, quæ per se nata est parere spiritualem Proximi ruinam, licet in ea nec error nec hæresis aperte notari possint. Et quidem ideo dicitur scandalosa, quia scandali nomine venit offendiculum quod ponitur ante pedes elicujus, ut cadet; Unde scandalum Proximi ruinam, seu casum importet: & quanvis aliquando propositio scandalose hanc ruinam non ceuset, hoc tamen est per accidens, quia per se nata est ceussere. Dicitur tandem quod in propositione scandalose nec hæresis, nec error aperte notari possint; per quæ verba, subdit Jue-

Jueninus ,, propositio scandalosa stricte sumpta, seu prout specialem censuræ notam continet, differt a propositione hæretica & erronea; in iis enim hæresis & error apertè notari possunt. In exemplum propositionis scandalosæ referri potest ista: *Ex auriculari confessione gravissima sequuntur incommoda*. Recenseri potest hæc alia: *Sancti mystici exclusferunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum*; per se nimirum inclinat animas, quæ sibi videntur esse transformatæ, ad dimittendas virtutum exercitationes. ,, Aliqui propositionem scandalosam cum propositiona, quæ sit piarum aurium offensiva confundunt; sed merito confutantur a Cano citato loco; qui docet & propositionem scandalosam dici posse omnem aliam, quæ sit censurabis, etiam hæreticam, & proprie & stricte scandalosam, quæ sit illa, quam nos usque modo explicavimus.

Quarto, Propositio blasphema, quæ convicium aliquod continet vel in Deum, vel in Sanctos ejus. Et quidem per hanc descriptionem differt hæc propositio ab aliis, in quibus nec Deo & Sanctis tribuitur, quod ipsis non conveniat, nec ab iisdem detrahitur, quod ipsis debetur; quod nomine convicii venit. Hujus generis fuit propositio illa damnata ab Innocentio X. quæ est inter Jansenianas prima: *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque gratia, qua possibilia fiant*; quam quidem Innocentius dixit, non solum esse temerariam, impiam, & hæreticam, sed etiam esse blasphemam; quia reddit Deum Legislatorem injustum, quatenus ea præcipiat, quæ sint impossibilia etiam justis volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires. Pariter Innocentius XII. damnavit hanc aliam: Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes, nón solum ut erroneam, sed etiam ut blasphemam, quia multum detrahit ex perfectione, quæ Christo debetur, adeoque est ipsi Christo injuriosa.

Quinto, Propositio male sonans est illa, quæ licet duplicem habeat sensum, bonum unum, & alterum malum, tamen profertur absolute & absque distinctione. Jueninus, qui hanc descriptionem tradit, sic eam explicat; scilicet per hoc, quod dicitur habere duplicem sensum bonum, & malum, distinguitur ab hæretica & erronea, quæ absolute habent sensum malum, & nullatenus bonum saltem, qui sit legentibus obvius, & quem præseferant verba, & dicitur quod absolute & absque distinctione proferatur ut differat a propositionibus, a quibus per explicationem & descriptionem terminorum omnis pravus sensus excluditur.

Sexto, Propositio piarum aurium offensiva est illa, quæ continet aliquid absonum & indignum subjecto, de quo fertur. Offendit aures, non sensu, quem continet a parte rei, sed modo quo ille sensus exprimitur. Non quascunque aures offendit, sed pias; quia si impiorum aures offendat, non per hoc esset censurabilis. Et tandem intelligitur quod per se offendat, quia si aliter offenderet pios, sed indoctos, non esset piarum aurium offensiva. Quod ex Melchiore Cano adnotavit Jueninus: ,, Siquidem (ut observat Melchior Canus) ad ferendum judicium de aliqua propositione, consuli non debet promiscuum vulgus, licet pietatem præseferat; sed consuli debent viri, qui cum pietate doctrinam conjunxerunt. Scilicet non raro contingit, ut propositio, quæ piæ plebis aures offendit, viros peritos ac sapientes non tantum non offendat, sed etiam nec moveat. Id præsertim videre est in propositionibus, quæ enunciant abusus, aut superstitiones, quæ ab hominibus, piis quidem, sed parum peritis, nonnunquam admittuntur in quarundam Imaginum, aut quorundam Sanctorum cultu. Dicitur tertio nonnihil continere absonum, seu in subjectum, de quo profertur, non satis honorificum: ac per hoc patet, propositionem de qua agitur, non tam peccare in sensu, quam in modo, quo ille sensus exprimitur; hincque colligitur cavendum esse Theologo, cum de partu B. Mariæ Virginis loquitur, ne circumstantias explicet, quæ exprimi non possunt nisi terminis, qui minime decent. ,,

Septimo, Propositio temeraria est illa, quæ profertur sine authoritate vel Scripturæ, vel traditionis, vel Patrum, vel quando major pars Episcoporum vel Theologorum eam judicat adversari potius vel Scripturæ, vel Traditioni, vel Patribus. Ratio est quia temerarium illud dicitur, quod absque fundamento asseritur; sed quod dicitur absque authoritate,

absque

absque fundamento asseritur : ergo &c. Hinc fit, quod non omnis propositio temeraria sit hæretica, nec quoque sit erronea; omnis autem propositio hæretica, est temeraria, quanvis non omnis propositio erronea sit temeraria, ut late explicant Theologi.

Octavo, Propositio seditiosa est illa, quæ per se apta est generare seditionem in Audientibus illam. Sunt qui putant, quod si propositio seditiosa non opponatur fidei, vel moribus, vel disciplinæ, non sit comprehendenda inter censuras theologicas, quanvis possit ab Ecclesia prohiberi. Alii autem dicunt, quod continetur inter censuras theologicas per hoc, quod ad propositionem scandalosam reducatur.

Nono, Propositio suspecta de hæresi est illa, quæ cum magna probabilitate judicatur hæretica, hoc est contradictorie opposita veritati, quæ vel explicite & immediate revelata est, vel si est revelata implicite & mediate ab Ecclesia tamen solemni judicio declarata fuit revelata. Judicatur tamen cum probabilitate, quod sit hæretica, quia infertur ex hæretica non certe, sed probabiliter, & ideo non est hæretica, sed de hæresi suspecta. Probabilitas autem debet esse magna & gravis, non parva & levis; hoc est proveniens a gravi fundamento, quod constituunt, vel rationes petitæ ex Scriptura, & traditione, vel authoritates Doctorum, qui sint graves, & qui sint multi.

Decimo, Propositio sapiens hæresim est illa, quæ cum multo majori probabilitate judicatur hæretica quam judicetur propositio, quæ est tantum suspecta de hæresi. Unde Theologi dicunt, quod quando probabilitas est magna, ut propositio judicetur hæretica, tunc est suspecta de hæresi; quando vero probabilitas est maxima, tunc est sapiens hæresim. Nomine probabilitatis magnæ, venit magnum pondus rationum, & multus numerus Doctorum; nomine vero probabilitatis maximæ venit vel suspicio, quæ generatur, vel per maximum rationum pondus, vel per plurimum Doctorum numerum.

Undecimo, Propositio hæresi proxima dicitur illa, quam major & sanior Doctorum pars ex Scriptura & traditione judicat esse hæreticam, licet non audeat eam dicere simpliciter hæreticam, ex eo quod aliqui non infimi nominis Theologi contendant ipsi censuram hujusmodi inuri non debere. Ita explicat Jueninus, qui & pariter asserit pro eadem accipi debere propositionem hæresi proximam, propositionem de hæresi suspectam, & propositionem hæresim sapientem; & quod quomodocumque dicatur semper sit temeraria, & aliquando etiam scandalosa.

Duodecimo, Propositio improbabilis illa est, quæ nullo nititur vel scripturæ, vel Traditionis, vel rationis theologicæ fundamento. Hanc propositionem improbabilem aliqui distinguunt a propositione temeraria, alii eam confundunt cum illa. Cæterum in rebus, quæ spectant vel ad fidem vel ad mores probabilitas nascitur ex argumentis, quæ petuntur vel ex scriptura, vel ex Traditione, vel ex rationibus theologicis; unde improbabilis propositio illa debet esse, quæ hujusmodi argumentis non nititur. Et quanvis dicat hunc argumentorum defectum, quem dicit etiam propositio temeraria, ultra tamen illum dicit quoque positiva argumenta, quibus impugnatur, & per hoc dicitur pariter improbabilis.

Denique decimotertio Propositio damnabilis est illa, quæ debet proscribi, prohiberi & damnari, abstrahendo a speciali censura, qua afficitur. Multæ autem sunt caussæ ob quas propositiones debent esse damnabiles, quas enumerat Jueninus verbis his: „ Dici posse damnabilem primo, quoties fundamentum est ei inurendi aliquam ex censuris, quæ in hac Dissertatione relatæ sunt. Secundo, cum ea propositio inurit censuram alteri propositioni, quæ licet falsa sit, non meretur tamen censuram: Hujusmodi est hæc, quæ in Pii Papæ V. Bulla, quæ incipit *ex omnibus* num. 22. legitur: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*. Tertio, cum aliqua propositio injuriose rejicit oppositam, licet falsam, ut videre est in ista, quæ in laudata Pii V. Bulla num. 30. legitur: *Fures sunt & latrones, qui docent tentationi ulli, sine gratia ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut ab ea non seperetur*. Quarto, cum propositio detrahit famæ alicujus; nempe propter eam rationem, libri famosi jure ac merito ab Ecclesia proscribuntur. „

Pro altera autem Dissertationis parte, scilicet

licet quinam possint censuras ferre, & qui debeant de iisdem judicare; certum est, quod ii possunt Censuras ferre, quibus id muneris committunt illi, qui debent de iisdem judicare. Illi autem sunt Doctores Theologi, quorum opera utuntur Summi Pontifices pro tota Ecclesia, pro suis Diœcesibus Episcopi, pro suis Populis Academiæ & Universitates, quæ ut plurimum ex Ecclesiasticis & Theologiæ Consultis viris constituuntur, & de hoc a nemine dubitatur. Quod vero hic statuendum superest, solum videtur esse, an Ecclesia potestatem habeat & damnandi propositiones, & prohibendi libros, quos cognoverit fidelibus quomodolibet esse nocivos. Pro quo

Dicimus, Ecclesiam habere potestatem prohibendi propositiones, & libros, quos cognoscit fidelibus esse nocivos. Docet hanc Conclusionem, quæ est communis inter Catholicos, in expressis terminis Nicolaus Gitken Ordinis Eremitarum S. Augustini, Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor Ordinarius, in Universitate Colonensi, in Summa Summæ Theologiæ Scholasticæ Tomo 2. tract. 5. qu. 5. dub. 3.

I. Probatur Conclusio ex Scripturis. Actor. 19. dicitur: *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus*. In quibus verbis primo adnotandum venit quam antiqua sit librorum combustio, qui sanam doctrinam non continent, sed continent potius curiosa, quam utilia, ab Apostolorum scilicet temporibus. Et quidem facta est coram Paulo Apostolo, & aliis, qui præsentes erant ut illius actionis testes essent. Et quamvis illi, qui combusserunt libros, essent homines privati, qui superstitiosa sectabantur; quum tamen illud fecissent, & ad Pauli prædicationem, & in Pauli præsentia, non leve nobis datur motivum ut dicamus, Ecclesiæ rem esse perniciosos libros, vel physice, vel moraliter comburere, quod est damnare, proscribere, ac prohibere.

II. Probatur ex antiquissimo usu, qui fuit semper in Ecclesia nocivos libros, damnabiles propositiones, & falsas fidei formulas proscribere, & prohibere. Sufficiat meminisse ad hoc evincendum formularum, quas Ariani, & Semi-Ariani passim confecerunt & evulgarunt, captionibus pluribus plenas, æquivocis & fraudibus ut hæreses suas velarent, & Catholicis fucum facerent. At nihilominus imposturis detectis, eas e vestigio vel Summi Pontifices, vel in suis Diœcesibus Episcopi, damnaverunt. Ex quo exemplo fit, quod ad Ecclesiam spectet sicut damnare errores, qui in libris continentur, ita & proscribere libros, qui errores continent.

III. Probatur. Munus Pastoris est non solum ovibus pascua exhibere, sed etiam illas a noxiis avertere: Sicut pariter munus Doctoris est, non tantum Discipulos docere, quæ prosunt illis, verum quoque iisdem præcipere, ne oculos convartant ad illa, quæ obsunt; sed Summus Pontifex in tota Ecclesia est Pastor & Doctor, sicut sunt Episcopi in Diœcesibus suis: ergo ad illos, in quibus Ecclesia continetur, cum aliorum exclusione pertinet ut ovibus & alumnis suis exhibeant pascua, quæ sint salubria, & doctrinam, quæ sit sana, illosque avertant a noxiis & a falsis; Atqui hoc fit per prohibitionem librorum, qui sanam doctrinam non continant, & per damnationem propositionum, quæ a fidei veritate, & a morum honestate aberrant: ergo &c.

IV. Probatur. Hoc jus prohibendi libros, semper Summi Pontifices in tota Ecclesia, & Episcopi in suis Diœcesibus, sibi vindicarunt: ergo nequit quis sine fidei periculo, & sine violatæ Religionis suspicione potest illud ab iisdem auferre, & aliis tribuere, quibus nec a jure divino, nec a lege Canonica, nec ab Ecclesiæ consuetudine convenit. Probatur antecedens ex Bulla 77. Pii IV. quæ Librorum prohibitorum Indici præfixa legitur; in qua aperte continetur & dicto & facto, solos Romanos Pontifices habere potestatem, & exercitium libros, & propositiones damnandi. Pro Episcopis vero in præfati Indicis regula 10. hæc continantur: *Liberum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus Generalibus, secundum facultatem quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis Regnis aut Provinciis, vel Diœcesibus expedire judicaverint*.

V. Probatur. Ipsimet fatentibus Adversariis, Concilium Nicænum Arii libros damnavit, quemadmodum etiam fecit Concilium Ephesinum cum Nestorii Scriptis, Concilium Chalcedonense cum illis Eutychetis; Sed hoc intelligi nequit da sola Censura, & non de prohibitione, ut Adversarii prætendunt.

Ergo

Ergó ad Ecclesiam æque spectat damnare & prohibere libros, qui sanam doctrinam non continent, & morum honestati opponuntur. Probatur minor. Sicut Concilium damnat propositiones Hæreticorum, ita pariter damnat libros, in quibus propositiones illæ continentur; sed in damnatione propositionum sola Concilii authoritas absque alterius potestatis adjutorio sufficit: ergo pariter in librorum damnatione. Et quamvis seculares potestates aliquando pro librorum extirpatione suas ederint leges, hoc tamen factum fuit, vel ut Ecclesiæ decreta quantocius suum effectum haberent, vel ut laici potentes ab ipsorum obedientia se eximere non pertentarent, vel ut Principes suam venerationem & obedientiam erga Ecclesiæ decreta toti populo manifestarent.

VI. Probatur. Contendi non debet Ecclesiæ facultas, quæ ab illa petitur, & quam ipsa concedit, vel denegat, libros imprimendi: ergo nec pariter eidem contendi debet potestas libros damnandi & prohibendi, si eos compererit sine sua licentia impressos fuisse; Atqui idem periculum imminet Christi fidelibus legentibus libros sine Ecclesiæ facultate impressos, & libros impressos quidem, sed immerito imprimi permissos, utpote continentes doctrinam non bonam: ergo quemadmodum Ecclesia potest prohibere libros sine sua licentia impressos, ita etiam potest prohibere illos immerito imprimi permissos. Antecedens negari non potest, quia Ecclesia stat in hac possessione in omnibus regnis Catholicis, & contrarium dicere, est pervertere velle Ecclesias simul & Regna. Consequentia non est neganda; quia aliter authoritas illa Ecclesiæ super impressione librorum ad nihil esset, si impune sine illa possent imprimi libri. Minor subsumpta patet quoque, quia ubi viget eadem ratio, eadem quoque vigere debet legis dispositio.

Arguunt I. Primis Ecclesiæ temporibus Imperatores Hæreticorum libros prohibebant, & igni tradi præcipiebant, ut fieri fecit in Arii Codicibus Constantinus Magnus, in illis Nestorii Theodosius, in illis Eutychetis Valentinianus & Marcianus, & denique Carolus Magnus in aliorum Hæreticorum libris, ut legitur in lib. Capitularium 1. cap. 78. ergo non spectat ad Ecclesiam, vel ad ejusdem Ecclesiæ Prælatos. II. Antiquitus hæc erat in Religionis rebus praxis & consuetudo, ut censura ad Episcopos pertineret, prohibitio vero ad Principes; ergo nunquam in librorum prohibitione vel unicas, vel primas partes habuit Ecclesia. III. Ideo ad Episcopos pertinet censura, ne doctrina Ecclesiæ corrumpatur: ergo propter eandem rationem debet ad Principes pertinere prohibitio, ne scilicet status ipsorum corrumpatur, & subditi illis imbuantur doctrinis, quæ vel sint contrariæ vel perniciosæ Principum Majestati, & Reipublicæ tranquillitati. IV. Libri, qui prohibentur usque dum corrigantur, possunt saltem retineri & legi usque ad correctionis tempus, sed hoc inutilem reddit prohibitionem: ergo &c. V. Judicium Episcoporum in prohibitione librorum quemadmodum etiam in censura propositionum; non esset irreformabile; ergo frustra ab illis ederetur. VI. Multi Principes etiam ad præsens libros prohibent, & lectionem illorum subditis suis interdicunt sub pœnis etiam gravibus: ergo pariter ad Principes spectat prohibitio librorum.

Respondemus ad I. apertissimam fuisse semper Principum mentem, & sinceram confessionem, se nec velle, nec posse Religionis dogmatibus immiscere, quum ad illos hoc spectet, quos Deus constituit Principes non in seculo, sed in Ecclesia sua. Unde Theodosius & Valentinianus ad Cyrillum scribebant epistolam, quæ in Concilii Ephesini actis continetur & cujus hæc verba sunt: *Quam quidem pietatis doctrinam in sacra Synodo in utramque partem ventilatam eatenus obtinere volumus, quatenus æquitati & rationi consentaneum esse judicabitur. At vero sive illi veniam impetraturi sunt, qui a Patribus victi fuerint, sive non: nos sane civitates simul & Ecclesias conturbari nequaquam sinemus: sed nec eam quoque doctrinam indiscussam manere patiemur, cui dijudicandæ eos præfici oportet, qui sacerdotiis ubivis gentium præsident, per quos & nos quoque in veritatis sententia stabilimur, magis magisque identidem stabiliemur.* Basilius oratione quam habuit in VIII. Synodo: *Vobis Laici, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute (hoc est absque dignitatibus) versamini, nullo modo licet de Ecclesiasticis caussis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hæc enim investigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdo-*

tum

tum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui solvendi, & ligandi, potestatem habent; qui Ecclesiasticas & Cælestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi, egemus. Quantacunque enim religionis vel sapientiæ laicus existat, vel etiamsi universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis vocari non desinet. Rursus Episcopus quantacunque sit irreverentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est, & veritatis verbum recte prædicaverit, Pastoris vocationis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est in ordine ovium constitutis? Pastores verborum subtilitatem discutiendi, & ea, quæ super nos sunt, quærendi & ambiendi habent. Oportet nos ergo cum timore & fide syncera hos audire, & facies eorum vereri (cum sint ministri Domini Omnipotentis, & hujus formam possideant) & nihil amplius, quam ea, quæ ordinis nostri sunt, requirere. Si qui autem Principes Ecclesiarum decretis parentes, Hæreticorum libros eliminarunt, hoc ut Ecclesiæ famularentur præstiterunt, non ut adversarentur; quod vel ex eo aperte patet, quod nunquam Principes prohibuerunt quod Ecclesia antea non prohibuerat, & nunquam permiserunt quod Ecclesia vetaverat.

Ad II. Si prohibitio comitabatur censuram, & censura erat spiritualis non corporalis, prohibitio etiam spiritualis esse debebat sub pœnis scilicet spiritualibus, quas infligere ad Ecclesiam spectat non ad Principes. Igitur eadem Ecclesia libros & propositiones censura notabat & pœna mulctabat, & quia Ecclesia aliquando etiam corporali pœna in Legentes illos libros prohibitos procedebat, inde erat quod Principes Ecclesiæ dispositioni faventes, pœnas etiam temporales multiplicabat. Ratio autem discriminis inter Ecclesiam & Principes hæc erat, quia Ecclesia ratione potestatis indirectæ poterat corporalibus pœnis laicos mulctare, & ratione potestatis directæ poterat pariter Spiritualibus. Principes vero quia tantum jurisdictionem in corpus habebant, & non in animam, inde est, quod poterant subditos temporali vel corporali supplicio, non spirituali animadvertere.

Ad III. Conceditur totum argumentum, dummodo debito ordine procedatur; dummodo scilicet Summus Pontifex, vel Episcopus prohibeat potestate, quam habet, & post ipsos deinde eorum prohibitionibus obsequentes, prohibeant quoque Principes; illi ut perniciem ab Ecclesia avertat, isti ut servent in Republica tranquillitatem; illi sub pœnis spiritualibus & temporalibus contra pervicaces minitantes se processuros; isti vero temporalibus tantum; illi demum ut Patres Ecclesiæ; hi vero ut filii, qui subditos frenando, Patribus obtemperent.

Ad IV. Dicitur, quod propositio assumpta in antecedenti fuit damnata ab Alexandro VII. cujus tenor hic est: *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.* Non est ergo futilis prohibitio, quia usque dum corrigantur, libri nec retineri possunt nec legi.

Ad V. Ideo in Ecclesia est supremus controversiarum Judex, ut si qui inferiores judices aliquid minus caute vel minus juste decernant ad illum possint legitime provocare, ut inappellabili quam habet in Ecclesia authoritate, suum summum & irreformabile judicium denique depromat, cui omnes teneantur obedire.

Ad VI. Eadem est responsio ac ad I. & ad II. si prohibeant libros, a quibus timetur vel fidei vel moribus discrimen. Si vero sint libri, in quibus fortassis aliquid contra Principes respublicas, vel etiam privatos populos & homines continetur hoc jure suo possunt Principes sub temporalibus non autem spiritualibus pœnis prohibere.

DIS

DISSERTAT. CCXCVIII.

De Spe theologica. Quid & quotuplex ſit Spes theologica? Quodnam ejus objectum? Quale ſit ſubjectum? Et an cum certitudine damnationis ſtare poſſit ſpes æternæ Beatitudinis?

PRæmittimus primo ſpei vocem aliquando ſignificare affectum & ſenſitivi appetitus paſſionem, quo tendit in bonum arduum; & in hoc ſenſu inter paſſiones adnumeratur. Secundo prout a Theologis conſideratur, ſignificat objectum ſpei, ſeu bonum, quod ſperatur; juxta illud ad Romanos 8. *Spes quæ videtur, non eſt ſpes*; & ad Titum 3. *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei*. Tertio importat illum, ad quem ſpes dirigitur, vel a quo ſperamus bonum; dicitur pſalm. 13. *Dominus ſpes ejus eſt*, & pſal. 21. *Tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea, ab uberibus matris meæ.* Quarto tandem ſignificat actum vel habitum ſpei theologicæ; & quidem actum ut habetur ad Romanos 8. *Spe ſalvi facti ſumus*; & etiam habitum: ut legitur Job. 19. *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*; & 1. ad Corinth. 3. *Manent tria hæc fides, ſpes, & charitas*. Si igitur manent, non ſunt actus, qui tranſeunt, ſed habitus, qui permanent.

Præmittimua ſecundo inter Scholaſticos controverti, an ſpes ſit virtus theologica inſuper an ſpectet ad intellectum, vel ad voluntatem; pariter an ſit realiter a fide, & a charitate diſtincta; denique an ſit actus voluntatis diſtinctus a deſiderio, vel idem cum ipſo: & poſt hæc quærunt quot ſint ſpecies ſpei, vel diſtincti actus ipſiua, & hos ſeptem enumerant, ſcilicet fiducia, ſecuritas, conſtantia, conſolatio reſpiratio, expectatio, jucunditas; quæ omnes a Fraſſen late explicantur. At hæ potius dici poſſunt comites ſpei, quam ſpecies, ſpecies enim a ſpei diviſione dependent. Unde ſpes primo dividitur in habitualem, & actualem. Habitualis eſt entitas in anima, ſicuti illa, quam diximus eſſe fidem, per quam anima inclinatur ad Dei poſſeſſionem. Actualis vero eſt actus, quo anima expectat cum fiducia hanc Dei poſſeſſionem. Habitualis ſubdividitur in infuſam & acquiſitam; infuſa infunditur a Deo præcipue parvulis; acquiſita ab adultis replicatis actibus acquiritur. Ultertus utraque ſpes dividitur in vivam & mortuam. Spes viva ſupponit in anima gratiam ſanctificantem, quæ eſt vita ipſius; ſpes mortua eſt in anima, quæ eſt mortua per peccatum lethale, adeoque per gratiam ſanctificantem non vivit. Denique utraque ſpes dividitur in formatam & informem; Spes formata cum charitate conjungitur in anima; Spes informis eſt ſine charitate, quemadmodum diximus de fide.

Præmittimus tertio, Spem theologicam definiri; *Virtus, qua certa cum fiducia expectamus æternam beatitudinem auxilio Dei comparandam*. Et per hanc definitionem convenit ipſa ſpes cum aliis virtutibus theologicis, quæ pariter Deum habent pro objecto, & diſconvenit, quatenus fides ad Deum fertur, ut eſt veritatis fons; Spes vero fertur ad eundem, ut eſt beatitudinis principium & complementum; Charitas vero fertur ad eundem Deum, non quatenus eſt bonum nobis, ut fertur ſpes, ſed quatenus eſt bonum nobis, ut fertur ſpes, ſed quatenus eſt in ſeipſo bonum. Quum ergo ſit certum, Deum eſſe objectum ſpei, quatenus ſpes virtus eſt theologica, remanet modo obſervandum, & qua ratione Deus ſit ipſius objectum, & an alia objecta materialia ſui rationem ingrediantur.

Dicimus I. Deum eſſe objectum materiale primarium ſpei, & materiale ſecundarium eſſe media, quibus poteſt ipſe Deus a nobis comparari. Objectum formale quod eſſe bonitatem divinam, prout eſt noſtra beatitudo, ſed abſens, & a nobis poſſidenda; Objectum vero formale quo eſſe promiſſionem divinam. Quatuor habes partes Concluſio

Prima Concluſionis pars probatur Lex Scripturis. Geneſ. 15. dixit Deus Abrahæ;

Ego ero merces tua magna nimis. Tob. 2. *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab illo*. Matth. 6. *Quærite primum Regnum Dei .... & hæc omnia adjicientur vobis*. II. probatur ex Patribus. Augustinus lib. 2. de Civit. cap. ultimo: *Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit; qui seipsum, quo nihil majus esse potest, promisit*. Et lib. 1. confes. cap. 13. *Beata quippe vita est gaudium de veritate; hoc est, de te, qui veritas es Deus meus*; Et in Psal. 11. *Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium, a quo omnia in suo genere facta sunt bona*. III. probatur rationibus; tum quia Deus primo & per se expectatur a spe, quatenus est futura merces bonorum operum; & quod primo & per se expectatur, debet esse objectum materiale primarium spei: tum etiam quia cætera sperantur ratione Dei, & cum ordine ad Deum.

Secunda Conclusionis pars probatur, & quia virtus, quæ inclinat ad finem, inclinat quoque ad media, quibus assequimur finem: tum etiam, quia volumus media ratione finis, & propter ipsum finem; tum denique, quia non propter aliam rationem expectamus ipsa media, quam quia cognoscimus esse talia, ut faciant a nobis expectari Deum ipsum, qui nostræ spei est finis.

Tertia Conclusionis pars probatur, quia bonitas Dei, & in seipsa considerata, & prout est nostra beatitudo, dummodo cognoscatur ut absens, & a nobis possidenda, est illa, quæ a nobis hic cum fiducia expectatur: ergo est objectum formale quod nostræ spei: & quia etiam quum non possimus in hac vita Dei bonitate frui, ferimur ad illam per spem, & quatenus in seipsa bonitas est quod debet necessario præsupponi, & quatenus constituit nostram beatitudinem, ad quam spes ipsa terminatur: & denique, quia spes differt a gaudio, quia ejus objectum est absens, & differt a desiderio, quia ejus objectum est possidendum, desiderii vero est possedibile, & differt tandem a charitate per quam ejus objectum amatur, & possidetur ut præsens, per spem vero expectatur ut absens.

Quarta demum Conclusionis pars probatur, quia nostra expectatio, quam facit in nobis spes, Dei promissionibus innititur, per quas fit, ut Deus a nobis sit possidendus; & etiam, quia nos speramus, & quia Deus potest facere quod promisit, & quod vult illud idem facere; Unde semper ratio formalis, sub qua est Dei promissio, sive connotet Omnipotentiam Dei, potentis facere, sive bonitatem Dei volentis facere quod promisit.

Dicimus II. Spem theologicam non esse in Beatis, nec esse in Damnatis, nec esse in Hæreticis; esse vero in Fidelibus, quamvis sint peccatores, & esse in Justis, licet perfectam habeant charitatem. Quinque partes habet Conclusio

Prima Conclusionis pars probatur, quia respectu Beatorum, bonum primarium spei, quod est Deus ipse, non est absens, sed est præsens, quia eo actu fruuntur Beati; nec est possidendum, quia jam ab ipsis possidetur: & quamvis sit futura corporum resurrectio, respectu tamen Beatorum nec est ardua, nec est difficilis, quia in visione Dei, quam habent, clare illius certitudinem vident.

Secunda Conclusionis pars probatur, quia respectu Damnatorum objectum primarium spei licet non sit absens, non est tamen possidendum ab ipsis: ergo non possunt ad ipsum ferri per spem. Antecedens negari non potest, tum ratione irrevocabilis decreti damnationis ipsorum, quod ipsis plane innotescit, tum propter negationem auxiliorum, quæ sunt necessaria ad possidendum Deum, tum propter odium, quo in ipsum Deum feruntur.

Tertia Conclusionis pars probatur; quia in Hæreticis non reperitur fides, ut superius supponimus probatum: ergo neque reperitur spes, quæ fidem supponit & ipsi innititur; & quia quoque in Hæreticis nec sunt merita præsentia, neque futura, quia propter affectionem, quam habent ad hæresim, nequeunt habere gratiam sanctificantem, sine qua non possunt esse merita; sed spes theologica habet etiam pro fundamento saltem secundario merita nostra: ergo in Hæreticis non potest esse spes theologica.

Quarta Conclusionis pars probatur. Ex Concilio Tridentino Peccatores disponuntur ad justificationem per actum spei: ergo in Peccatoribus, & Impiis est spes. Antecedens probatur ex verbis ipsius Tridentini Concilii sess. 6. cap. 6. *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum & dum peccatores se esse intelligentes, a divina justitia timore, quo utiliter concutiuntur,*

ftis, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum propter Christum propitium fore. Insuper Peccatores orant ad Deum, operantur aliquod bonum, & a quibusdam peccatis se abstinent; sed hoc non nisi quam ex spe, quam nutriunt obtinendi à Deo peccatorum remissionem, perseverantiam finalem, per possessionem aeternae beatitudinis: ergo spes theologica est in hominibus Catholicis, qui in statu peccati mortalis sunt.

Quinta demum Conclusionis pars probatur I. In Justis viatoribus, quamvis perfecta charitate praeditis, est efficax desiderium, & expectatio cum fiducia possidendi Deum, ejusque divina bonitate fruendi, & ut in se est, & ut constituit nostram beatitudinem; sed hoc intelligitur per spem theologicam: ergo in iisdem est spes theologica. II. Tantum abest ut perfectus amor Dei expellat spem, quod potius eam auget: ergo in perfectis Justis perfectior est spes. Antecedens est Augustini lib. 8. de Civit. Dei cap. 10. *Quid est ergo amor, nisi quaedam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur?* Et lib. 3. de doctrina Christ. cap. 10. *Charitas est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, & proximo propter Deum.* III. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. docet, quod justificatis hominibus insit spes; sed cum nullam faciat inter justificatos homines differentiam, intelligi omnino debet de omnibus etiam de illis, qui perfectam charitatem habent: ergo, &c. Verba Concilii Tridentini sunt: *Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Et nolite amittere confidentiam, quae magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna; & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissam, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: hac est enim illa corona justitiae, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus a justo Judice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.*

IV. Innocentius XII. die duodecima Martii anno 1699. damnavit viginti tres propositiones cujusdam libri gallico idiomate scripti, cujus titulus erat: *Maxime Sanctorum*; & Author Franciscus Armagnac, Episcopus Cameracensis, & quarum prima haec erat: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem, in eo amando inveniendam.*

Obstant. I. Est inconveniens Deo sperare in illum, ut est objectiva nostra beatitudo: ergo sub hac ratione nequit Deus esse objectum spei nostrae. Probatur antecedens. Sub hac ratione Deus referretur ad hominem & Deus amaretur propter creaturam; sed hoc est inconveniens Deo, quia Deus debet amari propter seipsum, & in ordine ad seipsum: ergo est inconveniens Deo, &c. II. Spes nostra innititur & Omnipotentiae Dei, & fidelitati Dei: ergo non promissioni divinae. III. Angeli desiderant videre Deum; sed ubi est desiderium, ibi est spes: ergo in Angelis est spes. Major habetur ex 1. Petri cap. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere.* IV. Beati expectant suorum corporum resurrectionem: ergo habent spem. V. In Beatis remanent virtutes morales: ergo pariter remanet spes, quae est virtus theologica. VI. Peccatores etiam impii nulla habent merita: ergo non possunt habere spem aeternae beatitudinis; & si haberent, esset potius praesumptio, quam spes. VII. Damnati appetunt aeternam Beatitudinem, quia nullus est adeo miser, ut non desideret esse beatus: ergo illam quoque sperare possunt. VIII. Animae in Purgatorio existentes, vel habent spem, vel non habent; Si habent: ergo possunt eligere actus contrarios, hoc est actus desperationis; si non habent: ergo non sunt certae de sua beatitudine. IX. Actus spei repugnat puritati charitatis, quia puritas charitatis, non debet esse admixta cum proprio interesse creaturae: ergo in justis perfectis non est spes. X. Actus spei est actus mercenarius, quia respicit retributionem & mercedem, & est potius servorum, quam filiorum: ergo non debet reperiri in justis, qui amant Deum propter Deum & non sunt servi, sed filii.

Respondemus ad I. tunc esse referre Deum ad Creaturam, quando amaretur Deus per aliquod bonum, quod esset distinctum a Dei cognitione & amore, non vero quando amaretur per aliquod bonum, quod est ipse Deus, vel quod est perfecta Dei cognitio & perfectus Dei amor.

Ad II. Spes nostra remote innititur Omnipotentiæ, fidelitati & misericordiæ Dei; proxime vero innititur tantum Dei promissionibus, quæ supponunt omnipotentiam, fidelitatem, & misericordiam in Deo.

Ad III. Desiderium non sumitur proprie in verbis Petri, sed improprie tantum, scilicet pro exclusione fastidii; quatenus, quanvis Angeli continuo videant Deum, nullo tamen ex hoc fastidio afficiuntur; fruuntur enim, & frui quoque desiderant, quia nullus fruitionis est finis. Et in hoc sensu esse desiderium in Angelis & Beatis non negamus.

Ad IV. Spem, quam habent Beati de suorum corporum resurrectione, non esse spes theologica, per quam ad Deum ferantur, & quam nos dicimus non esse in Beatis; sed esse desiderium naturale, quod habent de suorum corporum glorificatione, quam nisi per resurrectionem obtinere non possunt.

Ad V. Remanent in Beatis virtutes morales, quatenus hæc consistunt in appetitu recto & ordinato circa ipsarum objecta; & hic appetitus eum statu beatifico repugnantiam non habet: at vero spes habet; quia nequit idem objectum esse absens, & præsens; esse possessum, & expectatum; esse consequutum, & consequendum, &c.

Ad VI. Dicitur, quia spes non nititur solis meritis præsentibus, sed etiam iis, quæ expectantur ex Dei misericordia: Unde quanvis peccatores non habeant merita præsentia, possunt tamen habere futura, & ratione illorum possunt habere spem.

Ad VII. Distinguitur antecedens. Si intelligatur de appetitu naturali, & inefficaci, conceditur; si de supernaturali & efficaci, negatur. Spes theologica includit desiderium efficax & omnino supernaturale circa beatitudinem ut possibilem speranti, & comparandam ex auxilio divino ac bonis operibus; ut ait Frassen; ac proinde Damnati illam non possunt habere.

Ad VIII. Animæ in Purgatorio existentes habent spem; non tamen possunt eligere actum ei contrarium, qui sit desperationis; quia non est necessarium absolute, ut qui unum actum exercet posset etiam exercere actum ei oppositum; quia aliter Beati, qui amore Deum prosequuntur, possent etiam prosequi odio; quod non est dicendum. Certitudo autem, quam habent de sua beatitudine non destruit ipsorum spem, sed firmat, quia certitudo, quanvis ipsis promittat, quod aliquando consequentur æternam beatitudinem, non tamen facit ut actu consequantur, adeoque semper remanet locus ut sperent.

Ad IX. Jueninus distinguit hanc propositionem: Puritas charitatis posita est in immunitate a mixtione proprii creaturæ interesse quod ad Dei gloriam ultimo non referatur, concedit; quod a Dei gloriam ultimo referatur, negat. Et sequentibus verbis suam explicat distinctionem: „ Interesse proprium, quod ad „ Dei gloriam ultimo non refertur, est „ contra ordinem charitatis: exigit nimirum ordo charitatis, ut creatura seipsa „ non fruatur; ac proinde ut sibi amore „ non inhæreat, sed ut fruatur solo Deo, „ & consequenter ut in ejus gloriam, & „ suum interesse, & suum commodum „ ultimo referat. Econtra interesse proprium, quod ad Dei gloriam ultimo refertur, conforme est legi & ordini charitatis. Nam primo charitas jubet, ut proprium interesse, propriam utilitatem velimus: id nimirum ut velimus, charitas jubet, quod ex eadem charitatis lege velle „ debemus proximo; atqui ex lege charitatis „ proximo debemus velle, ut ei bene sit, velle „ debemus proprium illius commodum, proprium illius interesse: ergo etiam ex eadem charitatis lege velle debemus, ut „ nobis bene sit, velle debemus proprium „ nostrum commodum, proprium nostrum „ interesse. Secundo, charitatis ordo postulat, ut nos & proximum propter „ Deum ultimo diligamus; definitur enim „ ab Augustino: *Motus animi ad fruendum Deo propter ipsum* (hoc est, ad illi ultimo inhærendum; nempe frui ex eodem „ Augustino, est alicui rei amore inhærere) *& se proximo propter Deum*. Igitur „ Justi, qui perfectorum statum adepti „ sunt, cum cupiunt, ut sibi bene sit, cum „ volunt interesse proprium, nihil agunt „ quod charitatis legi repugnet: neque „ enim charitas, quantumcunque perfecta „ sit, excludit aut sui aut proximi amo- „ rem.

„ rem. Cum iidem Justi suum bene esse, „ suum interesse proprium, ultimo ad „ Deum referunt; servant debitum ordi- „ nem charitatis; tuncque *totam* (ut ait „ Augustinus in lib. 3. de doctrina christ. „ cap.22.) *dilectionem sui, & illius* (pro- „ ximi) *referunt in illam dilectionem Dei, quæ* „ *nullum a se rivulum duci extra patitur, cu-* „ *jus derivatione minuatur*. Jam vero si quis „ quærat in quo posita sit Dei gloria, ad „ quam justi perfecti suum bene esse, suum „ commodum, suum proprium interesse, „ referunt; dicendum erit, positam esse „ in eo, quod Deus animæ durissimis con- „ cupiscentiæ stimulis, a quibus avocatur „ a Deo, ut creatura fruatur, corporis „ corruptione, qua plurimum aggravatur, „ penitus liberatæ, solus sua cognitione, & „ amoris infusione dominetur, utaut anima „ velut fidum mancipium, Deo omnino, „ & in omnibus subjecta sit, nihil nisi aut „ ipsum, aut in ordine ad ipsum velit: & „ uno verbo (ut cum Apostolo 1. ad Co- „ rinth. 15. loquar) ut Deus illi sit omnia „ in omnibus.„

Ad X. Idem Jueninus dicit, quod argumentum valeret si Beatitudo, retributio, merces, non essent Deus ipse, per cognitionem & amorem perfecte possidendus; at quum sit Deus ipse, ut dictum est, argumentum non valet. Ad quam responsionem roborandam adducit auctoritatem S. Augustini in psalm 72. dicentis & explicantis verba illa: *Pars mea Deus in secula: Factum est cor castum: gratis jam amatur Deus. Non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit a Deo, & propterea servire vult Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipsum, a quo vult accipere. Quid ergo nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmium Dei, ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit. Si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortali, frigescis, corrumperis*.

Pro postrema Dissertationis parte, ne videamur tempus terere in inutilibus quæstionibus, & hypotesibus impossibilibus, supponimus hypotesis possibilitatem concedi a communi Scholasticorum turba, cujus Dux est S.Thomas qu. 23. de verit. art.8. ad 2., qui eam defendit de absoluta potentia non vero de ordinaria; Alii vero etiam afferunt de ordinaria post Choninc. disp.20. d. 13. etiam affirmant de ordinaria respectu tamen Peccatoris non justi, quamvis absolute negent S.Bonaventura in 1. dist.48. & Altisiodorensis lib. 3. Supposita igitur cum prioribus Theologis hypotesi, tres afferuntur sententiæ, quarum prima est, quod ille, cui esset sua damnatio certo revelata, teneretur adhuc sperare suam Beatitudinem, & consequenter non posset eam desperare. Secunda vero asserit, quod non teneretur sperare suam beatitudinem, quatenus huc esset impossibile; non posset tamen eam desperare, quia hoc est intrinsece malum. Tertia tandem vult, quod licite posset desperare suam salutem.

Dicimus III. illum, cui esset certo revelata sua damnatio, & sciret revelationem non esse comminatoriam, sed absolute assertoriam, nullo modo posse sperare Beatitudinem, adeoque posse eam desperare licite, non quidem judicando Beatitudinem non esse expetendam, nec illam contemnendo, aut eam aversando, nec judicando esse illi impossibilem Beatitudinem ob defectum misericordiæ Dei; sed tantummodo judicando, se nunquam Beatitudinem assequuturum, & consequenter ejus prosequutionem esse inutilem, ideque eam positive nolendo sperare, in quo consistit ratio desperationis. Cæterum hujusmodi hominem sine peccato non posse velle absolute suam damnationem cum omnibus conditionibus quæ eam de facto comitantur.

Prima Conclusionis pars probatur. Spes fertur in bonum desideratum, non solum tanquam in bonum possibile, sed tanquam in bonum saltem probabiliter acquirendum; sed supposita illa revelatione is, cui eadem fieret, non posset sic ferri in suam beatitudinem: ergo non posset eam sperare. Major probatur, quia spes non est qualecunque desiderium alicujus boni, sed prosequutio ejusdem efficax & seria; sed ut sit talis debet cognoscere bonum esse saltem probabiliter acquirendum: ergo, &c. Quod si iste talis non posset sperare suam salutem, neque teneretur ad illam sperandam, quia nemo ad impossibile obligatur.

Secunda Conclusionis pars probatur, quia qui nullo modo obligatur aliquem actum unquam elicere, potest nutiquam velle eum elicere; sed facta hypotesi ille talis nullo modo obligatur sperare beatitudinem: ergo potest positive nolle eam sperare; atqui in hoc consistit ratio formalis desperationis; ergo, &c.

Ter-

Tertia Conclusionis pars probatur, quia Beatitudo est objectum ex omni parte absolute bonum, & honestum, nec aliquid habet, ob quod possimus eam licite contemnere vel adversari. Tum etiam quia quum consistat Beatitudo in possessione & fruitione Dei, contemnere ipsam est contemnere Deum, quod in nullo casu fieri debet.

Quarta Conclusionis pars probatur, quia velle absolute suam damnationem est velle etiam omnes conditiones, quæ eam de facto comitantur; sed ut sic secum affert infinita peccata, quæ damnati perpetuo committunt: ergo ut sic nemo potest licite eam velle. Posset tamen eam velle secundum quid, scilicet sub ea ratione præcise, qua Deus vellet eam, quatenus nimirum dicit justam punitionem peccatorum, & justitiæ continet honestatem; & hac ratione licite pariter suam voluntatem divinæ voluntati conformaret.

Opponunt I. Desperatio derogat misericordiæ divinæ, quasi hic & nunc non posset aut nollet hominem salvare: ergo in nullo casu est licita. II. Non possumus licite nolle Beatitudinem; sed hoc semper evenit; quando desperamus eam: ergo desperatio semper est illicita. III. Ille talis non necessitatur ad desperandum: ergo si desperat, libere desperat, & consequenter peccat. IV Potest fieri, ut ille talis damnetur per solum peccatum desperationis; quo casu si Deus hoc ei revelaret, ipse desperando peccaret, aliter non posset ob desperationem damnari: ergo illicite desperaret. V. Salus Reproborum non magis potest consistere cum eorum reprobatione, sive negativa, sive positiva, quam cum revelatione, de qua loquimur; sed illa non efficit ut Reprobi licite desperent: ergo neque hæc. Consequentia probatur; quia aliter sola ignorantia, qua Reprobi ignorant futuram suam damnationem, esset caussa, cur ipsi non possent desperare. VI. Quando alicui non negantur auxilia sufficientia ad salutem, semper ei salus remanet possibilis: ergo quum huic, de quo loquimur in facta hypotesi non negentur auxilia sufficientia ad salutem, remanet possibilis ei salus: ergo tenetur eam sperare. VII. Iste talis non liberaretur ab observatione aliorum præceptorum: ergo neque esset liber ab observatione præcepti spei. VIII. Ille talis non sperando suam beatitudinem, inferret notam fidelitati Dei, quia non crederet Dei promissis; si vero speraret, læderet veracitatem Dei; quia non crederet Dei revelationi: ergo quodcunque dicatur in facta hypotesi, semper dicta hypotesis destruit seipsam. IX Etiam hypotesis implicaret, quia ille talis, cui fieret revelatio semper esset perplexus, quia simul teneretur sperare Beatitudinem ob præceptum spei, & teneretur eam non velle, quia deberet se conformare Divinæ voluntati, volenti eum damnare. X. Implicat etiam hujusmodi hypotesis, quia revelatio illa nullius boni esset caussa, & e contra esset caussa multorum malorum: ergo non est admittenda.

Respondemus ad I. quod ad hoc ut aliquis desperet, non requiritur, ut judicet, salutem esse sibi impossibilem, & Deum nolle ex parte sua illum salvare, & adhoc auxilia sufficientia nolle dare; sed sufficit, quod judicet se ob suum defectum salutem de facto non consequuturum. Ulterius dicitur quod Deus sine ullo defectu suæ bonitatis aut misericordiæ, posset alicui adhuc viventi ob sua gravia peccata nolle dare sua auxilia sufficientia, ut a peccatis resurgat, idque posset etiam ei revelare: In hoc casu iste talis sine ulla derogatione aut injuria misericordiæ Dei judicaret, salutem sibi esse impossibilem, & ut talem eam desperaret.

Ad II. Possumus licite & etiam meritorie nolle Beatitudinem, quando ideo eam nolumus, quia Deus non vult, & nos nostram conformamus voluntati Dei, eam nolentes. Revera tamen desperatio proprie & strictim sumpta, non consistit in præcisa nolitione Beatitudinis, ut dictum est.

Ad III. Negatur consequentia. Ratio est, quia nobis multa sunt licita, & tamen ad ea non necessitamur.

Ad IV. Negatur suppositum; supponit enim argumentum, quod possit Deus alicui assertorie revelare ipsum damnandum ob peccatum desperationis. Hoc tamen implicat, quia posita tali revelatione desperatio salutis non esset peccatum.

Ad V. Negatur paritas; & disparitas est, quia reprobatio non cognita Reprobo non impedit quominus possit judicare, salutem non solum sibi esse possibilem, sed etiam probabiliter a se consequendam; quod judicium est ad spem omnino prærequisitum; revelatio autem reddit tale judicium homini impossibile, &

ideo

ideo reddit spem impossibilem.

Ad VI. Dicitur quod ut possim aliquid vere sperare, non sufficit, quod judicem illud esse possibile, sed requiritur, ut possim id apprehendere tanquam saltem probabiliter futurum. Ille autem talis, quum non posset apprehendere Beatitudinem ut probabiliter sibi futuram, inde est, quod nec posset, nec teneretur eam sperare.

Ad VII. Negatur consequentia; & ratio negationis est, quia per eam revelationem reliqua præcepta non redderentur ei observatu impossibilia, sicuti redditur præceptum affirmativum spei.

Ad VIII. Ille talis non debet stare promissis, quæ Deus aliis fecit, sed debet credere revelationi, quam fecit sibi ipsi. Igitur quanvis Deus promittat aliis beatitudinem, & ob hoc alii teneantur eam sperare, quia tamen sibi revelat suam damnationem, & cum damnatione nequit stare sua beatitudo, inde est quod ille credendo revelationi Dei, nec potest, nec debet, suam beatitudinem sperare.

Ad IX. Dicitur, quod ille talis nec teneretur positive Beatitudinem sperare, nec teneretur eam nolle; sed posset se habere mere negative respectu ipsius, & se remittere voluntati Dei, dicens verba Heli Sacerdotis: *Dominus est: bonum est in oculis suis, faciat.*

Ad X. Nullo supposito præcedenti decreto, id non repugnat divinæ bonitati, quando adsunt justæ causæ id faciendi; verbi gratia, ad punienda gravissima peccata alicujus & ad terrorem incutiendum cæteris, quibus revelatio hujusmodi innotesceret. Posset etiam esse caussa boni, scilicet exercitii & ostensionis divinæ justitiæ, ut alii a peccatis deterreantur.

DISSERTATIO CCIC.

De Charitate theologica. Quid & quotuplex sit charitas? Quodnam ejus objectum? Quale subjectum? Et quænam sint proprietates ipsius?

PRimo Charitatis nomen accipitur pro primario ejus Objecto, quod est Deus; quo sensu dicitur in 1. Joannis cap. 4. *Deus Charitas est.* Accipitur etiam pro amore, quo nos Deus diligit, Jerem. 31. *Charitate perpetua dilexi te.* Accipitur tandem pro amore, quo nos Deum diligimus 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; Major autem horum est charitas.* Et in hoc ultimo sensu exprimit charitatem theologicam, de qua nos loquimur. Et quanvis charitatis vox apud Ethnicos Scriptores etiam inveniatur, apud quos significat amorem quicunque sit, vel erga propinquos, vel erga amicos, vel erga Patriam; ut habet Cicero 1. offic. c. 17. *Cari sunt Parentes, cari liberi; sed omnes omnium caritates Patria una complexa est.* Attamen pro ut charitas theologica est, sacrum tantummodo significat amorem vel erga Deum, vel erga proximum propter Deum; & sic in sacris literis intelligitur. Et hæc de Charitatis significatione. Pro ejus vero quidditatis explicatione.

Secundo definitur Charitas: *Est virtus theologica, qua Deus, propter se diligitur, & creatura rationalis se ipsam ac proximum diligit, propter Deum.* Per verbum illud *virtus* convenit cum virtutibus moralibus. Per verbum *theologica* convenit cum fide & spe, & differt a moralibus, quæ virtutes sunt, sed non theologicæ. Per alia verba differt a Fide, & Spe, & importatur quod nos per charitatem primo diligimus Deum, deinde nos ipsos propter Deum, & postmodum propter Deum etiam proximum; qui sunt tres Charitatis effectus, quos passim enumerat Augustinus dicens: *Charitas est motus animi adfruendum Deo propter ipsum, & se & proximo propter Deum.*

Tertio ut ad Charitatis divisionem deveniamus, primo dividitur in Actualem, & habitualem; Prima est actus amoris; secunda est habitus, qui ad hos actus incli-

inclinat potentiam. Habitualis subdividitur in Infusam, & Acquisitum; Prima infunditur a Deo absque nostra operatione; Secunda acquiritur per proprios actus. Charitas Actualis subdividitur pariter in Perfectam, & Imperfectam; Per primam diligitur Deus super omnia & intense cum magno scilicet fervore; Per secundam diligitur Deus vel non super omnia, vel remisse, cum pauco nimirum fervore.

Quarto de objecto Charitatis quæri potest, quodnam sit materiale objectum, & quodnam sit formale quod, & formale quo. De subjecto pariter quæri potest in quibus hominibus sit, & quodnam sit ejus subjectum immediatum. Tandem de proprietatibus Charitatis loquentes, tres principaliores enumeramus, videlicet necessitatem, ordinem, & ea, quæ exigit Charitas ex parte nostra, tam illa, quæ fertur in Deum, quam illa, quæ fertur in proximum.

Dicimus I. Objectum materiale adæquatum charitatis esse Deum, nos ipsos, & proximum; Objectum formale quod esse bonitatem divinam; formale quo esse bonitatem ipsam Dei, sive sumatur in se ipsa, sive prout est conveniens nobis, dummodo tamen abstrahat ab illius possessione, aut privatione. Tres partes habet Conclusio

Prima Conclusionis pars probatur I. Quæ diligi debent per Charitatem, constituunt objectum adæquatum materiale ipsius; sed per charitatem diligere debemus Deum, nos ipsos, & proximum: ergo hæc tria constituunt objectum materiale adæquatum charitatis. II. Ex Augustino lib. 1. de doctrina christ. cap. 23. *Cum ergo quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est; alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est; quartum quod infra nos est*. Quibus verbis intelligitur rationem objecti materialis adæquati charitatis ingredi Deum, qui supra nos est, animam nostram, quæ est quod nos ipsi sumus, proximum, qui juxta nos est, secundum animam ejus & corpus sive nostrum, sive proximi, quæ infra nos sunt.

Secunda Conclusionis pars probatur I., quia bonitas divina est perfectio quam charitas in eo respicit: ergo est objectum formale ipsius Charitatis; consequentia sequitur, quia hoc venit nomine objecti formalis, quod scilicet perfectio, quam attingit habitus in ejus objecto materiali. II. Charitas est actus voluntatis, sed objectum voluntatis est bonum: ergo objectum formale quod Charitatis est bonitas divina.

Tertia Conclusionis pars probatur pariter, quia objectum formale quo alicujus virtutis dicit modum, quo virtus illa attingit suum objectum formale quod; sed charitas attingit bonitatem Dei, prout hæc abstrahit, & a sui possessione, & a sui privatione: ergo &c. Probatur minor. Bonitas prout abstrahit a sui possessione & a sui privatione, est bonitas Dei, qua nondum fruimur, & bonitas Dei, qua jam fruimur; sed hæc ipsa est bonitas Dei, quæ abstrabit & a sui possessione, & a sui privatione: ergo hæc ipsa bonitas, est objectum formale quo &c.

Dicimus II. Subjectum Charitatis infusæ complecti justos omnes, qui regnant in cœlis, qui patiuntur in purgatorio, & qui militant in terris; subjectum vero immediatum in istis ejusdem Charitatis esse voluntatem.

Prima Conclusionis pars probatur I., quia Charitas infusa, ut suo loco dicetur est justificationis forma; sed hæc reperitur in omnibus justis, sive sint in Cœlo, sive in Purgatorio, sive in terra: ergo pariter charitas infusa. II. Charitas, quæ est in Beatis eadem est ac illa, quæ est in hominibus justis, qui sunt in terra, & qui sunt in Purgatorio; sed charitas, quæ est in Justis, quæ sunt in terra est Charitas infusa: ergo pariter est charitas infusa illa, quæ est in Beatis. Minor est Doctrina Sacri Concilii Tridentini sess. 6. cap. 7. *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*.

Secunda tandem Conclusionis pars, quod scilicet voluntas sit subjectum immediatum Charitatis probatur; quia Charitas est quidam amor: ergo non potest esse nisi in appetitu; sed objectum Charitatis non potest esse bonum sensibile, quod est in appetitu sensitivo: ergo debet esse in appetitu rationali, qui est voluntas.

Objiciunt I. Nullum est homini impositum præceptum amandi se ipsum: ergo amor erga se ipsum non ingreditur latitudinem objecti materialis charitatis. Antecedens probatur, quia præceptum Charitatis his Verbis comprehenditur Matthæi 13. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et diliges proximum tuum tanquam te ipsum. In his duobus præceptis*

uni-

universa lex pendet & Prophetæ. II. Ubi est superanda alia & major difficultas, ibi exponendus diversus habitus; sed alia & major difficultas est superanda in amando Proximum: ergo amore Proximi ponendus est alius habitus, qui sit distinctus ab illo, qui ponitur pro amore Dei. Probatur minor. Pro amore Dei fere nullam experimur difficultatem, imo in diligendo ipsum, lætamur, & præ amoris suavitate illius bonitate fruimur; at in amando proximum præcipue inimicum summam patimur repugnantiam, & magnam experimur difficultatem: ergo &c. III. Charitas movet nos, ut amemus aliquem propter infinitam Dei bonitatem: ergo supponit quod in illo, qui amatur, sit hæc infinita bonitas; atqui in Proximo non est hęc infinita bonitas: ergo proximus amari non potest amore Charitatis. IV. Charitas movet nos, ut amemus etiam Angelos: ergo rationem objecti materialis adæquati charitatis non solum constituunt Deus, nos ipsi, & proximus, sed etiam Angeli. Antecedens est Augustini lib. 1. de doctr. Christ. cap. 23. *Ea diligenda sunt, quæ aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, ficuti est homo, vel Angelus, aut ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, sicuti est corpus*. V. Nos non tenemur diligere corpus, immo potius ipsum male habere. ergo Corpus, quod infra nos est, non ingreditur rationem objecti materialis adæquati charitatis. Probatur antecedens, quia tenemur corpus mortificare jejuniis, vigiliis, ciliciis, flagellis, aliisque asperitatibus; sed quod sic mortificatur, non diligitur, sed male habetur: ergo &c. VI. Quando dicimus bonitatem Dei esse objectum formale quod Charitatis, vel intelligimus bonitatem essentialem, vel notionalem, seu attributalem; non essentialem, quia hæc non diffunditur ad creaturas; neque notionalem; quia hęc est propria tertiæ personæ tantum, non omnium trium personarum: ergo male dicitur, quod bonitas Dei sit objectum formale quod Charitatis. VII. Si Bonitas Dei esset objectum charitatis conveniens nobis, charitas non differret a spe; sed hoc dici non potest: ergo &c. Probatur major, quia spes etiam respicit Dei bonitatem prout hæc dicit bonum conveniens nobis: ergo si objectum Charitatis esset bonitas Dei prout bonitas dicit bonum conveniens nobis, charitas non differret a spe. VIII. Si Charitas habet pro objecto formali *quod* divinam Charitatem, non solum ut in se, sed etiam ut est beatitudo nostra, amor Charitatis esset amor mercenarius, & per consequens non esset amor amicitiæ, seu benevolentiæ, sed potius concupiscentiæ, sed hoc asseri nullo modo potest: ergo &c. Probatur major, quia amaremus bonitatem Dei, ut esset præmium nostrum, merces nostra; & hoc pacto non esset amor gratuitus, sed mercenarius. IX. Charitas recipitur immediate in substantia animæ: ergo non recipitur in voluntate. Probatur antecedens. Charitas immediate sanctificat animam: ergo immediate recipitur in anima. X. Ibi immediate recipitur charitas, ubi recipitur peccatum, quod expellit Charitatem, & vicissim a charitate expellitur; sed peccatum recipitur in anima immediate: ergo pariter charitas immediate recipitur in anima.

Respondemus ad I. quod quanvis homini non sit datum explicitum & expressum præceptum amandi suam animam, & suum corpus, est datum tamen implicitum. Et hoc ex duabus rationibus patet; prima est, quia datum est homini præceptum amandi proximum, sicut amat seipsum: *Diliges Proximum tuum sicut te ipsum*; Ehe ergo præceptum implicitum amandi se ipsum: Secunda quia præscribitur homini modus amandi Deum ex toto corde suo; in quo continetur etiam modus, quo homo debet diligere seipsum hoc est propter Deum & in ordine ad Deum. Utraque responsio est Augustini. Prima continetur lib. 1. de doctrina Christiana cap. 26. *Sed cum dictum est: diliges proximum tuum tanquam te ipsum, simul & tui, & abs te dilectio non prætermissa est*: Secunda vero cap. 24. ejusdem libri: *Modus ergo diligendi præcipiendus est homini, idest, quomodo se diligat, ut prosit sibi. Quin autem se diligat, & prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Præcipiendum etiam quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinate prudenterque consulat. Nam quod diligat etiam corpus suum, idque salvum habere atque integrum velit, æque manifestum est*. Idem Augustinus rationem reddens cur Deus non dederit nobis expressum & explicitum præceptum diligendi animam nostram & corpus nostrum in lib. 1. de doctr. Christ. cap. 23. hæc scribit: *De secundo & quarto* (de anima nostra & corpore nostro amandis) *nulla præcepta* dan-

danda erant. Quantumlibet enim homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui. Fugax enim animus ab incommutabile lumine omnium regnatore id agit, ut & ipse sibi regnet & corpori suo: & ideo non potest, nisi & se, & corpus suum diligere.

Ad II. Dicitur quod argumentum procedit in habitibus acquisitis, qui dant faciliter posse, non vero in habitibus infusis, qui dant simpliciter posse; proinde unus & idem habitus infusus Charitatis, sufficit ad superandas omnes difficultates, quas in amore pati quis posset, sive sit amor Dei, sive Proximi, propter Deum; cum enim semper respiciatur Deus, sive ipse ametur, sive proximus, semper quoque una & eadem charitas nos adjuvat & roborat ut diligamus. Quod ad rem dixit pariter Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 8. *Ex una eademque charitate Deum, proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* Et serm. V. de Ascens. *Arbitror ideo Spiritum Sanctum bis datum, semel in terra, & iterum in Cælo, ut commendarentur nobis duo præcepta charitatis, scilicet Dei & proximi. Una est charitas & duo præcepta, unus Spiritus & duo data: quia alia charitas non diligit proximum, nisi illa, quæ diligit Deum: qua ergo charitate proximum, eadem Deum diligimus &c.* Et S. Gregorius lib. 7. moral. c. 10. *Sunt duo isti amores duæ quadam partes, sed unum totum est ex utrisque compositum; duo annuli, sed catena una; duæ actiones, sed una virtus; duo opera, sed una charitas, duo apud Deum merita, sed unum sine alio inveniri impossibile est.*

Ad III. Argumentum valeret si deberemus proximum amare propter se ipsum & non propter Deum. At quia obligatio amandi proximum quam charitas imponit, non est ratione proximi, sed ratione Dei, qui in proximo amari debet & amatur; inde est quod sufficit, quod Bonitas infinita sit in Deo quamvis non sit in proximo.

Ad IV. Dicitur quod nomine proximi intelligitur etiam Angelus, qui non minus est proximus noster quam sit homo. Quod docet pariter Augustinus lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 30. *Namque ille, cui duo ipsa præcepta protulerat, atque in eis pendere totam legem, Prophetasque dixerat, cum interrogaret eum dicens: Et proximus? Hominem quemdam proposuit descendentem ab Jerusalem in Jerico, incidisse in latrones, & ab eis graviter vulneratum, saucium, & semivivum esse derelictum; cui proximum esse non docuit, nisi qui erga illum recreandum, atque curandum misericors extitit.... ut videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret... Jam vero si vel cui prabendum est, vel a quo nobis prabendum est officium misericordiæ, recte proximus dicitur, manifestum est hoc præcepto, quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, quanta multis divinarum scripturarum locis animadvertere facile est.*

Ad V. Tenemur nos utique corpus castigare, & in servitutem redigere, at non ex odio, quin potius ex amore erga illud ut scilicet patiatur in tempore, ad hoc ut deinde gaudeat, & fruatur in æternitate. Quod quoque Augustinus docet lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 24. *Dictum est enim hoc, caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; hac enim sibi invicem adversantur, propter indomitam carnalem consuetudinem, adversus quam spiritus concupiscit; non ut interimat corpus, sed ut concupiscentia ejus, id est, consuetudine mala edomita, faciat spiritui subjugatum, quod naturalis ordo desiderat. Quia enim hoc erit per resurrectionem, ut corpus omnimodo cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus resistat spiritui.*

Ad VI. Intelligimus Bonitatem essentialem, quæ est eadem in tribus personis, quum sit perfectio divinitatis essentialis; quia ut dicebat veritas increata: *Nemo bonus, nisi Deus.* Falsum autem omnino est, quod Bonitas Dei essentialis in Creaturas non diffundatur, quia Creaturæ omnes de Bonitate ejus participant, & de facto participationes sunt Bonitatis Divinæ.

Ad VII. Licet Charitas & Spes conveniant in objecto formali quod, differunt tamen in objecto formali quo; Spes enim supponit objectum suum absens, Charitas vero præscindit a præsentia & ab absentia. Quod ex eo patet, quia quando objectum possidetur definit spes, & non est amplius; Charitas vero semper durat, sive objectum possideatur, sive non. Et hoc etiam docuit Augustinus lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 38. *Sed fidei succedit species, quam videbimus; & spei succedit Beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus: Charitas autem istis decedentibus, augebitur potius.*

potius. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus? Et si sperando diligimus quo nondum pervenimus, quanto magis cum pervenerimus?

Ad VIII. Amor mercenarius tunc est, quando amatur aliquid extra Deum, vel ametur Deus propter aliquid, quod sit extra ipsum: at quando amatur Deus, licet ametur propter beatitudinem, propter præmium, propter mercedem, quæ est Deus ipse, tunc non amatur aliquid extra Deum, & proinde amor non est mercenarius, quia merces ipsa est Deus, præmium ipsum est Deus, Beatitudo ipsa est Deus.

Ad IX. Quum nos non distinguamus realiter potentias animæ ab anima, si charitas recipitur immediate in voluntate, etiam recipitur in substantia animæ, a qua voluntas ipsa realiter non distinguitur.

Ad X. Eadem est responsio; quia si anima cum suis potentiis una est substantia, in illa eadem substantia, in qua recipitur peccatum, recipitur charitas, & ab illa eadem substantia, a qua per peccatum expellitur Charitas, etiam per Charitatem expellitur peccatum.

Denique de proprietatibus Charitatis aliquid superius diximus in communi, eas nempe enumerando; quod remanet dicendum, in sequenti Dissertatione dicemus.

DISSERTATIO CCC.

De Necessitate & ordine Charitatis. An Charitatis præceptum sit speciale? An ejus actus sit necessarius? Et in quibus temporibus obliget? An in Charitate sit ordo? Et quotuplex sit? Et quomodo servandus?

FUerunt quidam, qui non erubuerunt asserere præceptum charitatis in Deum non esse speciale, & ab aliis distinctum. Ex hac falsa assertione alia non minus absurda deducebant. Primum, quod homo non teneatur eligere aliquando actum amoris Dei ex vi præcepti Charitatis & satis esse ei, si Deum non oderit. Secundum, quod homo si servaret alia præcepta Decalogi, quanvis non servaret primum, salvaretur, vel quanvis non diligeret Deum actu, primo Decalogi præcepto satisfaceret. Tertium, quod homo posset salvari, quanvis nullum in tota vita sua actum amoris Dei eliciat.

Dicimus I. Præceptum amoris Dei ita esse speciale, ut illud non observans quanvis alia observet, damnetur.

I. Probatur ex Scripturis Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* En præceptum amoris Dei, & ut ostendatur quod non solum sit speciale, sed etiam sit primarium, subditur; *hoc est primum & maximum mandatum.* Et denique ut manifestetur, quod reliqua præcepta ab his duobus, scilicet amoris Dei, & amoris proximi dependeant, additur: *In his duobus præceptis universa lex pendet, & Prophetæ.*

II. Probatur ex Patribus. Augustinus epist. 29. ad Hieronymum: *Qui totam legem servaverit, si in uno offenderit, fit omnium reus, quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet.* Et epist. 52. *Quanquam & in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est.* Et subdit, quod solus Deus est illud bonum, quod diligendum est: *Quid autem eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus.* Insuper idem Augustinus docet, quod debeamus diligere nos ipsos & proximum propter Deum; ait enim lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 22. *Tunc est optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi: Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur; & propterea jam cum defectu aliquo se fruitur.... Si ergo te ipsum non propter te debes*

diligere, sed propter illum, ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis: hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est: diliges proximum tuum, sicut teipsum. Leo Magnus serm. 5. de jejunio septimi mensis: *Rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi.* Bernardus serm. 20. in Cantica: *Disce, o Christiane, a Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter; dulciter ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi. Zelum tuum inflammet Charitas informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus.* Postmodum docet S. Doctor, quod hæc tria ex primo Decalogi præceptò deducantur: *Et vide, ne forte tria ista tibi & in lege tradita fuerint, dicente Deo: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua... Mihi videtur amor quidem cordis ad zelum pertinere affectionis; Animæ vero amor ad industriam, seu judicium rationis; virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem..... Dilige ergo Dominum Deum tuum cum tota & pleno cordis affectu. Dilige tota rationis vigilantia, & circumspectione: Dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas; quoniam fortis est ut mors dilectio.*

III. Probatur rationibus. I. Præceptum speciale est, per quod nobis præcipitur aliquid, quod per alia præcepta non præcipitur; sed per præceptum charitatis in Deum nobis præcipitur aliquid, quod per alia præcepta non præcipitur: ergo præceptum charitatis in Deum est præceptum speciale. De majori propositione nulla est dubitatio; minor est doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 44. art. 5. exponentis verba legis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua*; & sic scribentis: *Præcipitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde; & quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente; & quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima; & quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.* Et 2. 2. art. 1. ejusdem quæstionis: *Modus dilectionis non cadit sub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, puta sub hoc præcepto: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, non cadit quod hoc ex Charitate fiat: cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus.* II. Deus præcipiens hominibus virtutem, non est credendum, quod non præceperit principalem virtutem, quæ est major omnium virtutum; sed hæc est amor Dei: ergo non est credendum, quod Deus per speciale mandatum non præceperit hominibus amorem Dei. Minor est S. Augustini lib. de moribus Ecclesiæ cap. 13. *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* III. Deus præcepit virtutem, per quam perficeretur intellectus, & præcepit pariter virtutes, per quas perficerentur potentiæ exteriores: ergo præcepit etiam virtutem, per quam perficeretur voluntas; sed hæc non est nisi amor Dei: ergo Deus per speciale præceptum mandavit nobis virtutem charitatis Dei. IV. Deus voluit felicitatem nostram in hac vita; sed felicitas nostra in hac vita nequit haberi, nisi per amorem Dei: ergo Deus præcepit nobis amorem Dei. Minor est Augustini epist. 140. cap. 23. dicentis: *Rationalis creatura ita facta est, ut sibi ipsa bonum, quo beata sit, esse non possit: sed mutabilitas ejus, si convertatur ad incommutabile bonum, fiat beata; unde si avertatur, misera est. Aversio ejus vitium est, & conversio ejus virtus est.*

Opponunt I. Finis præcepti non cadit sub præceptum; sed ex Apostolo *Charitas est finis præcepti* 1. ad Timoth. 1. ergo charitas non cadit sub præceptum. II. Joannis 14. dicitur: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*: ergo præceptum dilectionis Dei adimpletur per mandatorum observantiam. III. Matth. 22. dicitur, quod in duobus præceptis charitatis stat universa lex: ergo per observantiam universæ legis observantur pariter duo charitatis præcepta. IV. Bernardus serm. 50. in Cantica dicit per præceptum charitatis nobis præcipi amorem effectivum, qui stat in operibus, non affectivum, qui stat in corde; sed opera exercentur in observatione aliorum mandatorum: ergo &c. En verba Bernardi: *Est charitas in actu, est & in affectu: & de illa quidem, quæ operis est, puto datam esse legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur?* V. Gersonius hæc duo requirit, ut quis præcepto amoris Dei satisfaciat; scilicet primo, ne velimus scienter rem quamcumque amare plusquam Deum; secundo ut legem Dei,

& alia

& alia præcepta operibus impleamus: ergo sufficit observatio aliorum mandatorum ad satisfaciendum præcepto amoris Dei. VI. *Probatio dilectionis exhibitio est operis* ex S. Gregorio: ergo ubi non sunt opera, non est amor: ergo ubi sunt opera est amor: ergo sufficiunt opera ad amandum Deum.

Respondemus ad I. Distinguendo majorem: Finis extrinsecus conceditur; intrinsecus, negatur. Suggerit distinctionem hanc Frassen, & eam sic explicat: „ „ Duplex est enim cujuslibet præcepti finis: alius quidem extrinsecus ipsi præcepto, & rei præceptæ, v.g. in præcepto jejunii, finis extrinsecus est domatio carnis, & illius subjectio spiritui, & alia id genus propter quæ jejunium est institutum; alter vero finis est intrinsecus præcepto, ut abstinentia cibi, quæ est materia circa quam jejunium occupatur. Minorem similiter distinguo: Dilectio Dei est finis præceptorum extrinsecus, concedo; intrinsecus nego; cætera enim præcepta servari possunt absque eo quod eliciatur aliquis actus dilectionis Dei. „

Ad II. Verba illa apud Joannem important probationem dilectionis, quæ consistit in mandatorum observantia, & in bonorum operum exercitio. Unde dicebat Augustinus qu. 44. in Deuter. *Si forinsecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri.* Et Gregorius Magnus homil. 27. in Evangelia: *Omne mandatum de sola dilectione esse, & omnia unum præceptum esse; quia quid quid præcipitur, in sola charitate solidatur..... Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis ..... Præcepta ergo Dominica & multa sunt, & unum: Multa per diversitatem operis: Unum in radice charitatis.*

Ad III. Intelligentia verborum Matthæi hæc est, quod scilicet observatio duplicis præcepti de Dei dilectione & Proximi sit caussa, quæ moveat & impellat voluntatem nostram ad aliorum præceptorum observationem. Id ipsum docet Christus Joannis 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit ..... Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Et e contra: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me,* docet pariter Apostolus, ubi dicit: *plenitudo legis est dilectio*; ex quibus infertur, quod qui non diligit, non implet legem.

Ad IV. Bernardus per Charitatem affectivam non intelligit tantum, interdum affectum charitatis, qui etiam reperitur in charitate effectiva; sed intelligit quoque suavitatem illam, qua Deus beat diligentes se in altera vita, & suo modo etiam in hac, & quam ipse vocat charitatis pinguedinem. Audiatur iterum Bernardus: *Non ut sine affectione simus, & solas moveamus manus ad opera. Legi inter alia, quæ scribit Apostolus, magna & gravia hominum mala, hoc quoque annumeratum, scilicet sine affectione.* Et infra: *Sed est affectio, quam caro gignit, & est quam ratio regit; & est quam condit Sapientia. Prima est, quam Apostolus dicit legi Dei non esse subjectam, nec esse posse. Secunda, quam perhibet e regione legi Dei consentientem, quoniam bona est. Longe vero tertia, ab utraque qua gustat & sapit, quoniam suavis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans.*

Ad V. Vult quidem Gersonius observantiam cæterorum præceptorum tanquam effectum observantiæ præcepti amoris Dei juxta illud Joannis: Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate: Sed non vult per hoc quod impleatur præceptum amoris Dei per cæterorum præceptorum impletionem. Hæc enim duo valde diversa sunt.

Ad VI. Si dilectio probatur per operum exhibitionem: ergo ante opera supponitur dilectio; Ante enim est illud, quod probatur, & deinde illud, per quod probatur: ergo prius impletur præceptum amoris Dei, & postmodum implentur alia præcepta: ergo præceptum amoris Dei est speciale & distinctum ab aliis præceptis.

Dicimus II. Actum charitatis esse omnibus hominibus per se necessarium necessitate præcepti naturalis & divini.

I. Probatur Conclusio, quia actus charitatis in Deum continetur in primo præcepto Decalogi; sed quæ continentur in primo præcepto Decalogi, sunt juris naturalis & divini: ergo &c.

II. Probatur ex damnatione propositionis contrariæ, quam proscripsit Alexander VIII. anno 1690. die 24. Augusti: *Homo non tenetur amare Deum, neque in principio neque in decursu vitæ mortalis.*

III. Probatur, quia præceptum hoc per se obligat sæpius in vita, quod habetur Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum* ex

ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis de his, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque consurgens: Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine atque hostiis domus tuæ. Et ad particulare devenientes, præceptum charitatis in Deum obligat per se in morali periculo vitæ, & non semel in anno, sed frequenter infra annum: & obligat tandem multoties per accidens; scilicet quando urget obligatio eliciendi contritionis actum; & quando urget etiam præceptum alterius virtutis, qui actum charitatis requirit; & quando quis tentatur de odio Dei, & quando aliquem audimus Deum offendentem blasphemiis & maledictis. Quos omnes casus enumerat, & probat Jueninus.

Dicimus III. In charitatis exercitio servandum esse ordinem, qui duplex est, dilectionis scilicet, & beneficii; quique servandus est inter Deum & Creaturas, & inter creaturas ipsas.

Prima Conclusionis pars I. probatur ex Scripturis. Cantic. 2. Nomine Ecclesiæ dicit Sponsa: *Ordinavit in me charitatem.* II. Ex Augustino lib. 1. de Doctrin. Christ. cap. 27. *Ille juste & sancte vivit, qui rerum integer æstimator est: Ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut aliquid, quod non est diligendum, aut amplius diligat, quod minus est diligendum, aut æque diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius, quod æque diligendum est.*

Secunda Conclusionis pars probatur pariter I. ex Augustino epist. 139. *Charitas, quæ tanquam nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi, infirmiores fortibus anteponit, quos tales vult esse, quales jam illi sunt, quos non, contemnendo, sed de his confidendo, interim præterit.* II. Ex Bernardo sermone 50. in Cantica: *In bene affecta mente non dubium, quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cœlum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in bene ordinata actione sæpe, aut etiam semper, ordo oppositus invenitur. Nam & circa Proximi curam, & plus urgemur, & pluries occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus ...... Nam & vera in hoc est charitas, ut qui indigent amplius, accipiant prius; & rursus in eo chara apparet veritas, si ordinem tenemus affectu, quem illa ratione.* III. Ratione allata a Juenino: „ Totuplex est ordo in charitatis exercitio servandus, quotuplicem Pastor Evangelicus circa oves sibi creditas servavit; atqui circa eas duplicem charitatis servavit ordinem, dilectionis nimirum & beneficii: scilicet ordine dilectionis prætulit nonaginta novem oves, quas in deserto reliquerat, ovi centesimæ, quæ erraverat; sed centesimam illam errantem, ordine beneficii prætulit aliis nonaginta novem; has enim a sua cura dimisit, illasque permisit sibi ipsis, cum è contra unice de centesima solicitus fuerit, in eaque quærenda, & in reducenda ad ovile, totum dederit se se: ergo &c. „

Tertia Conclusionis pars, explicatione ordinis, de quo loquimur, sic a Theologis probatur. Primo loco ponitur Deus, qui diligendus est super omnia, quum sit ens perfectissimum in omni genere, ut diximus suo loco. Secundo diligendæ sunt Creaturæ, quæ propter Sanctitatem sunt Deo proximiores; & quæ sunt æque vicinæ, æqualiter sunt amandæ. Tertio Deus non est ultimo diligendus propter bonum aliquod creatum; nec ordo dilectionis sustinet, ut creatura nobilior ad minus nobilem referatur tanquam ad finem. Quarto anima diligenda est plusquam corpus, quia illa, non hoc, est capax frui Deo. Hæc omnia complectitur Augustinus lib. 1. de doctrina Christ. cap. 27. *Omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus; & omnis homo, in quantum homo, est diligendus propter Deum: Deus vero propter se ipsum. Item amplius alius homo diligendus est, quam corpus nostrum, quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo.* Et quidem hic est ordo servandus in charitate, quæ dicitur dilectionis; Ordo vero servandus in charitate, quæ dicitur beneficii, est hic alius, qui scilicet petitur ex conjunctione carnis vel amicitiæ vel societatis, vel alterius vinculi cum persona amante, vel ex personæ amatæ infirmitate & indigentia.

Obstant I. S. Thomas 2. 2. qu. 44. ar. 6. docet, satis esse ad adimplendum charitatis præceptum, ut nihil contra Deum admittatur, sive per odium Dei, sive per aliorum præceptorum transgressionem. Hæc sunt S. Doctoris verba: *Ad secundum*

dicen-

dicendum, quod sicut miles, qui legitime pugnat, licet non vincat; non inde culpatur, nec pœnam meretur: ita etiam qui in via hoc charitatis praeceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter. II. Verba illa Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum &c.*, intelliguntur a pluribus de habitu charitatis, & non de actu: ergo ex illis non deducitur necessitas actus Charitatis. III. De pluribus piis viris dicitur, quod nunquam fecerunt aliquem charitatis actum erga Deum, & tamen quia nullum commiserunt peccatum, salvi facti sunt: ergo necessitas, de qua loquimur, non est talis, ut lethale peccatum inducat. IV. Nos scire non possumus, quæ creaturæ propter sanctitatem sint Deo proximiores: ergo non possumus in illis servare ordinem Charitatis.

Respondemus ad I., quod sensus S. Doctoris est, hominem, qui est in via & Charitatis præceptum non implet perfecte, non peccare mortaliter, peccare tamen si nullo modo implet, neque saltem imperfecte. Subdit Jueninus: „ Implere
„ vero imperfecte præceptum charitatis
„ non dicit omissionem actus charitatis:
„ sed tantum omissionem actus perfecti,
„ qui scilicet perfecte creaturam rationa-
„ lem cum Deo conjungat, itaut nullo
„ concupiscentiæ motu actus charitatis
„ intensio, fervor, & totalitas, impedian-
„ tur. „

Ad II. Interpretatio Adversariorum est contraria Augustino, qui verba illa intelligit de actu Charitatis, & non de habitu. Ait enim, quod si charitas vera sit, sine actibus esse non posse. Sic in præfat. in psalm. 31. *Dilectio vacare non potest: Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem.* Et in psal. 121. *Nec potest vacare amor in anima amantis: necesse est ut ducat: sed vis nosse qualis amor sit? Vide quo ducat.*

Ad III. Viri pii eliciunt multos & sæpe charitatis erga Deum actus, quos tamen non advertunt, at non per hoc illi non sunt charitatis actus. Sicut enim esse potest, quod aliquis labiis dicat: Diligo te super omnia, Deus meus, & corde labiorum verba non comitetur, unde Charitatis actum non eliciat; ita pariter esse potest, ut quis verba illa non proferat, & tamen corde erga Deum ferveat præ amoris ardore, & sic amoris actum eliciat intentissimum. Et quamvis non advertat non per hoc ille desinit esse amoris actus, quia essentia illius non stat in advertentia intellectus, sed in voluntatis amore.

Ad IV. dicitur, quod nos quamvis non habeamus, nec habere possimus certitudinem physicam de majori, vel minore sanctitate hominum, habemus tamen moralem, & satis est ad non errandum, ut secundum hanc operamur.

F I N I S.

IN-

400

I N D E X
VERBORUM, ET RERUM.

A

Abailardus, Petrus, erravit sequens Manichaos circa fidei Analysim. 94.
Academici veteres male de Religione sentientes ab Augustino impugnantur. 2.
Novi Academici confutantur a Joanne Bagotio, & a Michaele de Elizalda. 2.
Adam & Eva an habuerint Christi Religionem? 136.
Albigenses, & ipsorum haresis circa libros Moysis. 180.
Alexander Severus voluit inter Deos adnumerare Christum, & templo donare. 45.
Adolphus Venator sequutus est Zuinglii errorem in Religionis indifferentia. 68.
Amoris Dei praeceptum ita est speciale ut illud non observans, quamvis alia praecepta servet, nihilominus damnetur. 395.
Amphibologice loqui intelligi potest materialiter, & formaliter, & explicantur. 121.
Analysis Fidei quid sit, & quomodo fiat? 94.
Fieri non potest in humanam rationem. ibid.
Nec in solam Sacram Scripturam, nec in internum Spiritus Sancti motum. 96.
Nec in ipsummet divinæ fidei habitum, nec in Ecclesiæ autoritatem, ejusque testimonium. 97.
Angeli boni non fuerunt caussa principalis Christianæ Religionis, quamvis fuerint caussa instrumentaria, & ministerialis. 14.
Angeli in via habuerunt fidem infusam. 147.
Anabaptistæ Monasterienses dicebant, a Christi & Apostolorum temporibus verbum Dei pure non fuisse traditum. 278.
Anatholius, Patriarcha Constantinopolitanus, romanæ Ecclesiæ privilegia detrahere, & Constantinopolitanæ tribuere, frustra conatus est. 303.
Anni Patriarcharum veteris legis fuerunt pares annis nostris. 238.
S. Anselmus fuit Scholasticæ Theologiæ Propagator. 359.
Antichristus non faciet vera miracula. 32.
Apostasia a Fide adversatur Fidei in veritate in omnibus. 375.
Apostoli soli Symbolum condiderunt, & quidem in communi consulentes, non vero singuli singulos articulos adjicientes, & hoc perfecerunt Spiritu Sancto adjuvante. 109.
Apostolorum defectio a Christo in Passione sua nullum intulit detrimentum Christianæ Religionis veritati. 40.
Aquila, natione Ponticus, fecit sacræ Scripturæ versionem ex græco, & quando? 201.
Aristæi liber de versione Septuaginta Interpretum loquens, cujus auctoritatis sit? 201.
Aristoteles dicitur, quod legerit Pentateuchum Moysis, & ejus dictum post illius lectionem. 200.
Arius impie effutiit, Concilia etiam legitime congregata nullius esse valoris. 254.
Aristides, Philosophus Christianus, ex primis sæculis Scholasticam Theologiam præfiguravit. 361.
Articulorum Fidei distinctio in fundamentales, & non fundamentales, seu in essentiales, & accidentales, est prorsus inanis, inepta, & falsa. 71.
Articulus Fidei quid sit, & in quo differat a Dogmate Fidei? 101.
Averroes, & ejus dictum de Christiana Religione, ac de judaica & turcica superstitione. 14.
S. Augustinus quomodo intelligendus, quando docet, in expositione Scripturarum ad fontem hebraicum, & græcum esse recurrendum? 199.
Ejus dictum, quod Angeli nunquam fuerint peregrinati, quomodo intelligatur? 151.
Fuit Scholasticæ Theologiæ auctor, vel propagator. 359.

B

Basilidiani Heretici, dicti a Basilide, omnes veteris Testamenti libros respuebant. 193.
Beatitudinis carentia in statu viæ non fuit in Angelis miseria, & quare? 152.
Beati in Patria fidem non retinent. 148.
Belis Draconis historia, & ejus qualitas. 199.
Benedictus Spinozza Religionem omnem subsfulit, & Deistarum nostrorum temporum se Principem exhibuit. 2.
Berengarius post damnatam suam hæresim a Romana Ecclesia, contra ipsam virus suum evomit. 503.
Barardinus Ochinus erravit, volens sacras literas esse per se perspicuas, præsertim in rebus absolute necessariis. 221.
Maxime erravit dicens eversionis Ecclesiæ caussam fuisse Papatum. 279.

Beza

Beza post Lutherum & Calvinum negavit librum Cantici Canticorum esse canonicum. 180.
Blasphema propositio quid sit? 380.
Bonefacius VIII. quatuor Ecclesiæ Doctores adnumeravit, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, & Hieronymum. 353.
Bogomili, & ipsorum hæresis circa libros Moysis. 180.
Bonitas Dei infinita fuit præcipuum attributum quod in Christianismi institutione eluxit. 17.
Brentius erravit afferens sacram Scripturam non esse obscuram, ita ut indigeat interpretatione. 221.

C

Calviniani errant dicentes, ultimam fidei nostræ resolutionem tum pro credendorum propositione, tum pro assensu rebus propositis, faciendam esse in solam Scripturam, aut in internum Spiritus Sancti motum. 94.
Calvinus voluit exorcizare Genevæ obsessum a Dæmone, & ab eo verberatus est. 32.
Non cognovit Apostolos auctores Symboli illius, quod Apostolicum nominatur. 101.
Ejus error circa Concilia. 255.
Multa impie & falso contra Ecclesiam scripsit. 279.
Canon Scripturarum quid significet? 189.
Canon Clericorum erat Catalogus Clericorum. 189.
Canon sacrorum Librorum apud Judæos aliqui dicunt quod continebat viginti duos libros, alii viginti quatuor, alii viginti septem. 189.
Canonis librorum sacrorum apud Judæos incertus est auctor. 190. *Probabilior sententia quod fuerit Esdra.* 191.
Canon librorum sacrorum apud Catholicos modo comprehendit illos omnes libros qui a Concilio Tridentino adnumerantur. 192.
Cardinales in quibusdam casibus possunt Concilium Generale convocare, & quinam hi casus sint? 162.
Carolus Magnus Imperator fuit dictus Arbiter *cujusdam Concilii & explicatur* Protector.
Catholicæ Ecclesiæ nomen soli christianæ Religioni Romanæ convenit, & non superstitionibus & sectis. 53.
Chamierius Calvianus negat Apostolicum symbolum fuisse conditum ab Apostolis. 102.
Charitas quomodo intelligatur, quando dicitur quod sit Deus? 83.
Charitatis vox quotuplicitur accipiatur? & charitas Theologica quomodo definiatur, ac dividatur? 391.
Charitatis theologicæ materiale objectum adæquatum est Deus, nosipsi, & Proximus; objectum formale quod *est bonitas divina; formale* quo *est ipsa Dei bonitas, sive sumatur in se ipsa, sive prout est conveniens nobis dummodo tamen abstrahat ab illius possessione, & privatione.* 392.
Subjectum ejusdem charitatis complectitur omnes Justos, qui regnant in Cœlis, qui patiuntur in Purgatorio, & qui militant in terris; Subjectum vero immediatum in istis ejusdem Charitatis est voluntas. 392.
Charitatis actus est omnibus hominibus per se necessarius necessitate præcepti naturalis, & divini. 397.
Charitatis exercitium continet ordinem, qui duplex est, dilectionis scilicet, & beneficii, & servandus est inter Deum & Creaturas, & inter Creaturas ipsas. 398.
Catechumeni actu non sunt Ecclesiæ membra. 280.
Christiana Religio non fuit hominum inventum, nec ejus propagatio fuit hominum industria. 15.
Christiani primi non fuerunt soli rudes Apostoli, sed etiam docti homines ex Judæis, & quinam fuerint? 40.
Christianorum multitudo a principio nascentis Christianæ Religionis est motivum amplectendi Christianismum. 50.
Christianismus quid sit, & quid ejus nomine intelligatur? 12.
Ejus institutio & propagatio non est a causis necessariis, neque a causis rationalibus ac liberis, sed tantum a Deo. 13.
Chronologiæ textus hebraici standum est potius, quam Chronologiæ versionis septuaginta. 229.
Certitudo sufficit ad fidem, non requiritur evidentia. 79.
S. Chrysostomus quomodo intelligendus sit, quando scribit, quod Gentiles Philosophi multa scripserunt de præmiis, & suppliciis. 86.
Circumcisio non constituebat mosaycam legem, sed exprimebat. 67.
Cirola, Episcopus Arianus, & falsum ejus miraculum ex Gregorio Turonensi. 32.
Clementis Romani testimonium de Symbolo Apostolico quomodo sit intelligendum? 107.
Clitias Tyrannus quid de Religionis existentia confixit? 2.
Conciliorum nomine quid veniat, & quotuplicia sint? 254.
Concilia sive generalia, sive particularia sunt absolute Ecclesiæ necessaria; generalia autem sunt utilia, & necessaria etiam aliquo modo, licet non sint simpliciter in omnibus

bus casibus. 265.
Concilia generalia accedente Summi Pontificis confirmatione sunt infallibilis veritatis. 281.
Confessionista volunt solos Justos ad Ecclesiam pertinere. 178.
Confessio Fidei externa an sit actus elicitus, an imperatus a Fidei habitu? 171.
Contradictiones Alcorani ostendunt falsitatem ejusdem. 59.
Credibilia, & evidenter credibilia, immo credenda, sunt Christianæ Fidei Mysteria, non solum absolute, sed etiam comparative considerata. 130.
Credibilitas, & scibilitas, & quænam differentia inter ipsas intercedit? 130.
Credibilitatis nostræ Fidei motiva sunt puritas doctrinæ, efficacia, & concordia; sanctitas vitæ & morum; Religionis antiquitas, propagatio, miracula, & martyrium. 124.

D

Damasus Papa quomodo intelligendus quando S. Hieronymo præcepit, ut novum Testamentum secundum textum græcum redderet latinum? 199.
Damnabilis propositio quid sit? 381.
Damnatio futura si alicui revelaretur, & hic sciret revelationem non esse comminatoriam, sed absolute assertoriam, nullo modo posset iste talis sperare beatitudinem, & an eam licite desperaret? 389.
Damnati Fidem infusam non habent. 149.
Daistæ quid sint? 2.
Deus ex lege providentiæ justitiæ, primæ veritatis, & æquitatis, debuit veram Religionem revelare. 11.
Adeo fuit Christianæ Religionis Auctor, ut non ab alio, quam ab ipso potuerit illa institui ac propagari. 16.
Est prima veritas in dicendo, & in essendo. 88.
Nullo modo mentiri potest, nec per se ipsum, nec per alios, nec de potentia ordinaria, nec de extraordinaria & absoluta. 118.
Fuit principalis Auctor librorum sacrorum, tum veteris, tum novi Testamenti. 188.
Debitum recipiendi Christianismum includit debitum respuendi omnes alias Religiones, quæ sunt a Christianismo aliena. 63.
Huic debito non possunt homines satisfacere per solam apparentiam sine interiore mentis & cordis adhæsione. 64.
Depravatio nulla fuit facta a Judæis in libris veteris Testamenti. 183.
Differentia, quæ intercedit inter Fidem Christianorum, & fraudes Gentilium, Paganorum, & Mahometanorum. 79.
Divinum & Ecclesiasticum præceptum est Fidem aliquando exterius confiteri, & nunquam negare. 171.
Dæmones non fuerunt Christianæ Religionis auctores. 13.
Quo pacto Christi testimonium exhibebant? 17.
Victi & ejecti ab illis, qui primo christianam Religionem prædicarunt, & propagarunt, sunt motivum amplectendi Christianismum. 43.
Non potuerunt esse auctores oraculorum, quæ faciunt pro Christo, & pro Christiana Religione. 47.
Fidem infusam non habent. 48.
Doctrina Fidei & morum consensus in Christiana Religione est motivum amplectendi illam. 58.
Doctores & Patres non pro eodem in Ecclesia sumuntur. 353.
Dogmatum Fidei supra naturalem rationem eminentia, & earundem cum eadem ratione concordia, sunt motivum amplectendi Christianismum. 212.
Donatistarum miracula contemnebat S. Augustinus, quia non erant vera miracula. 33.
Ipsorum secta in sola Africa continebatur. 53.
Errabant volentes Ecclesiam Catholicam apud se solos esse. 277.
Dubium nullum admittit Fides Christiana. 73.
Dulcinius Novariensis dixit, quod tota auctoritas a Christo Domino Romanæ Ecclesiæ tradita, est omnino evacuata. 301.
Duratio Christianæ Religionis in excessum prævalet durationi Mahumeticæ superstitionis. 62.
Durationis permanentia in Christiana Religione est motivum amplectendi illam. 57.
Dupinus dixit, affirmari non posse, quod fuerint Apostoli Auctores illarum formularum, quæ in Apostolico Symbolo continentur. 102.
Durandus asseruit, objectum principale Fidei esse actum meritorium, ad quem dicit ordinari omnia, quæ in sacra Scriptura habentur. 89.

E

Ebionitæ, dicti ab Ebione, solum Matthæi Evangelium concedebant. 193.
Ecclesia auctoritati est, germanum Scripturæ sensum fidelibus tradere. 226.
Ecclesiæ acceptatio sequitur in Conciliis Papæ confirmationem, cui nullum robur addit, sed potius ab eo accipit. 264.
Ecclesiæ acceptatio est effectus infallibilitatis Romani Pontificis, non caussa. 339.
Ecclesia quomodo definitur? 277. Vera Jesu Chri-

Christi Ecclesia fuit semper, & est modo, visibilis. 279.

Est Regula Fidei viva, qua dari debet ultra regulam Fidei mortuam, quæ est sacra Scriptura. 282.

Ecclesiæ comparatio cum arca noetica, in quo sensu admittenda sit. 289.

Ecclesia fuit in lege naturæ, & in lege scripta, in lege autem evangelica est perfectior. 290.

Extra ipsam non fuit, nec est salus, tam in lege natura, & in lege scripta, quam in lege gratia. 294.

Ecclesia habet potestatem probibendi propositiones & libros, quos cognoscit fidelibus esse nocivos. 382.

Eleazer, Pontifex Judæorum, septuaginta duos Judæos misit ad Ptolomæum Egypti Regem, ut sacra Biblia ex hebraico in græcum verrent. 201.

Elimas magus non potuit facere miracula, quæ faciebat Paulus Apostolus. 32.

Episcopi habent jusferendi suffragium decisivum in Conciliis, & quidem jure divino. 283.

Erasmus dubitavit an Apostoli condiderint Symbolum, quod dicitur Apostolicum. 102.

Dubitavit de Epistola ad Hebræos, de Epistola S. Jacobi Apostoli, & de Epistola secunda S. Petri. 180.

Erronea Propositio quæ sit? 379.

Evidentia revelationis compati potest cum obscuritate Fidei. 127.

Eunomianus Hæreticus voluit facere miraculum in probationem sui erroris, & non potuit. 32.

Eutyches impie effutiit, concilia, etiam legitime congregata nullius esse valoris. 254.

Excommunicati sunt membra separata ab Ecclesia, sed ad tempus. 289.

Existentia Dei ut auctoris gratia, est objectum materiale Fidei, non vera ut auctoris natura. 88.

F

Fabula Poëtarum erant contra rationem, contra experientiam, & contra veritatem ut plurimum. 25.

Facilitatis & imperitia non sunt arguendi primi illi, qui Christum sequuti sunt. 53.

Fideles cum Infidelibus possunt publice disputare, si adsit scientia, & missio. 176.

Possunt etiam cum iisdem publice communicare, si absit periculum & scandalum. ibid.

Fidem qui non habet veram, nullam potest habere veram Religionem. 67.

Fides vera nullum admittit dubium. 73.

Fides multipliciter accipitur in Scripturis. 75.

Fides divina non solum est possibilis, seu non repugnat, sed etiam de facto datur. 75.

Admittenda est in vera Religione. 76.

In Christianismo reperitur. 77.

Fides Theologica quomodo definitur? 80.

Fidei præceptum an sit, & quando, & quos obliget? 85.

Fides prout respicit propositionem credendorum resolvitur in testimonium Ecclesia, in quantum Ecclesia regitur a Spiritu Sancto; prout vero respicit assensum, resolvitur in veritatem Dei in dicendo, seu in divinam veracitatem. 96.

Fidei articuli an successu temporis creverint, & quomodo? 112.

Omnes in Apostolorum Symbolo continentur. 113.

Fides pro credendorum substantia fuit eadem implicite in omnibus Fidelibus pro quovis tempore; at usque ad statum legis gratia fuit eadem explicite in Primoribus, & Rectoribus, non vero in quibuslibet Ovibus, quæ ab eisdem gubernantur. 114.

Habuit profectum secundum temporum diversitatem, & quo ad augmentum luminis, & quantum ad firmitatem assensus. 115.

Fidei divinæ nec etiam ex parte credentis potest subesse falsum. 122.

Fides infusa est habitus supernaturalis, & quidem supernaturalis quoad substantiam, non vera de genere qualitatis. 139.

Fides habitualis est habitus speculativus, non practicus assensivus, non discursivus, & veram rationem virtutis habet, at non perfectam. 144.

Fides Theologica a Deo tantum infunditur. 154.

Defacto infunditur simul cum Charitatis habitu potest tamen sine illo infundi. 155.

Potest aliquando per actus suos producere in Viatoribus habitum naturalem & acquisitum circa idem objectum. 176.

Fidei divinæ actus internus tripliciter elici potest, credendo scilicet Deo, credendo Deum, & credendo in Deum. 159.

Est certior quocunque assensu cujuslibet scientia naturalis. 160.

Major hæc certitudo provenit ab habitu infuso, & divino, & cum ea ab auxilio, quod infallibiliter determinat ad veritatem. ibid.

Fidem in aliquo casu occultare licitum est; in nullo tamen est licitum eam exterius negare, nec falsam simulare Religionem. 172.

Fælix II. Romanus Pontifex, antequam Pontificatum obtineret cum Arianis communicabat, sed nunquam Arianus fuit; postquam vero factus est Pontifex Arianos damnavit. 337.

Franciscus Putius, ejusque error in Religionis in-

indifferentia. 68.

Fundamentum primarium totius Ecclesiæ est solus Christus; fundamentum ministeriale primum fuit solus Petrus; fundamenta ministerialia secunda fuerunt cæteri Apostoli. 217.

G

Gentiles honore & reverentia prosequebantur Christianos. 45.

Gentiles, & si sine lege mosayca salvi facti sint, non tamen absque fidei auxilio salutem sunt consequuti. 86.

Gentiles, qui nunquam Christianam fide acceperunt, compelli debent etiam armis, & corporalibus pœnis, ne alios impediant ad fidem suscipiendam, non debent tamen cogi, ut ipsi fidem recipiant. 175.

Gentiles, & ritus ipsorum, a Principibus secularibus in ipsorum Ditionibus tollerari non possunt. 177.

Gentilium & Christianorum comparatio apud Senecam facit pro Christianis, & est contra Gentiles. 59.

Georgius David dixit Apostolorum doctrinam falsam & imperfectam, quia Papatus eam depravavit. 279.

Gerardus Sagarellus dixit, quod tota auctoritas a Christo Domino Romanæ Ecclesiæ tradita est omnino evacuata. 303.

Græci contra Romani Pontificis dignitatem, auctoritatem, & potestatem, multa insaniendo scripserunt. 303.

Gregorius III. dissolvit matrimonium ob uxoris infirmitatem, quam insanabilem antecedenter habebat, & per quam facta fuerat impotens ad coeundum. 337.

H

Habitus Fidei infusa an sit supernaturalis? 138.

Hadrianus Imperator voluit Christo templum condere. 45.

Hebræorum Religio quare non fuerit ampliata, ut postmodum ampliata est Christianorum? 53.

Helcaitæ, vel Helcesitæ, errabant, dicentes, licitam esse Religionis simulationem, adeoque fidem in Tormentis negare, dummodo integre in corde servaretur. 170.

Henricus Bullingus scripsit Petrum nunquam fuisse Romæ. 303.

Hæreses fuerunt in hebraismo. 20.

Hæresis adversatur fidei in veritate, & in aliquibus. 175.

Omnium infidelitatum est pessima, & ratio. ibid.

Hæresim sapiens propositio quid sit? Item quid sit propositio suspecta de hæresi? Item quid sit propositio hæresi proxima. 381.

Hæretica propositio quid sit? 379.

Hæretici tentarunt facere miracula, sed non fecerunt. 32.

Hæretici fidem habitualem non retinent. 149.

Hæretici, & ritus ipsorum a Principibus secularibus in ipsorum ditionibus tollerari non possunt. 177.

Hæretici antiquitus multos Scripturarum Canones conscripserunt, & modo etiam retinent. 193.

Hæretici publici non sunt Ecclesiæ membra. 280.

Hæretici in sua Hæreseos pœnam legitime puniri possunt a Principibus tum Ecclesiasticis tum laicis. 377.

Hermannus cum suis Fraticellis dixit, Romanam Ecclesiam esse meretricem. 303.

Hesychii versio sacræ Scripturæ. 201.

Hieronymus in latinam linguam vertit ex textu hebraico vetus testamentum, sed non omnes ejus libros; ex septuaginta versione vertit aliquos libros Canonis judaici: insuper nunquam vertit novum Testamentum ex græco textu in latinum, sed ad græcum textum illud emendavit. 206.

Historia Susannæ in libro Danielis Prophetæ, & ejus veritas. 199.

Historici graves & probati, si nullus eis contradicat, faciunt argumentum certum; sin autem secus faciunt argumentum tantum probabile. 369.

Homines fuerunt caussa instrumentalis librorum, qui in sacris Bibliis continentur. 188.

Homo infidelis non potest salvari in qualibet Religione, quam in Christiana. 69.

Homo christianus hæreticus non potest salvari in qualibet secta, sed tantum in Catholica Religione. 69.

Honorius, Romanus Pontifex, nunquam fuit Monotelismi reus. 337.

I

Jacob non est mentitus, quando dixit Patri: ego sum Primogenitus tuus Esau. 121.

Jacobus Apostolus quomodo intelligendus, quando dicit, quod Dæmones credunt. 153.

Idiomate hebraico fuerunt scripti omnes libri veteris Testamenti, exceptis Daniele, Tobia, Judith, primo Machabæorum, qui caldaico idiomate exarati fuerunt; & secundo pariter Machabæorum, qui græce fuit scriptus. 196.

Idiomate græco fuerunt scripti omnes libri novi Testamenti, excepto Evangelio Matthæi, quod Syriaco idiomate exaratum fuit. 196.

Jeri-

Jeronimiana versio sacrae Scripturae quando facta fuit? 201.
Jesus Christus est christianae Religionis auctor, & in eo comprehenduntur quaecunque christiana Religio continet. 66.
Imaginatio tales non habet vires, ut possit vel facere, vel credere miracula. 34.
Imperatores nunquam Concilia generalia propria auctoritate convocarunt, sed Summi Pontifices Romani consenserunt, ut iidem aliquando rationabiles ob caussas hoc facerent. 262.
Imperitia & infirmitas Discipulorum Christi, quae sunt versa in sapientiam & fortitudinem, sunt motivum amplectendi Christianismum. 35.
Improbabilis propositio quid sit? 381.
Indifferentes in Religione qui sint? 2.
Indifferentes in Religione, sunt in duplici genere, & qui nam sint? 68.
Infideles non sunt Ecclesiae membra. 280.
Infidelitas negativa non est peccatum, bene vero positiva. 375.
Inspiratio in auctoribus divinorum librorum quid, & an fuerit? 214.
Singulae canonicorum librorum particulae a sacris Scriptoribus Spiritu Sancto assistente fuerunt scriptae. 216.
Interpretum Septuaginta versio fuit facta tempore Ptolomaei, Egypti Regis, qui tertio loco ab Alexandro Magno regnavit. 200.
Joannes Gerardus Vossius expresse negat, Apostolicum Symbolum fuisse ab Apostolis conditum. 102.
Joannis Vvvclephi, & ejus error circa Concilia. 255.
Joannis Hus, & ejus error circa Concilia. 255.
Joannes Sommerus male loquutus est de Conciliis. 265.
Joannes Baleus scripsit Petrum nunquam fuisse Romae. 303.
Jobi liber, & historia, atque calumnia Judaeorum, Anabaptistarum, & Lutheri contra ipsam. 180.
Judaismus adversatur Fidei Christianae susceptae solum in typo, & in figura. 175.
Judaei, ante Christi adventum, quomodo tenebantur credere, quae credunt Christiani? 24.
Judaei non credunt adimpleta esse in Christo oracula Prophetarum: confutantur. 46.
Judaei, qui nunquam christianam Fidem acceperunt compelli debent etiam armis & corporalibus poenis, ut alios impediant ad fidem suscipiendam; non debent tamen cogi, ut ipsi fidem recipiant. 175.
Judaei & ritus ipsorum a Principibus secularibus in ipsorum ditionibus tolerari possunt. 177.
Judaei ante Christi adventum dici poterat Christiani, sed imperfecte, & inchoative, non autem perfecte & completive. 297.
Julianus Apostata deridebat Christianos, quod crederent impossibilia. 74.
Juris utriusque Periti in rebus fidei & morum faciunt argumentum probabile; in moribus vero Ecclesiae, & Religionis institutis, per leges sive pontificias, sive caesareas enarratis, si unanimiter conveniunt magnam fidem Theologo faciunt. 370.
Justi soli, si Ecclesia sumatur tam secundum esse formale, quam secundum esse materiale, sunt Ecclesiae membra. 280.
Justinus Martyr, qua ratione appellavit Martyrem Socratem Philosophum. 86.
Scholasticam Theologiam praefiguravit. 361.
Isaac Casaubonus reprehendit Franciscum Putium asserentem in Religione indifferentiam. 69.

K

Kemnitius erravit scribendo, Fidem esse quandam fiduciam, per quam voluntas hominis certo confidit remissa sibi esse peccata. 89.
Non vult recipere libros veteris Testamenti, qui vi Canone Hebraeorum non inveniuntur. 193.
Rejecit epistolam Pauli ad Hebraeos. ibid.
Rejecit quoque Apocalypsim. ibid.

L

Latinae versiones sacrorum librorum plures extabant ante Hieronymi tempora. 205.
Inter illas principem locum obtinebat ea, quae Itala dicebatur, & quare? 206.
Laurentius Valla non negavit Apostolicum Symbolum ab Apostolis fuisse compositum, sed tantum dubitavit de modo, tempore, & loco. 102.
Lectus sponsa nomine quid veniat? 54.
Legum patriarum observantia non excusat a verae Religionis susceptione. 66.
Libellatici erant illi Christiani, qui pretio a Magistratibus libello se emebant, quo dicebatur, eos Imperatorum edictis obtemperasse, circa Idolorum adorationem, quamvis revera non obedivissent. 170.
Liberius, Romanus Pontifex, fidei Arianae formula nunquam subscripsit. 337.
Libertini in Religione qui sint? 2.
Libri sacri tam veteris, quam novi Testamenti sunt divinae auctoritatis, ac proinde sunt omnimode infallibiles. 187.
Linguarum Magistri ut in Universitatibus statuantur, Concilium Viennense praecepit. 198.

Loci

Loci Theologici qui sint? 179.
Primus inter ipsos est sacra Scriptura. ibid.
Luciani versio sacræ Scripturæ. 201.
Luciferiani errabant dicentes, apud suam solam Sectam Ecclesiam esse. 278.
Lucretius quid senserit de Epicuro circa Religionis existentiam? 2.
Lumen in qua ratione dicitur Fides. 126.
Lutherani errant dicentes, ultimam fidei nostræ resolutionem tum pro credendorum propositione, tum pro assensu rebus propositis, faciendam esse in solam scripturam, aut in internum Spiritus Sancti motum. 94.
Lutherus voluit liberare puellam obsessam, & a Dæmone verberatus est. 32.
Tentavit etiam fenestra in vitam revocare hominem sub mersum. ibid.
Ejus testimonium pro Catholicis Romanis. 46.
Ejus deliria contra Moysen. 180.
Erravit volens, divinas Scripturas esse apertas omnibus ac manifestas. 220.
Ejus error circa Concilia. 255.
Scripsit, Tertulliani & Cypriani ætate degenerasse Ecclesiam, immo ipsis Apostolis adhuc viventibus. 278.
Asseruit, Apostolos omnes fuisse Petro æquales. 302.
In Scholasticam Theologiam invehitur, & post ipsum Melanchthon, aliique ipsius Assecla. 358.
Lutherani & Calviniani errant, asserentes in justificatione nihil reale divinitus nobis infundi, & nos justificari solum per peccati non imputationem, ac per extrinsecum Dei favorem, qui in ejus acceptatione consistit. 138.

M

PMaignan quomodo Christianismum explicet? 12.
Malachias de Inguebert, ejusque opus laudatur. 2.
Male sonans propositio quid sit? 380.
Manichæi errabant dicentes, Fidei Analysim fieri in humanam rationem. 94.
Ipsorum Hæresis circa libros Moysis. 180.
Manichæus quidam non potuit facere miraculum, quod tentaverat, ex Epiphanio. 32.
Marcionitæ, dicti ad Marcione, omnes veteris Testamenti libros rejiciebant. 193.
Marcus Antonius de Dominis, Apostata Spalatrensis, ejusque falsum inventum in articulis Fidei. 70.
Marcus Aurelius Imperator, ejusque Testimonium pro Christianis. 45.
Marcus Tullius Cicero Religionis existentiam agnovit. 5.
Marcellini, Romani Pontificis, lapsus inter Apocrypha adnumeratur. 352.
Marsilius Patavinus scripsit, Petrum immediate a Deo nullam habuisse supra cæteros Apostolos jurisdictionem, aut potestatem. 302.
Martyrum constantia, & fortitudo, est motivum amplectendi Christianismum. 48.
Martyres, qui adducuntur a falsis sectis, non fuerunt veri Martyres. 53.
Martyres Christianæ Religionis in omnibus differunt a Turcarum Hypocritis, qui impostores veri agnoscuntur. 19.
Matthæus Drosserius scripsit, Petrum fuisse Hyerosolimis Crucifixum. 303.
Mahumetani non æque multiplicati sunt in mundo, ut Christiani. 53.
Mahumetus, ejusque testimonium pro Christo, & pro Christianis. 45.
Ejus superstitio nunquam tam late patuit, quam latissime extensa est Religio Christi. 18.
Fuit vilis homo, at belliger & sagax, adeoque armis & fraudibus superstitionem suam propagavit. 19.
Ejus miracula ficta & falsa. ibid.
Melito Sardensis negavit, librum Ester esse canonicum. 180.
Miraculorum argumento usus est Christus, ut veritatem suæ Religionis probaret. 26.
Usi etiam sunt Patres. ibid.
Miraculum quid importet? 26.
Miracula facta a Christo, & Apostolis, in institutione & propagatione Christianæ Religionis sunt motivum amplectendi Christianismum. 27.
Ea testantur etiam Gentiles, & Mahumethus quoque. ibid.
Miracula, quæ non fiunt in aliis Sectis, quæ sunt contrariæ Ecclesiæ Romanæ, sunt motivum amplectendi Ecclesiam Christianam Catholicam Romanam. 29.
Miracula facta a Magis Pharaonis non fuerunt vera, sed apparentia. 31.
Miracula, quæ fiebant ad sepulchrum Jeremiæ, non fiebant a Dæmonibus. 31.
Miracula, quæ tribuuntur Vespasiano Imperatori, & Apollonio Tyenæo, non fuerunt vera, sed ficta. 31.
Miraculorum gratia semper in Ecclesia perseveravit, & etiam num perseverat. 28.
Motiva admittendi Christianismum, quæ sint? 20.

N

NAaman Syrus non simulavit Religionem. 173.

Na-

Nazaræi, & ipsorum Hæresis, circa libros Moysis. 179.
Necessitas actus Fidei divinæ ad salutem an sit; & qualis? 163.
Quale habeat objectum, & quibus temporibus? 166.
An ad illum eliciendum prærequiratur actus voluntatis & quales? 168.
Nemo potest eximi a debito recipiendi Christianismum sine æternæ vitæ jactura. 62.
Neronis tempore Christiani uti latrones non habebantur, & explicatur inscriptio lapidis cujusdam Neroni dicata. 59.
Nestorius impie effutiit, Concilia, etiam legitime congregata, nullius esse valoris. 254.
Nicopolitana versio sacræ Scripturæ quando facta fuerit? 201.
Nilus, Thessalonicensis Episcopus, plures de potestate Papæ, & ejus primatu quæstiones movet. 298.
Notæ veræ Ecclesiæ sunt quatuor, scilicet, quod sit una, sancta, Catholica, & Apostolica. 298.
Novatiani errabant dicendo, Ecclesiam esse Congregationem Justorum, illorum scilicet, qui nunquam lapsi fuerant circa fidei Confessionem. 278.
Novi Testamenti libri dividuntur in legales, historicos, sapientiales, & propheticos. Legales continent quatuor Evangelia, seu potius Evangelium quatuor Evangelistarum, Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis: historici continentur in libro Actuum Apostolorum: sapientiales sunt Epistolæ canonicæ; duæ Petri, quatuordecim Pauli, & sunt, duæ ad Thessalonicenses, una ad Galatas, duæ ad Corinthios, una ad Romanos, ad Philippenses una, ad Philemonem una, ad Ephesios una, ad Collossenses una, ad Hebræos una; duæ ad Thimoteum, prima & secunda, una ad Titum: epistola canonica Jacobi, Judæ, Joannis tres, prima scilicet, secunda, & tertia: libri tandem prophetici in sola Apocalypsi comprehenduntur. 228.

O

Objectio Judæorum, quod Christus faciebat miracula in virtute Belzebu, refellitur a P. Maignano. 33.
Idem probat non fuisse facta virtute naturæ. 33. 34.
Objectum idem materiale possunt habere scientia, seu facultates plures diversæ. 88.
Objectum materiale Fidei est omnis, & sola veritas obscure cognoscibilis per Dei revelationem, seu credibilis. 87.
Objectum attributionis ejusdem est Deus sub ratione Deitatis. 89.
Objectum formale quod *est Deus; & objectum formale* quo *non est divinitas ipsa ut sic, sed Deus sub ratione primæ veritatis in dicendo, & in testificando.* 91.
Obscuritas Mysteriorum fidei, eorundemque sublimitas, an sint motivum amplectendi Christianismum? 20.
Obscuritas opponitur evidentiæ, non vero certitudini. 73.
An importet quid negativum; an vero quid positivum? 126.
Obscuritatis nomine quid in Fide intelligatur? 124.
Debet necessario esse in Fide theologica, tam ex parte objecti. 125.
Oracula Prophetarum verificata in Christiana Religione sunt motivum amplectendi Christianismum. 41.
Orbis terræ amplitudo, ad quam extensa est Christiana Religio, est motivum amplectendi Christianismum. 51.
Origenis tetrapla, sexapla, octapla quid fuerint, & quomodo ab Origene confecta? 201.
Originis antiquitas in Christiana Religione est motivum amplectendi illam. 56.
Osius in primo Concilio Nicæno fuit Silvestri, Romani Pontificis, Legatus, & primum locum occupavit. 264.

P

Paganismus est infidelitas adveniens Fidei nondum susceptæ. 175.
Pauperes de Lugduno dicebant, Ecclesiam defecisse tempore Silvestri Papæ, adeoque factum esse invisibilem. 278.
Parentes primi hominum habuerunt fidem infusam. 147.
Patrum unanimis consensus in aliquod Dogma est certissimum argumentum: unius vero, vel plurium est probabile. 354.
Regulæ observandæ in lectione Patrum, & usu. 357.
Peccatores gratia sanctificante, & charitate spoliati, retinent fidem habitualem. 149.
Peccatores gravissimi, si sumantur secundum esse materiale, sive sint publici, sive sint occulti, dummodo fidem exterius non negaverint, sunt Ecclesiæ membra. 281.
Pelagius, & Pelagiani in quo discrepaverint circa vitam æternam, quam concedebant Infantibus, & Adultis non baptizatis? 68.
Pelagiani errabant dicendo, Ecclesiam esse multitudinem hominum perfectorum nullum peccatum habentium. 278.
Permittere non est idem, ac præcipere, & ali-

aliquando in Scripturis pro eodem accipiatur ? 120.
Petrus Joannis sub Innocentio III. erravit docens, in baptismo gratiam, & virtutes quae theologicae vocantur, minime infundi. 138.
S.Petrus convocavit primum duodecim Apostolos ad primum generale concilium, & deinde duodecim Apostoli Petri nomine multitudinem Discipulorum convocarunt. 262.
Fuit Romae, ubi suam sedem fixit, & diem obiit extremum. 304.
Fuit a Christo Domino constitutus universalis Ecclesiae caput, & supra caeteros Apostolos Primus. 304.
Philosophi Gentiles Dei existentiam admittentes Religionem negabant. 1.
Totum rationi naturali dabant, & nihil Fidei. 74.
Alii nihil admittebant, quam quae per Philosophiam comperta habebant, & quae ab ipsa docebantur. ibid.
Pharus insula prope Alexandriam fuit locus, in quo facta est versio septuaginta Interpretum. 202.
Philippus Melanchthon scripsit, statim ab initio Ecclesiae Scriptores veteres obscurasse doctrinam de justitia Fidei, auxisse caeremonias, & finxisse peculiares cultus. 278.
Photius, Patriarcha olim Constantinopolitanum, se Romano Pontifici praetulit. 303.
Piarum aurium propositio offensiva quid sit ? 380.
Plato Religionis existentiam agnovit. 5.
In suis libris de legibus Moysen expressit. 200.
Plinius secundus, & ejus testimonium pro Christiana Religione. 45.
Poliebronius monachus, & haereticus monothelita, voluit in citare mortuum, & non potuit. 32.
Politheismus a Christiana Religione damnatur. 13.
Politici sunt in Religione indifferentes, adeoque putant, quemlibet hominem in sua Religione salvari. 68.
Pontifex Romanus solus potestatem habet Concilia generalia convocandi. 255.
Soli ipsi competit Conciliis generalibus praesidere. 259.
Ad solum ipsum spectat Concilia generalia confirmare. ibid.
Praeceptorum Christianae legis asperitas, ac sanctitas, an sit motivum amplectendi Christianismum ? 21.
Praecepta, quae habent Christiani, an sint plura, vel minora illis, quae habebant Judaei, & qua ratione ? 25.
Praesidentia in Conciliis fieri potest vel pro directione & suffragio, vel pro pace conservanda; secundo modo aliquando Imperatores praefuerunt Conciliis, vel per se ipsos, vel per alios, nunquam autem primo. 263.
Prima principia, & conclusiones demonstrativae, seu per demonstrationem illatae, faciunt argumentum certum: Conclusiones vero probabiles faciunt argumentum tantum probabile. 364.
Primatus Romani Pontificis in Ecclesia non est tantum honoris & praeeminentiae, sed pariter auctoritatis, & jurisdictionis. 318.
Principum Potestas ad quae se extendat in Religionis negocio ? 67.
Priscillianistae erraruut dicentes, non solum esse licitum mentiri, sed etiam ad tegendum secretum juramento mendacium firmare. 118.
Prophetia de Christo, & de Christiana Religione, non potuerunt esse a Judaeis, vel ab aliis conficta. 47.
Proprietates verae Ecclesiae sunt tres, nimirum visibilitas, indefectibilitas, & infallibilitas. 299.
Providentia Dei in Christianismi institutione quem tenuit locum ? 20.
Purgantes animae fidem retinent. 146.
Ptolemaita, & ipsorum haeresis circa libros Moysis. 179.
Pyrronici quid de Religione sentiebant ? 2.
Pythagoras multa ex Moysis libris hausit. 200.

Q

Quadratus, Apostolorum Discipulus, & Atheniensis Episcopus, Scholasticam Theologiam praefiguravit. 360.
Qualitas permanens per modum habitus an sit Fides habitualis ? 138.
Quare Symbolum Apostolicum non inveniatur in Canone sacrarum Scripturarum causse afferuntur. 107.
Quaestiones facti sunt in duplici differentia. 338.

R

Rabbini sacros Codices non depravarunt. 185.
Ratio humana non est fundamentum assensus Fidei. 91.
Raymundus Lullius, aliique cum ipso, voluerunt, assensum Fidei esse conditionem omnino evidentem; adeoque objectum Fidei esse evidens per dictam Fidem. 126.
Regula observandae in lectione Patrum & usu. 357.

Relig ionis nomine quid intelligatur; quotupliciter ejus vox concipiatur, & accipiatur? 1.
Religio universim quid sit? 1.
Religio, quę sit vera, vere datur, & est. 3.
Ejus existentia ex Dei existentia infertur. 4.
Est ab omnibus reperibilis. 6.
Est determinata & una, non indifferens & multiplex. 7.
Sola Christiana, quam Catholica Ecclesia Romana profitetur, est vera. ibid.
Non est mentis anticipatio ejus existentia, sed naturę vox. 9.
Religionis Christianę propagatæ modus est motivum amplectendi Christianismum. 55.
Religio constare debet ex actibus internis & externis. 65.
Religionis anima non est sola antiquitas, sed etiam veritas. 66.
Revelatio implicita importat debitum credendi implicite, & revelatio explicita importat debitum credendi explicite. 66.
Revelatio sacris Scriptoribus facta circa omnia Fidei mysteria fuit immediate a Spiritu Sancto; circa historias, & facta, fuit inspiratio per Spiritus Sancti assistentiam; Verba denique ac verborum ordo, seu stylus fuerunt commissa cujuslibet Scriptoris ingenio & indoli. 217.
Romanus Pontifex habet primatum in Ecclesia, & quidem jure divino. 318.
Loquens ex Cathedra, & docens Ecclesiam in materia Fidei, & morum est infallibilis tam extra, quam intra Concilium, tam ante, quam post Ecclesiæ acceptationem. 328.
Est supra Concilium generale? 341.
Non potest in lege divina & naturali dispensare. 345.
Potest tamen in legibus canonicis, quando justa & legitima sunt caussæ. ibid.
Potest dispensare in gradibus prohibis Levitici. 18. 352.
Romanorum Pontificum nemo ex cathedra loquens in materia Fidei & morum erravit in Fide, & hæresim docuit. 333.
Rusticus Christianus præfertur ab Augustino Ethnico Philosopho. 77.

S

Salus extra Catholicam Religionem non datur. 71.
Samaritanam versionem asserit Hieronymus, atque probat fuisse vitiatam, ac depravatam. 234.
Sanctitas irreprehensibilis Auctoris Religionis Christianæ, sanctitas illorum, qui eam propagarunt, & sanctitas illorum, qui eam amplexi sunt, sunt motivum amplectendi Christianismum. 337.
Sanctitas præceptorum non dependet a sanctitate illorum, qui illa debent servare, & non servant. 25.
Sanctitas Religionis primario non consistit in sanctitate illorum, qui profitentur eam. 40.
Sanctus Lucas ex Hieronymo multa Historiografi licentia prætermisit in actibus Apostolorum. 107.
Sapientia & pietas illorum, qui amplexi sunt Christianam Religionem sine ullo ipsorum commodo, immo potius cum detrimento ac vitæ periculo sunt motivum amplectendi Christianismum. 36.
Sara erat Abrahæ soror, & conjux. 121.
Scandolosa propositio quid sit? 379.
Sceptici quid de Religione asserebant? 2.
Schismatici manifesti non sunt Ecclesiæ membra. 280.
Scholastici quidam antiqui putarunt, Deum de potentia absoluta & extraordinaria posse mentiri, sive per se ipsum, sive per alios. 118.
Scholasticorum unanimis consensus in materia fidei, & morum, facit locum theologicum, ex quo deducitur magni ponderis argumentum. 367.
Scholastica Theologia vera non est Ecclesiæ perniciosa, sed utilis; Theologo non est inutilis, sed nec est sufficiens: accusari non debet vitiis, & defectibus, quibus unus, aut alter ex profitentibus eam vere & juste accusantur. 359.
Scripturarum sacrarum libri non sunt suppositis, sed veri, & sunt pariter omnino integri. 180.
Seditiosa propositio quid sit? 381.
Seneca Religionis existentiam agnovit. 5.
Sensus sacræ Scripturæ quot sint? 225.
Ex his sensus, qui dicitur literalis est cæteris præferendus: mysticus adhiberi potest, quando asseritur vel ab aliquo Scripturæ textu, vel ab aliquo, qui auctoritatem habeat id decernendi: accomodatitius vero non subministrat firmum argumentum ad Fidei, aut morum Dogma probandum. 226
Sententia negans, Symbolum Apostolicum ab Apostolis fuisse conditum, est maxime temeraria, non vero hæretica. 110.
Serranus posuit indifferentiam in Religione. 68.
Servetiani, a Michaele Serveto dicti, Apostolorum Symbolum non admittunt. 102.
Sibillina carmina an sint genuina? 47.
Simon Magus non potuit facere miracula quæ faciebat S. Petrus. 32.
Simoniani, dicti a Simone, omnes veteris Te-sta-

stamenti libros respuebant. 193.
Simplicius Religionis existentiam agnovit. 5.
Sociniani dicunt, alia nobis credenda proponi, quæ in Apostolorum Symbolo non continentur. 112.
Symbolum Fidei quid sit, tam in vi nominis, quam in vi rei? 101.
An illud, quod dicitur Apostolorum, vere condiderint Apostoli? ibid.
Symbolum Apostolicum vere Apostoli condiderunt. 102.
Symmachus ex hebræo in græcum sacros libros vertit, & quando? 201.
Synagoga Judæorum, & Ecclesia Gentilium an fuerint duæ veræ Religiones distinctæ? 11.
Synagoga continebat Fidem, & gratiam & quo modo? 295.
Spei theologicæ objectum materiale primarium est Deus: materiale secundarium sunt media, quibus potest ipse Deus a nobis comparari: objectum formale, quod *est bonitas divina, prout est nostra beatitudo, sed absens, & a nobis possidenda: objectum vero formale* quo *est promissio divina.* 385.
Spes theologica non est in Beatis, nec est in Damnatis, nec est in Hæreticis; est tamen in Fidelibus, quamvis sint peccatores; est etiam in Justis, licet perfectam habeant charitatem. 386.

T

Tatiani, & Manichæi Actorum librum repudiabant. 193.
Temeraria propositio quid sit? 380.
Tertullianus negavit, Romanum Pontificem habere potestatem absolvendi Mœchos, & Adulteros. 345.
Testimonium, quod de Christiana Religione protulerunt hostes ipsius, sunt motivum amplectendi Christianismum. 44.
Textus hebraicus & græcus, qui modo in nostris Bibliis leguntur, in iis, quæ respiciunt fidem & mores, sunt omnino puri; non est autem ita purus hebraicus textus veteris Testamenti, ut nulla errata, nulla menda, etsi levis momenti, in eum irrepserint. 197.
Theodosii Imperatoris argumentum, quo Hæreticos ad meliorem frugem reducebat. 61.
Theodotio, & Simmacus, fecerunt mutationes in sacris libris, quæ tribuuntur Judæis. 185
Theodotio edidit versionem suam sub Commodo Imperatore. 201.
Theodosius Schimbergius male scripsit contra Ecclesiam. 297.
Theologia an habeat objectum Deus sub ratione Deitatis? 90.
Theologica Virtus omnis an sit infusa? & an omnis virtus infusa sit theologica? 81.
Theologi quidam de schola docent, fidei resolutionem fieri in ipsiusmet habitum fidei divinæ, per quem objecta credenda credentibus apparent. 94.
Alii volunt ultimam fidei resolutionem faciendam esse in Ecclesiæ auctoritatem. ibid.
Theologi alii sentiunt, quod ultima fidei resolutio tam pro credendorum propositione, & revelatione, quam pro assensu, qui Fide privata præbendus est, facienda sit in specialem revelationem: si vero objecta revelata credi debent fide Catholica, & universali, tunc fides resolvi debet in Ecclesiæ testimonium, tam divinum, quam humanum. 94.
Alii communius & probabilius docent, quod ultima Fidei resolutio fieri debeat pro credendorum propositione, & revelatione in ipsam Ecclesiæ auctoritatem, quæ determinat, & proponit hoc, vel illud esse a Deo revelatum: pro assensu vero, quem quilibet Fidelis rebus ipsis revelatis præbet, Fidei resolutio fieri debeat in divinam veritatem in dicendo, seu in divinam veracitatem. ibid.
Theophilus, Episcopus Alexandrinus, nimis in Chrysostomum infensus. 353.
Thomas Argentinas vult, quod objectum principale, & primarium Fidei sit Deus, non sub ratione Deitatis, sed sub alia ratione magis determinata, nempe sub ratione Salvatoris, & Glorificatoris. 89.
Thomas Hobesius quid de Religione senserit? 2.
Posuit indifferentiam in Religione. 68.
Tiberius proposuit in Senatu, ut Christus adoraretur in Imperio, ut Deus. 45.
Titelmannus clare ostendit, quam immerito a Laurentio Valla, a Fabro, & ab Erasmo vetus editio sacræ Scripturæ reprehendatur. 199.
Traditio facit pro genuitate Symboli Apostolici. 107.
Traditio quid sit, & quotuplex. 242.
Contra eam errarunt Valentinus, & Marcion, priorum Seculorum Hæresiarchæ, Ariani, Eunomiani, Iconomachi, Vviclephitæ, & posteriorum temporum Novatores. 242.
Traditiones divinæ fuerunt in statu legis naturæ, in statu legis scriptæ, & modo sunt in statu legis Evangelicæ. 243.
Traditiones Apostolicæ, & Ecclesiasticæ ultra divinas, etiam admittendæ sunt. 250.
Turca, & Ritus ipsorum, a Principibus Secu-

laribus in ipsorum ditionibus tollerari non possunt. 177.

V

VValdenses Apostolorum Symbolum contemnebant. 102.
Vaticinia, qua leguntur in Sacris Scripturis an intelligenda sint sub conditione? 122.
Veritates omnes Fidei sunt aqualiter credibiles. 88.
Veritatem celare aliud est ac mendacium dicere. 121.
Versiones graca veteris Testamenti fuerunt decem, quarum una fuit ante versionem Septuaginta, octo vero post ipsam. 200.
Versionem suam septuaginta Interpretes fecerunt, convenientes simul inter se, ac conferentes. 202.
Fuit olim divina auctoritatis in rebus Fidei & morum, & pariter modo est. 203.
Vestes Infidelium, si sint Religionis insignia, non est licitum Fidelibus in partibus Infidelium degentibus adhibere; si vero sint insignia nationis, licitum est. 174.
Veteris Testamenti libri dividuntur in legales, historicos, sapientiales, & propheticos. Primi sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: historici sunt: Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdra duo, primus & secundus, Esther, Judith, Machabeorum duo, primus & secundus: sapientiales sunt: Tobias, Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticus Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Prophetici sunt, quatuor Propheta majores, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, & duodecim Propheta minores; Oseas, &c. 211.
Vviclephus asserebat, Ecclesiam esse catum eorum tantum, qui ad caleste Regnum sunt pradestinati. 278.
Vigilius, Romanus Pontifex, Eutichianam Heresim non docuit. 337.
Villelmus Aurifex, Albigentium Propheta, dicebat, Papam esse Antichristum, & Romam Babilonem. 32.
Virgines Vestales an fecerint vera miracula? 32.
Vldaricus Velenus asseruit, Petrum non fuisse Roma, sed Hierosolymis fuisse occisum. 302.
Vltima ratio, in quam resolvitur assensus fidei quaenam sit? 93.
Veritas prima in dicendo hoc ipso quod est Deus, est etiam veritas prima in cognoscendo. 93.
Veritas prima in dicendo qua ratione est objectum fidei, & objectum Prophetia? 93.
Vrbanus Regius male loquutus est de Conciliis. 265.
Vulgata versionis nomine quid intelligatur. 208
Non est illa, qua Hieronymum praecessit, sed quam Hieronymus ex textu hebraico concinnavit; & novi testamenti est illa, quam Hieronymus ad graecum textum emendavit, & de illius primo auctore non constat. 209.
Cujus auctoritatis est ex Concilio Tridentino? 211.

Z

ZEfirinus, Romanus Pontifex, defenditur a labe, qua ei datur, quod cum Hareticis communicaverit. 337.
Zelus an sit Religionis, qui Turcas, Schismaticos, & Hareticos ad bellum vocat, eosque ad mortem inducit? 137.
Zeno Imperator Arianus privilegia Romana Ecclesia Constantinopolitana attribuit. 303.
Zuinglius ut ostenderet, quemlibet in sua Religione salvari posse, asseruit, Gentiles quoque, ut Herculem, Theseum, Numam Pompilium, salutem aeternam consequutos esse, ac in Caelis cum Christo esse. 180.
Negavit librum Baruch esse canonicum. 180

F I N I S.

FIRENZE - BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
PROGG. - 2.1.83 V° (81)
RESTAURO - 1998
LABORATORIO - RAIMONDO MILIO
RESTAURATORE PROGETTISTA - CLAUDIO MONTELATICI

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

controllo numerazione, pulizia a secco con pennello morbido, risarcimento con montaggio a scarnire con carta giapponese di adeguato spessore e colore, Vanrow, velatura con velo giapponese 502 e Tylose MH300P al 2%, carte di guardia Ingres struttura F, cucitura su n. 5 nervi di spago, indorsatura con tela di mussola a pelle di capra scarnita, capitelli cuciti su anima di spago e fili di lino neutro e colorato, incartonatura dei quadranti in cartone accoppiato al durevole, nuova legatura in piena pelle di capra al vegetale (Scaricaciottoli) con dorso attaccato, adesivi Tylose MH300P e Vinavil 59 al 15%.

COLLAUDATORE
DATA DEL COLLAUDO

LAB. RESTAURO LIBRI R. Milio